This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI,

EQUITIS AURATI,

OPUSCULA

MATHEMATICA, PHILOSOPHICA ET PHILOLOGICA.

Collegit partimque Latinè vertit ac recensuit

JOH. CASTILLIONEUS

JURISCONSULTUS

TOMUS TERTIUS

Continens

PHILOLOGICA.

LAUSANNÆ & GENEVÆ,

Apud MARCUM-MICHAELEM BOUSQUET & Socios.

Digitized by Google

MDCCXLIV.

Digitized by Google

VIRIS

STEMMATE NOBILISSIMIS,

VIRTUTE ET DIGNITATE

ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS,

ACADEM. BERNENSIS ET LAUSANNENSIS

CURATORIBUS

SPECTATISSIMIS,

DN. JOHANNI RODOLPHO TILLIER,

Tribuno Plebis, Senatus Academici Præsidi

Gravissimo.

DN. CHRISTOPH. STEIGER,

Provinciæ Romanæ Quæstori Integerrimo.

DN. CAROL. EMMAN. DE WATTENWILLE,

Senatori Consultissimo, Domino in Belp

Clementissimo.

Digitized by Google

[redacted]

[redacted]

[redacted]

IS

RIBUS

IMIS,

HO TILLIER.

Praesidi

TEIGER.

Integerrimo.

VATTENWILLE.

nino in Belp

DN.

2

XXII.

ΓONI

ATI,

NICA

EMORIA

O MAGNO

TAM.

An. 1728.

A

Digitized by Google

DN. MARCO MORLOT,

Senatori Præſtantiſſimo, Salinarum Directori

Prudentiſſimo.

QUOD, INTER GRAVISSIMAS SALUTIS

publicæ curas, Litterarum ſtudia diligant,

ET

PRÆSENTISSIMI STUDIOSORUM PATRONI

ſint Pretioſas haſce Doctiſſimi VIRI Reliquias

D. D. D.

Religioſus Cultor & Famulus humillimus

J. CASTILLIONEUS,

Collector & Editor.

INDEX

Digitized by Google

INDEX OPUSCULORUM TOMI TERTII.

OPUSCULUM XXII.

Brevia Chronica à primâ rerum in Europa gestarum memoriâ ad *Persidem* ab ALEXANDRO Magno in potestatem redactam.

Introductio, pag. 3
Brevia Chronica, 9

OPUSCULUM XXIII.

Chronologia Veterum Regnorum.

CAPUT I. *De Chronologiâ priorum Seculorum Græcorum*, 37
II. *De Imperio Ægypti*, 135
III. *De Imperio Assyriorum*, 186
IV. *De duobus Babyloniorum & Medorum Imperiis eodem tempore vigentibus*, 207
V. *Descriptio Templi* SALOMONIS, 233
VI. *De Imperio Persarum*, 248

OPUSCULUM XXIV.

Animadversiones in Observationes factas in brevia Chronica, 275

OPUSCULUM XXV.

Ad DANIELIS Profetæ vaticinia, nec non Sancti JOANNIS Apocalypsin Observationes.

PARS PRIMA.

CAP. I. *Introductio. De Scriptoribus & Collectoribus Librorum Veteris Testamenti*, 283

Digitized by Google

CAP. II. *De ſtylo profetico*, pag. 292
III. *De viſo Imaginis ex quatuor metallis compoſitæ*, 297
IV. *De viſo quatuor Beſtiarum*, 299
V. *De Regnis, pedibus imaginis, qui ferro & luto conſtabant, denotatis*, 303
VI. *De decem Regnis, decem quartæ Beſtiæ cornibus, repræſentatis*, 313
VII. *De undecimo cornu quartæ Beſtiæ apud* DANIELEM, 330
VIII. *De poteſtate mutandi tempora & leges, quæ undecimo cornu quartæ, apud* DANIELEM, *Beſtiæ adſcribitur*, 340
IX. *De Regnis apud* DANIELEM *repræſentatis Ariete & Hirco*, 355
X. *De vaticinio ſeptuaginta hebdomadum*, 363
XI. *De temporibus natalium & perpeſſionum* Chriſti, 374
XII. *De vaticinio Scripturæ veritatis*, 392
XIII *De Rege, qui fecit prout ipſi libuit, ſeſeque ſupra omnem Deum extulit, & coluit* Mahuzzim, *non autem curavit Fœminarum deſiderium*, 408
XIV. *De ipſis* Mahuzzim, *Regi, qui pro voluntate ſuâ egit, cultis*, 414

PARS SECUNDA.

CAP. I. *Introductio. De tempore, quo Apocalypſis conſcripta eſt*, 436
II. *De eâ, quæ in* JOANNIS *Apocalypſi habetur, ratione libri Legis Moſis, cultúſque divini in Templo*, 448
III. *De eâ, quæ in* JOANNIS *prædictione habetur, vaticiniorum* DANIELIS *ratione; déque illius prædictionis ſubjecto*, 462
Eorundem ferè, quæ ſecundo & tertio Capite habentur, aliâ ratione tractatio.

OPUSCULUM XXVI.

De Judæorum & aliarum Gentium Cubitis, &c. 491

OPUS-

Digitized by Google

OPUSCULUM XXII.

ISAACI NEWTONI

EQUITIS AURATI,

BREVIA CHRONICA

A primâ rerum

IN EUROPA GESTARUM MEMORIA

AD

PERSIDEM AB ALEXANDRO MAGNO

IN POTESTATEM REDACTAM.

Anglicè Edita LONDINI An. 1728.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI

BREVIA CRONICA

A primâ rerum

IN EUROPA GESTARUM MEMORIA

AD

PERSIDEM AB ALEXANDRO MAGNO

IN POTESTATEM REDACTAM.

INTRODUCTIO.

FABULIS Poetarum plenæ ſunt Antiquitates *Græcæ*, quòd *Græci* nihil ſolutâ oratione ſcripſerunt ante *Aſiam* à CYRO *Perſâ* devictam; quo tempore PHERECYDES *Scyrius*, & CADMUS *Mileſius* hoc ſcribendi genus in uſum adduxerunt. DARII HYSTASPIS Regno ad finem vergente PHERECYDES *Athenienſis* de Antiquitatibus ſcripſit, & opus ſuum per Genealogias digeſſit, & inter optimos Genealogiarum Scriptores

Digitized by Google

recenſetur. Genealogiás quoque proſecutus eſt EPIMENIDES Hiſtoricus; & HELLANICUS, qui duodecim annos natu major erat, quàm HERODOTUS, Hiſtoriam ſuam diſtribuit juxta Ætates, aut Succeſſiones Sacerdotum JUNONIS *Argivæ*. Alii verò ſecundùm Reges *Lacædemoniorum*; *aut* Archontes *Athenienſium*; Triginta, circiter, Annis ante caſum Imperii *Perſici* edidit HIPPIAS *Elæus* ſummarium, aut indicem eorum, qui vicerant in Ludis *Olympicis*; & decem, circiter, annis ante ejuſdem Imperii everſionem EPHORUS Diſcipulus ISOCRATIS condidit Chronologicam *Græciæ* Hiſtoriam, initium ducens à reditu *Heraclidarum* in *Peloponneſum*, & finem faciens ad *Perinthi* obſidionem, quæ incidit in viceſimum annum PHILIPPI Patris ALEXANDRI Magni: Sed res per Generationes digeſſit; nondum enim invaluerat mos numerandi per *Olympiadas*; neque apparet Regum dominationes per annorum numerum adhuc diſtribui & diſtingui ſolitas.

Marmora *Arundelliana* confecta fuerunt ſexaginta annis poſt ALEXANDRI Magni mortem (*Anno quarto* Olympiadis *centeſimæ viceſimæ octavæ*,) attamen de *Olympiadibus* altum ſilentium: Sed *Olympiade* proximâ TIMÆUS *Siculus* edidit Hiſtoriam in plures Libros diviſam, & ad ſua uſque tempora productam, quam per *Olympiadas* diſtribuit comparans Ephoros, Reges *Spartæ*, Archontes *Athenarum* & Sacerdotes *Argivas* cum Victoribus *Olympicis*, & ita ſimul compoſuit & inter ſe conciliavit Olympiadas, Genealogias, & Succeſſiones Regum, Archontum, & Sacerdotum, ac poeticas narrationes. Ab hujus Hiſtoriæ fine POLYBIUS ſuam exorſus, & proſecutus eſt.

Igitur paulò poſt obitum ALEXANDRI Magni, Generationes, Regna, & Succeſſiones ex annorum numero ſupputari cœperunt; &, quia ſuppoſitum fuit Generationibus æquivalere Regna, & Succeſſiones; Generationes autem tres æquipollere centum, aut centum, & viginti annis, (ut apparet ex *Græcorum* Chronologiis,) Antiquitates *Græciæ* plus æquo factæ fuerunt diuturnæ tercentis, aut quatercentis annis. Et hæc fuit origo Technicæ *Græcorum* Chronologiæ. ERATOSTHENES ſcripſit centum circiter annos poſt mortuum ALEXANDRUM Magnum: Hunc ſecutus eſt

APOL-

Digitized by Google

APOLLODORUS ; & deinde utrumque posteriores Chronologi.

Intelligi autem potest ex his PLUTARCHI verbis, quantùm incerta sit, & quantorum dubiorum plena visa sit *Græcis* coævis suis hæc Chronologia. Ait enim: (*a*) *Nonnulli, inter quos est* ARISTOTELES *Philosophus, putant* LYCURGUM *vixisse eodem tempore, quo* IPHITUS *ejúsque socium fuisse in Olympicis Ludis ordinandis, argumentum ducentes ex Disco Olympico, cui* LYCURGI *nomen inscriptum erat. Alii, tempora supputantes ex Successionibus Regum* Lacedæmonis, *ut* ERATOSTHENES *&* APOLLODORUS, *affirmant eum vixisse non paucos annos ante primam Olympiadem.* Primùm ARISTOTELES, & alii quidam eum primæ Olympiadi coexistere faciunt; tum ERATOSTHENES, APOLLODORUS, & alii nonnulli plusquam centum annis præcessisse primam Olympiadem existimant: quin & alibi PLUTARCHUS (*b*) inquit; *Opinantur aliqui se posse chronologicis rationibus demonstrare* SOLONEM *nunquam* CROESUM *vidisse. Sed à me nunquam impetrare potui, ut narrationem tam illustrem, tot Testibus confirmatam, &, (quod majus est,) tam pulchrè* SOLONIS *moribus consentientem, ac tam dignam ejus magnanimitate, & sapientiâ rejicerem ob aliquos chronologicos, quos dicunt, Canones; quos, licèt aliquot Auctorum centena correxerint, ad id perducere nemo potuit, ut aliquid certitudinis haberent, & sibimet ipsi constarent.* Leges, puto, dederat, juxta Chronologos, SOLON tamdiù ante hoc Colloquium, ut nunquam ei adesse potuerit.

Ut hæc secum pugnantia inter se conciliarent Chronologi, sæpe ex uno homine duos fecerunt. Cùm itaque Poetæ mutassent Jö filiam INACHI in *Ægyptiam* ISIDEM, Chronologi finxerunt ISIDIS Maritum OSIRIM, aut BACCHUM, ejúsque amasiam ARIADNAM non minùs antiquos, quam Jö, & duas excogitaverunt ARIADNAS, aliam quidem BACCHI, aliam verò THESEI amicam, duósque MINOES earum Patres, & natu minorem Jö filiam JASI, corrumpentes scilicet INACHI nomen pro quo JASUM scripserunt. Haud aliter finxerunt duos PANDIONES, duós-

(*a*) Plutarch. in Licurgo. (*b*) Plutarch. in Solone.

Digitized by Google

que ERECHTHEOS, primum dicentes ERECHTHONIUM, quem tamen HOMERUS appellat ERECHTHEUM; ac, sic nomina eorum pendo, miris ambagibus veterem Historiam implicarunt.

Sed Chronologia *Latinorum* etiam incertior est. De *Romæ* Origine omnia dubia sunt, secundùm PLUTARCHUM; nec alia SERVIUS affert. Veteres *Latinorum* commentarii combusti fuerunt à *Gallis* sexaginta quatuor annis ante mortem ALEXANDRI Magni; & QUINTUS FABIUS PICTOR, vetustissimus *Latinorum* Historicorum, vixit toto sæculo post hunc Regem.

Sacra Historia docet *Assyriorum* Imperium incepisse cum PUL, & TIGLATHPILASER, ac stetisse centum septuaginta, circiter, annos. A quibus non alienus HERODOTUS posuit SEMIRAMIDEM quinque tantùm Generationibus, aut centum sexaginta sex annis, circiter, ante NITOCRIM matrem ultimi Regis *Babylonis*. Sed CTESIAS facit SEMIRAMIDEM mille quingentis annis antiquiorem NITOCRI, & fingit longam Seriem Regum *Assyriæ*, quorum nomina nec *Assyria* sunt, nec ullo pacto affinia nominibus *Assyriis*, quæ legimus in sacris Literis.

Sacerdotes *Ægyptii* dixerunt HERODOTO, quòd MENES ædificaverat *Memphim*, & in eâ magnificum *Vulcani* Templum: & quòd RHAMPSINITUS, MÆRIS, ASYCHIS, & PSAMMITICUS superbas huic Templo porticus addiderant. Veri tamen simile non est *Memphim* famâ celebratam fuisse ante HOMERUM natum, qui de eâ nullatenus meminit, aut in unius Templi ædificationem ducentos, vel tercentos contritos fuisse annos; Nam, PSAMMITICUS regnare cœpit anno sexcentesimo quinquagesimo quinto, circiter, ante CHRISTUM, & pono Templum illud à MENETE inchoatum ducentis quinquaginta septem annis, circiter, ante hujus Regni initium: Sed Sacerdotes *Ægyptii* ita extollebant res apud eos gestas ante HERODOTUM, ut huic affirmarent, quòd inter MENETEM, & MÆRIM, (qui regnavit ducentis annis ante PSAMMITICUM,) fuisse tercentos triginta Reges, quorum Regna totidem impleverunt Ætates, ita ut conficiant undecim mille annos; & intervallum hoc replebant commentitiis Regibus, qui nihil fecerant. Et ante DIODORUM *Siculum* Antiquitates suas

multùm

multùm adhuc protulerant ; ponebant enim , ſex , octo , vel decem alios Reges inter eos, quos HERODOTO dixerant ſibi immediatè, alteri alterum , ſucceſſiſſe.

In Regno *Sicyonis* , Chronologi ſciderunt APIM , EPAPHUM , vel EPOPEUM in duos Reges, quos dixerunt APIM , & EPOPEUM , & inter eos locaverunt undecim, aut duodecim fictitia Regum nomina , qui nihil penitus egerunt , eâque de cauſâ fecerunt ÆGIALEUM, hujus Regni conditorem , tercentis annis antiquiorem fratre ſuo PHORONEO. Nonnulli crediderunt Regna *Germanica* Diluvio coæva: attamen, ante literas inventas , vix hominum nomina, & geſta recoli poterant ultra octoginta, aut centum annos ab eorum interitu; idcirco nullam admitto Chronologiam pro rebus in *Europâ* geſtis ultra octoginta annos ante Literas *Europæ* donatas à CADMO ; neque, pro rebus *Germanicis*, ante initium Imperii *Romani.*

Verumtamen, ERATOSTHENES, atque APOLLODORUS, tempora ſupputantes ex Regnis Regum *Lacedæmoniorum* , ſeptemdecim Reges ex duabus familiis , ab *Heraclidarum* in *Peloponneſum* reditu ad prælium *Thermopylarum*, regnaviſſe poſuerunt, (ut apparet ex eorum Chronologiâ etiam nunc uſurpatâ) per ſexcentos viginti duos annos, quod recidit ad triginta ſex annos cum dimidio pro ſingulis Regibus. At ſeries ſeptemdecim Regnorum tam diuturnorum nuſquam occurrit in verâ Hiſtoriâ, ubi unumquodque Regnum, huic addendo quod illi demitur & moderatam computationem adhibendo, ſe non extendit ultra octodecim, aut viginti annos : Quapropter hac ultimâ computandi ratione uſus ſum ad definiendum tempus, quo *Heraclidæ* reverſi ſunt, & illud ſtatui tercentis quadraginta annis, circiter , ante prœlium ad *Thermopylas.* Et, ponens *Trojanum* excidium incidere in octogeſimum annum ante hunc reditum, juxta THUCYDIDEM; ac *Argonautarum* expeditionem unâ Generatione anteriorem Bello *Trojano*; atque Bella, quæ SESOSTRIS geſſit in *Thraciam*, mortémque INUS filiæ CADMI item unâ Generatione ante hanc Expeditionem; confeci ſequentes Tabulas chronologicas, in quibus Chronologia

Digitized by Google

nologia cum naturæ Curſu, cum Aſtronomiâ, cum Sacris Literis, cum HERODOTO Patre Hiſtoriæ, & cum ſemet ipſa conſentit, ſublatis contradictionibus, de quibus querebatur PLUTARCHUS. Annum ipſum accuratè me definiviſſe non contendo: quinque, aut decem, & aliquando viginti annì, aut non multo plures, me fallere potuerunt.

ISAACI

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI
BREVIA CHRONICA

A primâ rerum

IN EUROPA GESTARUM MEMORIA

AD

PERSIDEM AB ALEXANDRO MAGNO

IN POTESTATEM REDACTAM.

Tempora computantur per annos ante Chriſtum.

INGENS *Canaanitarum* JOSUEM fugientium multitudo in *Ægyptum* ſe contulit, &, devicto TIMAO, THAMO, vel THAMMUZ inferioris *Ægypti* Rege, ibi dominata eſt ſub ſuis Regibus SALATI, BOEONE, APACHNATE, APOPHI, JANIA, ASSIDE; &c, uſque ad dies ELI, & SAMUELIS. Veſcebantur carnibus, & homines immolabant, more *Phœniciorum*, & vocabantur Paſtores ab *Ægyptiis*, qui ſolis terræ frugibus nutriebantur, & carnem edentes execrabantur. Pluribus tunc Regibus ſerviebat ſuperior *Ægyptus*; Regiæ eorum Urbes *Coptus*, *Thebæ*, *This*, *Elephantis*, & aliæ; Hæc autem Regna, ſe mutuò ſubjiciendo, gradatim tandem in unum coaluerunt, cujus Rex fuit MISPHRAGMUTHOSIS, dum ELI vivebat.

Digitized by Google

Anno ante CHRISTUM 1125. MEPHRES dominatus est in superiorem *Ægyptum* à *Syene* ad *Heliopolim*; &, qui ei successit, MISPHRAGMUTHOSIS sine intermissione in Pastores depugnavit; quamobrem plures ex iis se conjecerunt in *Palæstinam*, *Idumæam*, *Syriam*, & *Libyam*; & in *Græciam* sub LELEGE, ÆZEO, INACHO, PELASGO, ÆOLO primo hujus nominis, CECROPE, aliisque Ducibus. Ante hæc tempora *Græciam*, atque adeò totam *Europam* occupabant peregrini *Cimmerii*, & *Scythæ* profecti ex ultimis usque *Ponti Euxini* partibus; qui errantes & efferi vitam degebant ferè ut *Tartari* in Septentrionalibus *Asiæ* partibus. Ex his erat OGYGES, quo vivente, Advenæ *Ægyptii* devenerunt in *Græciam*. Reliqui Pastores concluſi fuerunt à MISPHRAGMUTHOSI in quadam *Ægypti* inferioris parte nuncupatâ *Abaride*, vel *Peluſio*.

Anno 1100. *Philistei*, fortiores redditi Pastorum accessione, *Israelem* domuerunt, & cœperunt Arcam: SAMUEL judicabat *Israelem*.

1085. HÆMON filius PELASGI erat Rex *Thessaliæ*.

1080. LYCAON filius PELASGI condidit *Lycosuram*; & PHORONEUS filius INACHI, *Phoronicum* postea *Argos*; Sed ÆGIALEUS frater PHORONEI, & INACHI filius, *Ægialeum*, deinde dictam *Sicyonem*: & hæ sunt antiquissimæ Urbes *Peloponnesi*. Hactenus enim singuli sibi construxerant humiles casas dissitas & per agros dispersas.

Circa eadem tempora CECROPS condidit in *Atticâ Cecropiam*, quam Posteri dixerunt *Athenas*, & ELEUSINUS filius OGYGIS, *Eleusinuntem*. Quæ Urbes exordium dederunt Regnis *Arcadum*, *Argivorum*, *Sicyoniorum*, *Athenienſium*, *Eleusinorum*; &c. Tunc DEUCALION florebat.

1070. AMOSIS, vel TETHMOSIS, qui *Misphragmutosi* succesſerat, abolevit *Heliopoli* morem *Phœnicium* sacrificandorum hominum, & Pastores *Abaride* expulit. Qui tam frequentes accesserunt ad *Philistæos*, ut hi contra SAULEM in prælium adducerent triginta millia Curruum, sex millia Equitum, & tantam hominum multitudinem

ut

Digitized by Google

ut comparari posset cum arenâ, quæ est in Maris littore. ABAS pater ACRISII, & POETI ex *Ægypto* excessit.

1069. SAUL eligitur Rex *Israelis*, & virtute JONATHANIS magnâ cæde sternit *Philistæos*. EUROTAS filius LELEGIS, & LACEDÆMON, qui uxorem duxerat SPARTAM filiam EUROTÆ, regnant *Laconiæ*, & condunt *Spartam*.

1060. SAMUEL moritur.

1059. DAVID Rex constituitur.

1048. *Edomitas* vincit, & dissipat DAVID, quorum nonnulli se conferunt *Ægyptum* cum eorum Rege HADAD adhuc penè puero. Alii petunt *Sinum Persicum* Duce OANNE; alii verò è *Mare Rubro* progressi perveniunt ad *Maris Mediterranei* littora, *Azotum* muniunt contra DAVIDEM, & *Sidonem* capiunt: *Sidonii*, qui eos fugiebant, condunt *Tyrum* & *Aradum*, ac ABIBALUM constituunt *Tyri* Regem. Hi *Edomitæ* secum ubique afferunt Artes, & Scientias suas, &, inter alias, eorum Artem navigandi, Astronomiam, & Litteras: Nam Constellationes, & Litteræ notæ erant in *Idumæâ* ante JOBUM, qui de illis meminit: & ibi MOSES Legem in libro scribere didicit. *Edomitarum* verò ii, qui *Mari Mediterraneo*, accesserant, *Erythræam* nomen *Phœniciam* reddiderunt, & seipsos quidem *Phœnicios*, illam autem oram maritimam, quæ ad Palestinam pertinebat *Azoto*, & *Sidone* concluſa, *Phœniciam* vocaverunt. Hinc est, quòd *Persæ*, & *Phœnicii* ipsi, ut ait HERODOTUS, asserunt *Phœnicios* primùm venisse è *Mari Rubro*, & statim aggressos esse longa itinera per *Mare Mediterraneum*.

1047. ACRISIUS ducit EURIDICEM filiam LACEDÆMONIS, & SPARTÆ. Nautæ *Phœnicii*, qui venerant è *Mare Rubro*, & qui longa itinera, negotiandi causâ, facere consueverant, è *Sidone* digressi per *Mediterraneum* similiter itinerantur; in *Græciam* usque delati, rapiunt Iö filiam INACHI, quæ cum aliis *Græcis* Mulieribus eorum naves ingressa erat merces emptura. *Maria Græca* Pyratis infesta esse cœperunt.

Digitized by Google

1046. *Syrii* ex *Zobach*, & *Damaſco* vincuntur à DAVIDE. NYCTIMUS filius LYCAONIS regnat in *Arcadiâ*. Adhuc vivit DEUCALION.

1045. Plures ex *Phœniciis*, & *Syriis* fugientes *Sidonem*, & DAVIDEM, petunt, Ducibus CADMO, CILICE, PHÆNICE, MEMBLIARIO, NYCTEO, THASO, ATYMNO, & aliis, *Aſiam minorem*, *Cretam*, *Græciam*, & *Lybiam*; & in has Regiones afferunt Litteras, Muſicem, Poëſim, *Octaeteridem*, Metalla, eorúmque conflandorum rationem, ceteráſque Artes, Scientias, & Mores *Phœniciorum*. Hoc ipſo tempore CRANAUS, qui in CECROPIS locum ſucceſſerat, regnat in *Atticâ*, ac ſub hoc Rege, & NYCTIMO Regnum capeſſente, *Græci* ponunt diluvium DEUCALIONIS. Hoc diluvium exceperunt quatuor Ætates, vel Generationes hominum, in quarum primâ natus eſt CHYRON filius SATURNI, & PHILYRÆ, ultimæ verò finis, ſecundùm HESIODUM, coincidit cum fine belli *Trojani*; itaque & inter CADMI adventum, & Excidium *Trojæ* interceſſiſſe ſtatuit quatuor Generationes aut centum quadraginta annos circiter, ponens, ut Veteres faciebant, tres Generationes ad centum annos extendi. Hos *Phœnicios* ſecuti ſunt quidàm Myſteriorum ſacrorum, Artium, & Scientiarum *Phœniciorum* periti, qui variis in locis conſiderunt, & dicti fuerunt *Curetes*, *Corybantes*, *Telchines*, & *Dactyli Idaei*.

1043. Floret HELLEN filius DEUCALIONIS, & Pater ÆOLI, ac XUTI, atque DORI.

1035. ERICHTHEUS regnat in *Atticâ*. ÆTHLIUS nepos DEUCALIONIS, & pater ENDYMIONIS condit *Elidem*. Cùm *Idæi Dactyli* ferrum inveniſſent in *Idâ* monte *Cretæ*, confecerunt arma, & inſtrumenta ferrea, atque hoc pacto initium dant Artibus Fabrorum ferrariorum & armariorum in *Europâ*; atque, ut armati canebant, & ſaltabant, concentum moderantes enſibus, quibus arma mutuò feriebant, ſic introduxerunt Muſicem, atque Poëſim; eodem tempore nutriverunt JOVEM *Cretenſem* in antro ejuſdem montis, ſaltantes armati circa eum.

1034.

Digitized by Google

1034. AMMON regnat in *Ægypto*. Is in poteſtatem redegit *Libyam*, ejus Incolas, qui errantes ferino more vivebant, ad humaniorem vitam perduxit, eóſque docuit terræ fruges congerere & aſſervare; De ſuo nomine veteres *Ammoniam* dixerunt *Libyam*, & Regionem deſertam quæ ei adjacet. Ille primus longas, & altas naves conſtruxit, & velis inſtruxit; ac claſſem ex hujuſcemodi navibus conſtantem habuit in *Mare Rubro*, aliámque ſimilem in *mediterraneo* in *Iraſa* portu *Libyæ*. In uſum hactenus fuerant rotundæ naviculæ onerariæ, inventæ ad *Mare Rubrum*, quæ nunquam è littoris conſpectu digrediebantur. *Ægyptii*, ut ſe à littoribus avellere & in altum provehi poſſent, ſtellas tunc temporis obſervare cœperunt; unde ortæ ſunt Aſtronomia, & Nautica. Hactenus pariter uſurpatus fuerat annus Luni-ſolaris: Sed, cùm hic annus eſſet incertæ longitudinis, & eâ de re minimè aptus Aſtronomiæ, *Ægyptii*, illo, ejúſque filiis & nepotibus Regnum obtinentibus, obſervantes heliacos Ortus, & Occaſus Stellarum, definiverunt longitudinem anni Solaris, quem confecerunt ex duodecim Kalendaribus menſibus veteris anni Luniſolaris, & quinque diebus inſuper. CREUSA filia ERECHTHEI nubit XUTO filio HELLENIS; ERECHTHEUS, priùs celebratis *Panathenæis*, jungit Equos Currui. Naſcitur ÆGINA filia ASOPI, & mater ÆACI.

1030. CERES, mulier *Sicula*, quærens filiam, quæ rapta fuerat, venit in *Atticam*, & docuit *Græcos* ſerere triticum; ob quod beneficium poſt mortem relata fuit inter Deos. Id primùm oſtendit TRIPTOLEMO juniori filio CELEI Regis *Eleuſinuntis*.

1028. OENOTRUS natu minimus inter filios LYCAONIS, qui eſt *Latinorum* JANUS, duxit primam Coloniam *Græcorum* in *Italiam*, & *Italos* docuit domos ædificare. PERSEUS natus eſt.

1020. ARCAS filius CALLISTUS, & LYCAONIS ex filiâ nepos, atque EUMELUS, primus Rex *Achaiæ* acceperunt à TRIPTOLEMO panem triticeum.

Digitized by Google

1019. SALOMON regnat, & ducit filiam AMMONIS, & ope hujus affinitatis sibi arcessit Equos ex *Ægypto*, unde etiam ejus negotiatores adducunt Equos omnibus Regibus *Hittitarum*, & *Syriorum*; nam, Equi primùm venerunt ex *Libyâ*; quapropter NEPTUNUS dictus fuit *Equester*. TANTALUS Rex *Phrygiæ* rapit GANIMEDEM filium TROIS Regis *Troadis*.

1017. SALOMON, adjutoribus *Tyriis*, & *Aradiis*, qui habebant nautas *Mari Rubro* assuetos, in hoc Mare classem ponit. *Tyrii* autem, & *Aradii* condunt novas civitates in *Sinu Persico*, quas appellant *Tyrum*, & *Aradum*.

1015. Templum SALOMONIS fundatur. MINOS regnat in *Cretâ*, expulso patre ASTERIO, qui petit *Italiam*, & evadit *Latinorum* SATURNUS. AMMON à *Canaaneis* capit *Gezeram*, quam dat filiæ, uxori SALOMONIS.

1014. AMMON *Joppæ* locat CEPHEUM.

1010. SESACUS, sub patris AMMONIS Regno invadit *Arabiam Felicem*, & ponit columnas in faucibus *Maris Rubri*. Necantur APIS, EPAPHUS, vel EPOPEUS filius PHORONEI, & NYCTEUS *Rex Bœotiæ*. Fratris NYCTEI Regno potitur LYCUS tanquam Hæres. ÆTOLUS filius ENDYMIONIS fertur in Regionem *Curetum* in *Achaiâ*, & ei nomen facit *Ætoliam*; & ex PRONOE filiâ PHORBANTIS gignit PLEURONEM, & CALYDONEM, qui urbes in *Ætoliâ* ædificant, suisque nominibus donant. ANTIOPA filia NYCTEI ad LYCUM remittitur ab LAOMEDONTE, qui APi successerat; ea iter faciens parit AMPHIONEM, & ZETHUM.

1008. SESACUS, regnante AMMONE patre suo, invadit *Africam*, & *Hispaniam*, & locat columnas in omnibus Regionibus à se domitis, præsertim in faucibus *Maris Mediterranei*; & Patriam suam repetit per littora *Galliæ*, atque *Italiæ*.

1007. CERERE mortuâ, EUMOLPUS instituit ejus Mysteria *Eleusinunte*. Mysteria RHEÆ instituuntur in *Phrygiâ* in Urbe *Cybele*. Circa hæc tempora Templa in *Græciâ* exstrui cœperunt. HYAGNIS *Phrygius* tibias invenit. *Græci* secuti exemplum *Philisteorum*, apud quos fiebat conventus quinque Regulorum,

Digitized by Google

lorum, inſtituunt comitia *Amphictyonum*, quæ primùm habita ſunt ad *Thermopylas*, auctore AMPHICTYONE filio DEUCALIONIS, & paucos annos poſt *Delphis*, auctore ACRISIO. Inter urbes, quarum Legati convenerunt ad *Thermopylas*, non reperio *Athenas*, quapropter dubito an *Athenarum* Rex fuerit AMPHICTYO. Si is erat filius DEUCALIONIS, & frater HELLENIS, fieri poteſt ut ipſe & CRANAUS eodem tempore regnarent in diverſis *Atticæ* partibus. Sed invenio poſteriorem alium AMPHICTYONEM, qui hoſpitio excepit magnum BACCHUM. *Amphictyones* adoraverunt CERERREM; ideo eorum comitia inſtituta fuerunt CERERE jam mortuâ.

1006. MINOS claſſem ornat, maria *Græciæ* à Pyratis purgat, ac Colonias deducit in Inſulas *Græciæ*; quarum nonnullæ antea carebant Incolis. CECROPS II. regnat in *Atticâ*. CAUCON *Meſſenios* docet Myſteria CERERIS.

1005. ANDROMEDA rapitur ex *Joppâ* à PERSEO. PANDION frater CECROPIS II. regnat in *Atticâ* CAR filius PHORONEI, ædificat Templum CERERI.

1002. SESACUS regnat in *Ægypto*, ac *Thebas* exornat, eam urbem dicans Patri AMMONI impoſito nomine *No-Ammon*, aut *Ammon-No*, quod ſignificat populum, vel urbem AMMONIS: inde *Græci* eam dixêre *Dioſpolim*, ideſt, JOVIS urbem. Templa quoque & oracula *Thebis*, in *Ammoniâ*, & *Æthiopiâ* patri ſuo erigit SESACUS, qui ideo in cauſâ eſt, cur AMMON poſtea tamquam Deus coleretur in Regionibus illis, &, opinor, etiam in *Arabiâ Felice*. En originem cultûs, qui redditus fuit JOVI AMMONI, & en prima Oracula, de quibus meminit, (quod ſaltem viderim,) prophana Hiſtoria. Bellum fit inter PANDIONEM, & LABDACUM nepotem CADMI.

994. ÆGEUS regnat in *Atticâ*.

993. PELOPS filius TANTALI venit in *Peloponneſum*; uxorem ducit HIPPODAMIAM neptem ACRISII; *Ætoliâ* ſpoliat ÆTOLUM filium ENDYMIONIS, & opibus ſuis ad magnam potentiam aſcendit.

990.

Digitized by Google

990. AMPHION, & ZETUS LYCUM obtruncant; LAIUM LABDACI filium fugant; *Thebarum* Regnum arripiunt, urbémque mœnibus cingunt.

989 DÆDALUS & TALUS ſororis ejus filius inveniunt ſerram, tornum, terebram, dolabram, & alia inſtrumenta, quibus utuntur Fabri lignarii; & ſic his Artibus in *Europâ* præbent initium. DÆDALUS etiam primus effinxit Statuas pedibus disjunctis, tamquam ſi ambularent.

988. MINOS bellum infert *Athenienſibus* ob necem ANDROGEI filii ſui. ÆACUS floret.

987 DÆDALUS interimit TALUM ſororis ſuæ filium, & ad MINOEM fugit. Sacerdos quædam JOVIS AMMONIS, à mercatoribus *Phœniciis Græciam* invecta, *Dodonæ* erigit oraculum JOVIS. Sic inceperunt Oracula apud *Græcos*; & iis jubentibus ubique receptus fuit mos adorandi mortuos.

983. SISYPHUS filius ÆOLI, & HELLENIS ex filio nepos, Regnat *Corinthi*; quin juxta nonnullos hanc urbem ſtatuit.

980. LAIUS recuperat Regnum *Thebanum*; ATHAMAS frater SISYPHI, & pater PHRIXI, atque HELLES ducit INUM filiam CADMI.

979. ROBOAMUS regnat. THOAS è *Cretâ* mittitur *Lemnum*, ubi regnat in civitate *Hephæſtiâ*, & conficit opera ænea, & ferrea.

978. Naſcitur ALCMENA patre ELECTRIONE filio PERSEI, & ANDROMEDÆ, matre verò LYSIDICE filiâ PELOPIS.

974. SESACUS Templum diripit, & invadit *Syriam*, ac *Perſidem*, & pluribus in locis columnas ſtatuit. JEROBOAMUS factus SESACO ſubditus, cultum Deorum *Ægyptiorum* in *Iſraelem* introducit.

971. SESACUS invadit *Indias*, & victor tertio anno redit: Hinc *Trieterica* BACCHI. Columnas erigit ſuper duos montes ad fauces fluminis *Gangis*.

968.

Digitized by Google

968. THESEUS regnat devicto MINOTAURO, & paulò poſt ſub uno eodémque imperio jungit duodecim urbes *Atticæ*. SESACUS, cùm victor ad montem *Caucaſum* uſque perveniſſet, ibi relinquit nepotem PROMETHEUM, & ÆTEM in *Colchide*.

967. SESACUS, transjecto *Helleſponto*, in poteſtatem redigit *Thraciam*, ejus Regem LYCURGUM obtruncat, & hoc Regnum unà cum quadam ex ſuis cantatricibus tradit OEAGRO patri ORPHEI. In exercitu SESACHI erant *Æthiopes* duce PANE, & *Libycæ* mulieres ductrice MYRINA, vel MINERVA. Mos erat *Æthiopibus* ſaltare, quando manus conſerturi erant, & ob has ſaltationes efficti fuerunt pedibus caprinis ſub Satyrorum figurâ.

966. THOAS, conſtitutus à SESACO Rex *Cypri*, ſe illuc confert cum uxore CALYCOPIDE, *Lemni* relictâ filiâ HYPSIPILE.

965. SESACUS prælio ſuperatus à *Græcis*, & *Scythis* amittit plures ex fœminis ſuis cum earum Reginâ MINERVA; bellum componit, convivio excipitur ab AMPHICTIONE, ſepelit ARIADNAM, per *Aſiam*, & *Syriam* in *Ægyptum* regreditur cum innumerabili captivorum multitudine, inter quos erat TITHONUS filius LAOMEDONTIS Regis *Trojæ*; & relinquit ſuas *Libycas Amazones* ſub MARTHESIA, & LAMPETO, quæ MINERVAM exceperant, ad fluvium *Thermodontem*. Pariter is in *Colchide* reliquerat Tabulas Geographicas, in quibus delineatæ erant Regiones omnes à ſe devictæ: Hinc ortum habuit Geographia. Ejus cantatrices in Thraciâ celebratæ fuerunt ſub *Muſarum* nomine. Itidem *Muſarum* nomine innotuerunt filiæ PIERI cujuſdam *Thracis* has imitatæ.

964. MINOS bellum gerens cum COCALO Rege *Siciliæ*, ab eo perimitur. Viguit Imperio, Legibus, & Juſtitiâ. Super ejus ſepulchrum, quod PYTHAGORAS vidit, inſcripta erant hæc verba ΤΟΥ ΔΙΟϹ, ſepulchrum JOVIS. DANAUS cum filiis ſuis fugiens fratrem ÆGYPTUM (nempe SESACUM) venit in *Græciam*. SESACUS, ſecutus conſilium THOTHI à ſecretis, diſtribuit *Ægyptum*

Digitized by Google

in triginta ſex *Nomos*; in ſingulis *Nomis* erexit ſingula Templa, & unicuique proprios Deos, feſta, & ritus aſſignavit. Templa autem hæc erant ſepulchra præclarorum Virorum, qui tumulandi & adorandi erant poſt mortem, quiſque in Templo ſuo ſolemnibus & feſtivitatibus ab eo definitis; dum ipſe & Regina ſub OSIRIDIS, & ISIDIS nomine adorari debebant per totam *Ægyptum*. Hæc ſunt Templa illa, quæ mille centum annis poſt vidit LUCIANUS, & quæ deſcribit tanquam ædificata uno, eodémque tempore: Et hoc eſt principium *Nomorum Ægyptiorum*, & variorum Deorum ac cultuum, qui in iis vigebant. SESACUS pariter *Ægyptios* agros militibus ſuis dimetitus eſt; unde *Geometria* originem duxit. Naſcuntur HERCULES, & EURYSTHEUS.

963. AMPHICTYON duodecim *Ægypti* Deos in *Græciam* intulit; & hi ſunt *Dii magni majorum gentium*, quibus Terra, Planetæ, & Elementa conſecrata fuerunt.

962. PHRYXUS & HELLE fugiunt INUM novercam, & filiam CADMI. Mergitur HELLE in *Helleſponto*, qui ab eâ nomen hoc duxit, & PHRYXUS venit in *Colchidem*.

960. Bellum geritur inter *Lapithas*, & *Theſſaliæ* populum quendam dictum *Centauros*.

958. OEDIPUS obtruncat patrem LAIUM. STHENELUS filius PERSEI regnat *Mycenis*.

956. SESACHUS interimitur à fratre JAPETO, qui poſt mortem inter Deos collocatur ab *Africanis* dicitúrque NEPTUNUS, ab *Ægyptiis* autem TYPHON. Regnat ORUS, qui *Libyos* in fugam vertit. Hi, Ducibus JAPETO, ejúſque filio ANTÆO, vel ATLANTE, invaſerant *Ægyptum*. Interea SESACUS celebrabatur nominibus SIHOR, aut SIRIS, NILI, & ÆGYPTI, quia *Nilum* utilem *Ægyptiis* reddiderat, alveis cavatis ab eo flumine ad omnes *Ægyptias* urbes. *Græci* audientes *Ægyptios* SESACUM lugentes ingeminare *O* SIRIS, *Bou* SIRIS, illi tribuerunt nomen OSIRIDIS, & BUSIRIDIS. *Arabes* autem ob egregia facinora eum dixerunt BACCHUM, id eſt Magnum; At à Phrygiis appellatus fuit MA-FORS, aut MAVORS, Fortis,

Digitized by Google

Fortis, ac per Syncopem, MARS. Quia ſtatuere ſolebat Columnas in Regionibus à ſe devictis, & quia ejus exercitus, dum adhuc pater ejus regnaret, clavis uſus erat in *Africanos*, ideo ejus ſimulachris additæ fuerunt columnæ, & clava; atque hic eſt ille HERCULES, qui, juxta CICERONEM, natus erat ad *Nilum*; juxta EUDOXUM occiſus à TYPHONE, & juxta DIODORUM natione fuerat *Ægyptius*, & ferè totum orbem terrarum peragraverat, columnáſque in *Africâ* poſuerat. Videtur etiam BELUS ille, qui, ſecundùm DIODORUM, Coloniam *Ægyptiorum* reliquerat *Babylone*, & ibi inſtituerat Sacerdotes nuncupatos *Chaldæos*, qui à vectigalibus ſolvendis immunes erant, & ſtellas obſervabant, ut in *Ægypto*, Hactenus *Juda* & *Iſrael* ſummis anguſtiis cruciati fuerant, ſed ex hoc tempore pace decenni potiti ſunt ASA in *Judâ* regnante.

947. *Æthiopes* invadunt *Ægyptum*, & ORUM in *Nilo* demergunt. Quapropter BUBASTE ORI ſoror ſemet ipſa interimit è domûs tecto ſe dejiciens; at eorum mater ISIS, vel ASTRÆA veſaniâ capitur: Hæc fuit finis Regni Deorum in *Ægypto*.

946. Magnam ab ASA cladem accipit ZERATH *Æthiops*. Populus inferioris *Ægypti* Regem ſibi optat OSARSIPHUM, & in *Æthiopes* advocat ducenta millia *Judæorum*, & *Phœniciorum*. Regnat MENES, vel AMENOPHIS adhuc juvenis filius ZERATH, & CISSIÆ.

944. *Æthiopes* ſub AMENOPHI exeunt ex inferiore *Ægypto*, & *Memphim* muniunt contra OSARSIPHUM. His bellis, & *Argonautarum* expeditione magnum *Ægyptiacum* Imperium in fruſta diſcerpitur. EURYSTHEUS STHENELI filius regnat *Mycenis*.

943. EVANDER ejúſque mater CARMENTA Litteras in *Italiam* inferunt.

942. ORPHEUS inter Deos recenſet filium SEMELES ſub BACCHI nomine, & ritus inſtituit in ejus honorem.

Digitized by Google

940. Eximii *Græcorum* audientes bella, & turbas *Ægypti* decernunt Legationem ad Incolas *Ponti Euxini*, & *Maris Mediterranei* ſubditos *Ægyptiis*, & idcirco navem *Argum* fabricandam curant.

939. Navis *Argo* conſtruitur ad exemplar longæ navis, quâ DANAUS in *Græciam* vectus fuerat, éſtque primum navigium longum à *Græcis* ædificatum. CHIRON aureo Sæculo natus determinat Conſtellationes in uſum *Argonautarum*; Is poſuit Puncta Solſtitiorum, & Æquinoctiorum in decimo quinto gradu, aut in medio *Cancri*, *Chelarum*, *Capricorni*, & *Arietis* Conſtellationum. METON, anno NABONASSARI tercenteſimo decimo ſexto obſervavit Solſtitium Æſtivum in octavo *Cancri* gradu; igitur Solstitium retroceſſerat ſeptem gradibus. Sed uno gradu retroceditur ſeptuaginta duobus annis, & ſeptem gradibus quingentis, & quatuor annis, circiter; quibus dinumeratis à tercenteſimo decimo ſexto NABONASSARI anno, expeditio *Argonautarum* recidere perſpicitur in annum, ante CHRISTUM, nongenteſimum triceſimum ſextum, circiter. GINGRIS filius THOANTIS occiditur, & Diis annumeratur, dicitúrque ADONIS.

938. THESEUS, quinquaginta annos natus, rapit HELENAM ſeptennem. PIRITHOUS filius IXIONIS rapere tentans PERSEPHONEM filiam ORCI Regis *Moloſſorum* ab ORCI Cane interimitur; & ejus ſocius THESEUS capitur, atque in vincula conjicitur. HELENA à fratribus liberatur.

937. Aggrediuntur *Argonautæ* expeditionem ſuam. PROMETHEUS è *Caucaſo* monte diſcedit in libertatem ab HERCULE vindicatus. HERCULES idem interimit LAOMEDONTEM Regem *Trojæ*, cui PRIAMUS ſufficitur. TALUS homo æneus ænei Sæculi, & MINOIS filius perimitur ab *Argonautis*. Inter *Argonautas* autem fuerunt ÆSCULAPIUS, atque HERCULES: Sed HIPPOCRATES ex patre fuit ex ÆSCULAPII poſteris, & ab eo decimus octavus; ex matre verò HERCULIS, ac decimus nonus ab illo: aſt, cùm de hiſce Generationibus mentio fiat in Hiſtoriis, probabile eſt eas fuiſſe per Familiarum iſtarum Principes, & plerumque per natu maximos: ſed hæc octodecim intervalla

Digitized by Google

valla per patrem, & undeviginti per matrem, (tribuendo viginti & octo, aut, ut plurimum, triginta annos unicuique Generationi,) conficiunt, medium tenendo, circiter quingentos, & septem annos, qui retroversum dinumerati ab anno, quo incepit bellum *Peloponnesiacum*, (nam circa hæc tempora florere cœpit HIPPOCRATES) nos reducunt ad tempus illud, in quo posuimus expeditionem *Argonautarum*.

936. HERCULES à vinculis THESEUM solvit.

934. Fit venatio Apri *Calydonii*, quem MELEAGER interfecit.

930. AMENOPHIS, ex *Æthiopiâ* ac *Thebaide* cum exercitu profectus, invadit inferiorem *Ægyptum*, OSARSIPHUM vincit, *Judæos*, & *Canaaneos* expellit: Et hæc habetur secunda Pastorum expulsio. CALYCOPIS moritur, & inter Deos refertur à THOANTE, qui in ejus honorem Fana *Paphi*, & *Amathuntis* in *Cypro* ac *Eybli* in *Syriâ* erexit, Sacerdotésque, & sacra constituit. Hæc est veterum VENUS, & *Dea Cypria*, ac *Dea Syria*. Appellata etiam fuit *Paphia*, *Amathusia*, *Byblia*, *Cytherea*, *Salaminia*, *Cnidia*, *Erycinia*, *Idalia*, &c. ex supra relatis, aliisque locis, ubi Templa illi dicata fuerunt. Ejus autem Ornatrices tres, in tres Gratias mutatæ fuerunt.

928. Septem Duces oppugnant *Thebas*.

927. HERCULES, & ÆSCULAPIUS Divinitate donantur. EURYSTHEUS exigit *Heraclidas* è *Peloponneso*. Interimitur ab HYLLO HERCULIS filio. ATREUS filius PELOPIS Rex pro EURYSTHEO creatur *Mycenis*. MNESTEUS, cujus avus fuerat ERECHTHEUS regnat *Athenis*.

925. THESEUS è scopulo dejectus interimitur.

924. HYLLUS invadens *Peloponnesum* obtruncatur ab ECHEMO.

919. ATREUS moritur. AGAMEMNON Regni habenas suscipit. Absente MENELAO, qui iter instituerat ad colligenda ea quæ ATREUS pater ei reliquerat, PARIS rapit HELENAM.

918. Iterum bellum *Thebis* infertur.

Digitized by Google

dies cum horis quinque ante Vernum Æquinoctium, sumptâ scilicet mediâ Solis celeritate. Atqui *Thoth* hujusmodi anni retrocessus triginta tribus diebus, & quatuor horis invenitur post centum triginta septem annos, igitur *Toth* cum Æquinoctio Verno coincidit centum triginta septem annos ante inceptam *Æram* NABONASSARI; idest octingentos octoginta quatuor annos ante CHRISTUM; quòd si hic annus inceptus fuisset ipso post Vernum Æquinoctium die, concursus iste potuisset accidere tres, vel quatuor annos ante tempus jam repertum, & ad tempus illud referre licet mortem hujus Regis. Hunc *Græci* faciunt filium TITHONI, unde sequitur eum natum fuisse post SESACI reditum in *Ægypto* cum TITHONO, & aliis Captivis: igitur AMENOPHIS septuaginta aut septuaginta quinque annos, circiter, natus erat, cùm diem ultimum obiit.

883. DIDO condit *Carthaginem*, & paulò post *Phœnicii* incipiunt navigare ad *Sinûs Ostia* usque, vel etiam ultra. ÆNEAS adhuc vivebat, ut ait VIRGILIUS.

870. HESIODUS floret: ipse testatur se vixisse sæculo, quod ponè secutum est *Thebanum*, & *Trojanum* bellum, cujus sæculi finis poni debet senectus, & mors eorum, qui tunc vigebant; quapropter ei tribuenda est consueta diuturnitas: HERODOTUS, autem dicit se vixisse quatercentis annis post HESIODUM, atque HOMERUM. Unde conficitur nos bene determinâsse Tempus excidii *Trojani*.

860. MÆRIS regnat in *Ægypto*. Hic *Memphin* ornavit, & illuc Imperii sedem ex *Thebis* transtulit. Celebrem Labyrinthum construxit; VULCANI Templo septentrionalem Porticûs partem addidit; magnum Lacum excavavit, qui ab eo nomen accepit, ejúsque extremitates duabus ingentibus Pyramidibus lateritiis auxit: hæ res HOMERO, & HESIODO fuerunt ignotæ, & post eorum mortem factæ, cùm apud illos de iis ne verbum quidem legatur. MÆRIS etiam scripsit librum de Geometriâ.

852.

Digitized by Google

852. HAZAEL, qui in HADAD locum ſucceſſerat, moritur, & inter Deos recenſetur, quod priùs de HADAD-factum fuerat. Iſti Dii, cum ARATHE conjuge ipſius HADAD adorati fuerunt in ipſorum Sepulchris, aut Templis uſque ad tempora JOSEPHI *Hebræi*; *Syrii* autem eos antiquiſſimos prædicabant, neſcientes, (ait JOSEPHUS,) illos recentiores fuiſſe.

844. Fit Migratio *Æolica*. *Bœotia*, quæ priùs dicebatur *Cadmeis*, venit ſub *Pœtorum* poteſtate.

838. CHEOPS regnat in *Ægypto*. Maximam Pyramidum ſibi tumulo futuram conſtruxit. Superiores Reges adorari vetuit, ipſe coli volens.

825. *Heraclidæ*, poſt tres Generationes, aut centum annos à primâ eorum expeditione, regrediuntur in *Peloponneſum*. Ab hoc reditu ad finem primi belli *Meſſenici*, *Spartæ* regnaverunt decem Reges ex unâ Familiâ, & novem ex alterâ; *Meſſeniæ* pariter decem, & novem in *Arcadiâ*: unde, ſi cuique Regno tribuas, (juxta naturæ curſum,) viginti annos, circiter, conficientur ferè anni centum nonaginta. Præterea *Spartæ*, ex eo tempore ad prœlium *Thermopylarum*, regnaverunt ſeptem Reges ex unâ Familiâ, & octo ex alterâ: unde conſequimur centum quinquaginta annos, præter-propter; & hi ſuperioribus additi reditum *Heraclidarum* referunt ad annum octingenteſimum viceſimum ante CHRISTUM, circiter.

824. CEPHRENUS regnat in *Ægypto*, & conſtruit magnam aliam Pyramidem.

808. MYCERINUS ibidem regnat, & inchoat tertiam ingentem Pyramidem. Hic filiæ cadaver incluſit cavo Bovi, eámque odoraminibus quotidie colendam curavit.

804. Bellum fit inter *Lacedæmonios*, & *Athenienſes*, in quo perimitur *Athenienſium* Rex CODRUS.

802. NITOCRIS ſoror MYCERINI ei ſuccedit, & tertiam ingentem Pyramidem perficit.

794. Fit Migratio *Jonica*, Ducibus CODRI filiis.

790. PUL jacit Imperii *Aſſyrii* fundamenta.

Digitized by Google

788. ASYCHIS regnat in *Ægypto*; Condidit multâ cum magnificentiâ Orientalem partem Porticûs Templi VULCANO dicati, & vaſtam Pyramidem è lateribus compactis limo educto è lacu MOERIDIS. In plura Regna ſcinditur *Ægyptus*. Unus poſt alium regnant GNEPHACTUS, & BOCCHORIS in *Ægypto* ſuperiori; *Saide* verò STEPHANATIS, NECEPSOS, & NECHUS; ſed *Anyſi*, aut *Hanete*, ANYSIS, vel AMOSIS; ac *Bubaſte*, TACELLOTIS.

776. IPHITUS inſtaurat Olympiadas. Ex hac *Ærâ* tempora Olympiadibus diſtingui cœperunt. GNEPHACTUS regnat *Memphi*.

772. NECEPSOS, & PETOSIRIS excogitant Aſtrologiam in *Ægypto*.

760. SEMIRAMIS incipit florere. SANCHONIATHO ſcribit.

751. SABACON *Æthiops* invadit *Ægyptum*, jam diviſam in varia Regna, atque urit BOCCHORIM, obtruncat NECHUM, & fugat ANYSIM.

747. PUL, Rex *Aſſyriæ* moritur: pro eo regnant *Ninive* quidem TEGLATHPHALASSARUS, *Babylone* verò NABONASSARUS. *Ægyptii* à SABACONE ſolum mutare coacti, Aſtrologiam, & Aſtronomiam afferunt *Babylonem*, & uſi *Ægyptiis* annis inſtituunt *Æram* NABONASSARI.

740. TEGLATHPHALASSARUS Rex *Aſſyriæ* capit *Damaſcum*, & ſibi ſubmittit *Syrios*.

729. Ipſi TEGLATHPHALASSARO ſuccedit SALMANASSARUS.

721. SALMANASSARUS Rex *Aſſyriæ* in captivitatem trahit decem Tribus.

719. SENNACHERIBUS regnat in *Aſſyriâ*. ARCHIAS filius EVAGETI, *Herculeæ* Stirpis, Coloniam *Corintho* in *Siciliam* deducit, & *Syracuſas* condit.

717. TIRHAKAH regnat in *Æthiopiâ*.

714.

Digitized by Google

714. SENNACHERIBUS, magnâ clade acceptâ, in fugam vertitur ab *Æthiopibus*, & *Ægyptiis*.

715. *Medi* ab *Assyriis* deficiunt, & contra eos arma capiunt. SENNACHERIBUS interimitur; Ei succedit ASSERHADON. Is est ASSERHADON-PUL, aut SARDANAPALUS ille filius ANACINDARAXIS, aut SENNACHERIBI, qui uno die *Tarsum*, & *Anchialem* ædificavit.

710. LYCURGUS ex *Asiâ* in *Græciam* affert HOMERI poemata.

708. LYCURGUS eligitur tutor CHARILLI, aut CHARILAI, pueri Regis *Spartæ*. LYCURGUM ad IPHITI tempora revocat ARISTOTELES, ob ejus nomen Olympico Disco inscriptum. Sed Disci ludus erat ex *Quinquertio*, ideſt, quinque ludis: *Quinquertium* autem institutum fuit decimâ octavâ Olympiade. SOCRATES, & THUCYDIDES referunt *Lycurgi* leges ad annum tercentesimum ante finem belli *Peloponnesiaci*; scilicet ad annum septingentesimum quintum ante CHRISTUM.

701. SABACON, cùm quiquaginta annos Regno potitus fuisset, reliquit *Ægytum* Filio SEVECHO, aut SETHONI, qui fit VULCANI Sacerdos, & rem militarem negligit.

698. MANASSES regnat.

697. *Corinthii* primi ædificant Navigia tribus remorum ordinibus prædita, quæ vocata fuerunt *Triremes*. Ad hæc tempora *Græci* usurpaverant naves oblongas, quinquaginta remis instructas.

687 TIRHAKAH regnat in *Ægypto*.

681. ASSERHADON invadit *Babylonem*.

673. *Judæi* domiti ab ASSERHADON cum MANASSE captivi *Babylonem* deducuntur.

671. ASSERHADON invadit *Ægyptum*; quæ regenda committitur duodecim Principibus.

668. Occidentales Populi *Syriæ*, *Phœniciæ*, & *Ægypti* desciscunt ab *Assyriis*. Moritur ASSERHADON, cui SAOSDUCHINUS sufficitur. MANASSES regreditur è Captivitate.

Digitized by Google

658. PHRAORTES regnat in *Mediâ*. *Prytanes*, Regibus expulsis, dominantur *Corinthi*.

657. *Corinthii* classe *Corcyrios* superant, & hoc est vetustissimum bellorum Mare gestorum.

655. PSAMMITICUS evadit Rex totius *Ægypti*, devictis ceteris undecim Regibus, cum quibus jam regnaverat quindecim annos: Is post hanc victoriam regnavit adhuc triginta novem annos. Ex hoc tempore *Ægyptus* patuit *Joniis*. Hinc *Jonica* Philosophia, Astronomia, & Geometria.

652. Incipit primum bellum *Messenium*, quod ferbuit per viginti annos.

647. CHAROPS primus ab *Athenienſibus* in denos annos Archon eligitur. Plures ex his Archontibus mortuos esse ante decem annos exactos probabile est; tunc iis sufficiebatur alter Archon. Quapropter septem Archontes qui decem annis præfuerunt, Rempublicam gerere non potuerunt ultra quadraginta, aut quinquaginta annos. SAOSDUCHINUS Rex Assyriæ moritur, & pro eo Regnum suscipit CHYNILADON.

640. JOSIAS regnat in *Judæâ*.

636. PHRAORTES Rex *Medorum* cadit in bello contra *Assyrios*. Ei succedit ASTYAGES.

635. *Scythæ* sese conjiciunt in *Medos*, & *Assyrios*.

633. BATTUS ædificat *Cyrenem*, ubi fuerat *Irasa* urbs ANTEI.

627. *Roma* conditur.

625. NABOPOLASSARUS defciscit ab Rege *Assyriorum*, & *Babylone* regnat. PHALANTUS ducit *Parthenios* in *Italiam*, & condit *Tarentum*.

617. PSAMMITICUS diem obit. NECHAO regnat in *Ægypto*.

611. CYAXARES regnat in *Medos*.

610. Optimates *Scytharum* inter epulas obtruncantur à CYAXARE.

609.

Digitized by Google

609. JOSIAS interimitur. CYAXARES, & NABUCHODONOZORUS deſtruunt *Ninivem*, ac potentes evadunt, partiti inter ſe *Aſſyrium* Imperium.

607. CREON eſt primus *Athenienſium* Archon in annum. Inchoatur ſecundum bellum *Meſſenium*. CYAXARES compellit *Scythas* fugere ultra *Colchidem*, & *Iberiam*, ac in poteſtatem redigit *Aſſyrias* in *Armeniâ* Provincias, *Pontum*, & *Cappadociam*.

606. NABUCHODONOZORUS invadit *Syriam*, & *Judæam*.

604. NABOPOLASSARUS decedit, & ei ſuccedit Filius NABUCHODONOZORUS, qui jam duos annos cum Patre regnaverat.

600. Naſcitur DARIUS *Medus* filius CYAXARIS.

599. CYRUS naſcitur ex MANDANE Sorore CYAXARIS, & ASTYAGIS Filiâ.

596. *Suſiana*, & *Elymais* in poteſtatem rediguntur ab NABUCHODONOZORO. CARANUS, & PERDICCAS fugiunt PHIDONEM, & jaciunt fundamenta Regni *Macedonici*. PHIDONI debetur uſus Menſurarum, Ponderum, & Argenti ſignati.

590. CYAXARES bellum gerit contra ALYATTEM Regem *Lydiæ*.

588. Templum SALOMONIS comburitur à NABUCHODONOZORO. *Meſſenii* devicti *Siciliam* petunt, ibique *Meſſanam* condunt.

585. Sexto *Lydii* belli anno, die viceſimo octavo Maii, accidit totalis Eclipſis Solaris à THALETE prænuntiata, quæ finem imponit pugnæ commiſſæ inter *Medos*, & *Lydios*: Hi bellum componunt, Pacémque confirmant, datâ DARIO *Medo* CYAXARIS Filio Uxore ARIENE ALYATTIS Filiâ.

584. PHIDON ludis præeſt quadrageſimâ nonâ Olympiade.

580. PHIDON ſternitur. Duumviri *Elii* ſorte eliguuntur Præſides Ludorum Olympicorum.

572. DRACO eſt *Athenienſium* Archon, quibus leges dat.

Digitized by Google

568. *Amphyctiones*, Auctore SOLONE, bellum *Cirrhæis* inferunt, & *Cirrham* capiunt. *Amphyctionum* copias duxerunt CLISTHENES, ALCMÆON, & EUROLICUS, qui PHIDONIS æquævi fuerunt. Siquidem LEOCIDES filius PHIDONIS, & MEGACLES filius ALCMÆONIS uno eodémque tempore proci fuerunt AGARISTÆ filiæ CLISTHENIS.

569. NABUCHODONOZORUS invadit *Ægyptum*. DARIUS *Medus* regnat.

562. SOLON, *Athenienſium* Archon, iis leges condit.

557. Obit PERIANDER, & *Corinthus* à Tyrannis liberatur.

555. NABONADIUS *Babylone* regnat. Hanc Urbem ornat communítque NITOCRIS ejus mater.

550. PISISTRATUS *Athenis* Tyrannidem occupat. CROESUS, & SOLON ad colloquium accedunt.

549. HEGESTRATO Archonte *Athenienſium* decedit SOLON.

544. *Sardes* capiuntur à CYRO. DARIUS *Medus* è *Lydiis* monetis *Daricas* conficit.

538. CYRUS capit *Babylonem*.

536. DARIUS *Medus* ſuperatur à CYRO qui Imperium transfert in *Perſas*. Redeunt è Captivitate *Judæi*, & ſecundum Templum inſtituunt.

529. Moritur CYRUS; Regnum ſuſcipit CAMBYSES.

521. Regnat DARIUS Filius HYSTASPIS. Interimuntur *Magi*. Delentur variæ Religiones à diverſis *Perſidis* populis uſurpatæ, & quæ recidebant in adorationem veterum Regum; atque, curantibus HYSTASPE & ZOROASTRO, per totam *Perſidem* inſtituitur, ut unus Deus Aris ſine Templis coleretur.

520. Secundum Templum *Jeroſolymæ* ædificatur, DARIO jubente.

515. Secundum Templum perficitur, & dedicatur.

513. HARMODIUS, & ARISTOGITON è medio tollunt HYPPARCHUM PISISTRATI Filium *Athenarum* Tirannum.

508.

Digitized by Google

508. Reges *Romanorum* ejiciuntur, & Consules instituuntur.

491 Pugnatur prælium *Marathonium.*

485. XERXES regnat.

480. XERXES, *Hellesponto* trajecto, in *Græciam* navigat: Pugnatur propè *Termopylas*, & prope *Salamina.*

464. Regnat ARTAXERXES *Longimanus.*

457. ESDRAS regreditur in *Judæam.* JOHANAN JADDUÆ pater jam grandior erat, siquidem in Templo habitabat.

444. NEHEMIAS revertitur in *Judæam.* HERODOTUS scribit.

431. Incipit bellum *Peloponnesiacum.*

428. NEHEMIAS expellit MANASSEM JADDUÆ fratrem quia duxerat NICASONEM SAMBALLATI sororem.

424. DARIUS *Nothus* regnat.

422. SAMBALLATUS ædificat Templum in *Monte Garizim*, & ejus Sacerdotem maximum eligit Generum *Manassem.*

412. Hucusque Sacerdotes & Levitæ recensiti fuerant & inscripti *Judæorum* Chronicis, ante NEHEMIÆ mortem, quo tempore Sacerdos maximus erat aut JOHANAN, aut JADDUA. Hæc est finis sacræ *Judæorum* Historiæ.

405. ARTAXERXES *Mnemon* regnat. Finis imponitur bello *Peloponnesiaco.*

359. ARTAXERXES *Ochus* regnat.

338. Regnat AROGUS.

336. DARIUS *Codomannus* regnat.

332. ALEXANDER magnus sibi *Persicum* Imperium acquirit.

331. Obtruncatur DARIUS *Codomannus* ultimus Rex *Persarum.*

OPUS

Digitized by Google

Digitized by Google

OPUSCULUM XXIII.

ISAACI NEWTONI

CHRONOLOGIA

VETERUM REGNORUM

EMENDATA.

Edita LONDINI 1728.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI,

CHRONOLOGIA

VETERUM REGNORUM

EMENDATA.

CAPUT I.

De Chronologiâ priorum Sæculorum.

GRÆCORUM.

GENTES omnes, priuſquam diligentem & accuratam Temporis rationem ſervare cœperunt, ad Antiquitatum ſuarum fines proferendos fuerunt procliviores; cui ſtudio promovendo non parum conduxerunt diſputationes, quæ de ſingularum Nationum originibus, inter eas agitabantur. Docet HERODOTUS, (*a*) quòd Sacerdotes *Ægyptii* inter MENETIS, & SETHONIS Regnum, qui SENNACHERIBUM fugavit,

(*a*) Herodot. l. 2.

Digitized by Google

CAP. I. asserebant interceſſiſſe Hominum Generationes tercentas quadraginta & unam, ac totidem VULCANI Sacerdotes, totidémque Reges *Ægypti*; Idem ait, quòd tercentæ Generationes conficiunt decem annorum millia; *quia*, inquit, *tres Hominum Generationes* conficiunt centum annos, & quadraginta generationes cum unâ, quæ ſuperſunt, conficiunt mille tercentos quadraginta annos; quapropter totum tempus, quo diſtabant Regna MENETIS, & SETHONIS, aſcendebat ad undecim mille tercentos quadraginta annos. Et ſic computando, ac Diis *Ægypti* tribuendo Regna diuturniora quàm Regibus eos ſecutis, *Ægyptii* Sacerdotes, teſte HERODOTO, poſuerunt inter PANEM, & AMOSIM quindecim annorum millia, & ſeptemdecim millia inter HERCULEM, & eumdem AMOSIM. Eodem pacto *Chaldæi* ſuam Antiquitatem extulerunt; Nam, CALLISTHENES, ARISTOTELIS Auditor, mittens Obſervationes Aſtronomicas *Babylone* in *Græciam*, ait eas incipere ab anno milleſimo nongenteſimo tertio ante ALEXANDRUM Magnum. Quinimo *Chaldæi* jactabant ſe Aſtra obſervaviſſe per quatercenta ſeptuaginta tria annorum millia; neque defuerunt, qui facerent Regna *Aſſyriæ*, *Mediæ*, & *Damaſci* multò antiquiora, quàm reipſâ fuerant.

Græcorum nonnulli tempora ante OGYGEM *Ignota*, (quia nullam eorum Hiſtoriam habebant:) Quæ interceſſerunt inter OGYGIS Diluvium, & initium Olympiadum, *Fabuloſa*, (propter eorum Hiſtoriam vehementer Fabulis inquinatam:) Quæ verò initium Olympiadum ſecuta ſunt, *Hiſtorica*, (ob Hiſtoriam à Fabulis purgatam,) dixerunt. Tempora Fabuloſa, quin & Hiſtorica, per ſexaginta aut ſeptuaginta priores Olympiades, rectâ Chronologiâ carent.

Nulla fuit *Europæ* Chronologia ante *Perſicum* Imperium, & ſiquam ad antiquiora tempora pertinentem nunc habemus, eam Recentiores ratiocinando, & conjiciendo finxerunt. In hujus Monarchiæ principio, ACUSILAUS fecit PHORONEUM æquè antiquum, ac OGYGEM & ejus Diluvium, quod retulit ad annum viceſimum ſupra milleſimum ante primam Olympiadem; quod eſt illud ſtatuere annis ſexcentis octoginta, circiter, antequàm acciderit

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

acciderit : Juniores autem, has computationes tueri volentes, Regum numerum Regnorúmque diuturnitatem auxerunt. A (*b*) PLUTARCHO didicimus Philoſophos antiquitus ſolitos ſententias ſuas verſibus comprehendere : Hoc fecerunt ORPHEUS, HESIODUS, PARMENIDES, XENOPHANES; EMPEDOCLES, THALES; ſed deinde eos carmina reliquiſſe, neque Aſtronomiam contemptui fuiſſe, quòd ARISTARCHUS, TIMOCHARIS, ARISTILLUS, HIPPARCHUS eam ſolutâ Oratione deſcripſerint, poſtquàm de eâ EUDOXUS, HESIODUS, & THALES carminibus ſcripſerant. SOLON (*c*) verſibus uſus eſt, & ſeptem Sapientes Poëticæ fuerunt addicti, ut aſſerit ANAXIMENES. (*d*) Hactenus carminibus ſcripſerunt *Græci*, & quamdiu hoc fecerunt, nullam habere potuerunt Chronologiam, aut Hiſtoriam à Poëticis Fabulis prorſus immunem. PLINIUS (*e*) recenſens rerum Inventores, docet, quòd PHERECYDES *Syrius* docebat, CYRO regnante, ſermones ſolutâ oratione ſcribere; Hiſtoriam verò CADMUS *Mileſius*. Et alibi (*f*) dicit CADMUM *Mileſium* primum ſolutâ oratione uſum. Diſcimus à JOSEPHO, (*g*) quòd CADMUS *Mileſius*, & ACUSILAUS vixerunt paulò ante *Perſarum* in *Græcos* expeditionem : & SUIDAS (*h*) appellat ACUSILAUM Hiſtoricorum antiquiſſimum, & affirmat, quòd *is Genealogias deſcripſit ex æneis Tabulis, quas, ut traditur, ejus Pater invenerat in domûs Angulo.* Quæri poſſet, quiſnam eas ibi condidiſſet; Nam, *Græci* (*i*) nullas publicas Tabulas, aut Inſcriptiones habuerunt ante Leges DRACONIS. Sub DARIO HISTASPIS, aut paulò poſt, PHERECYDES *Athenienſis* ſcripſit decem libros de Antiquitatibus & veteribus Genealogiis *Athenienſium*, & eſt inter primos, & inter optimos eorum, qui de his rebus in *Europâ* ſcripſerint; unde ei nomen acceſſit *Genealogus*; & à DIONYSIO

(*b*) Plutarchus de Pythiæ Oraculo.
(*c*) Plurarch. in Solon.
(*d*) Apud Diog. Laert. in Solon. pag. 10.
(*e*) Plin. nat. hiſt. l 7. c. 56.
(*f*) Ibid l. 5. c 59
(*g*) Cont. Apion. ſub initio.
(*h*) In Ἀκουσίλαος.
(*i*) Joſeph. cont. Ap. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. *Halicarnaſſenſe* (k) dicitur nulli Genealogorum ſecundus. EPIMENIDES, non Philoſophus ille, ſed alter Hiſtoricus, ſcripſit etiam de veteribus Genealogiis: & HELLANICUS, qui duodecim annos natu major erat, quàm HERODOTUS, Hiſtoriam ſuam digeſſit per Ætates aut Succeſſiones Sacerdotum JUNONIS *Argivæ*. Alii ſecuti ſunt ordinem Archontum *Athenienſium*, aut Regum *Lacedæmoniorum*. HIPPIAS *Elæus* edidit Summarium Olympiadum quod tamen malè firmis fundamentis innitebatur, ut monet PLUTARCHUS (*l*): Scriptor hic vivebat centeſimâ quintâ Olympiade, & deriſui fuit PLATONI ob inſcitiam ſuam. Hoc Summarium nihil videtur fuiſſe, niſi brevis Catalogus eorum, qui palmam meruerant ſingulis Olympiadibus. Deinde (*m*) EPHORUS ISOCRATIS Auditor concinnavit Chronologicam *Græcæ* Hiſtoriam, cujus initium ab *Heraclidarum* in *Peloponneſum* reditu, finis autem erat ad *Perinthi* Obſidionem, quæ accidit anno viceſimo PHILIPPI patris ALEXANDRI Magni, ideſt anno ante *Perſicum* Imperium deſtructum undecimo: ſed hic (*n*) tempora per Generationes diſtribuit, uſus enim Olympiadum, aut alterius *Æræ* cujuſcunque nondum apud *Græcos* invaluerat. Marmora *Arundeliana* exſculpta fuerunt ſexaginta annis poſt ALEXANDRI Magni interitum (*An.* 4. *Olymp.* 128), & tamen nullam mentionem faciunt de Olympiadibus, aut de aliquâ aliâ *Ærâ* conſtante, ſed retrorſùm computant à tempore, quod tunc præſens erat. Sed tamen paulò poſt annorum uſus in Chronologiâ perductus fuit; & eam novo invento auxit proximâ Olympiade TIMÆUS *Siculus*, qui ſcripſit Hiſtoriam pluribus libris diſtinctam, & ad ſua uſque tempora prolatam; in quâ Olympiadibus uſus eſt, & comparavit *Ephoros*, Reges *Spartæ*, Archontes *Athenarum*, & *Argivas* Sacerdotes cum Victoribus Olympicis, ita ut Olympiades, Genealogias, & Succeſſiones Regum, ac Sacerdotum, & Poëticas Hiſtorias in continuam Seriem

(k) Dionyſ. lib. 1. initio.
(*l*) Plutarch. in Numâ.
(*m*) Diodor. l. 16. p. 550. Ed. Steph.
(*n*) Polyb. p. 379. B.

Digitized by Google

riem omnes coalescere faceret pro ingenii sui acumine; Hujus Historiæ finem excipit initium Historiæ *Polybianæ*, quæ ad posteriora tempora sese extendit. ERATOSTHENES scripsit centesimo, & insuper, anno ab ALEXANDRO Magno mortuo; Hunc secutus est APOLLODORUS; & ambos Chronologi posteriores. Chronologia Græcorum.

Sed, quàm incerta sit eorum Chronologia, quàm dubia visa fuerit *Græcis* illorum temporum, intelligere licet ex hoc PLUTARCHI loco. (o) *Nonnulli, inter quos est* ARISTOTELES *Philosophus, putant* LYCURGUM *vixisse eodem tempore, quo* IPHITUS, *ejúsque socium fuisse in Olympicis Ludis ordinandis, argumentum ducentes ex Disco Olympico, cui* LYCURGI *nomen inscriptum erat. Alii, tempora supputantes ex successionibus Regum* Lacedæmonis, *ut* ERATOSTHENES *&* APOLLODORUS, *affirmant eum vixisse non paucos annos ante primam Olympiadem.* Florere cœpit decimâ septimâ, vel decimâ octavâ Olympiade, deinde ARISTOTELES eum vivere facit primâ Olympiade; cui consentit EPAMINONDAS, ut ÆLIANUS & PLUTARCHUS referunt; & postremò ERATOSTHENES, APOLLODORUS, & eorum Sectatores existimant eum fuisse plusquàm centum annis ante primam Olympiadem. Alibi verò PLUTARCHUS (p) ait: *Opinantur aliqui se posse Chronologicis rationibus demonstrare* SOLONEM *nunquam* CROESUM *vidisse. Sed à me nunquam impetrare potui, ut narrationem tam illustrem, tot Testibus confirmatam &, (quod majus est,) tam pulchrè cum* SOLONIS *moribus consentientem, ac tam dignam ejus magnanimitate & sapientiâ, rejicerem ob aliquos Chronologicos, quos dicunt, Canones; quos, licèt aliquot Auctorum centena emendaverint, ad id perducere nemo potuit, ut aliquid certitudinis haberent, & sibimet ipsi constarent.*

Chronologia *Latinorum* adhuc incertior est. Juxta PLUTARCHUM (q) densis tenebris obsitæ sunt Origines *Romanæ*. Nec diversa

(o) In vitâ Lycurgi sub initio.
(p) In Solone.
(q) Plutarch. in Romulo, & Numâ.

Digitized by Google

CAP. I. diversa habet SERVIUS (*r*). Veteres *Latinorum* Commentarii à *Gallis* (*s*) incensi perierunt anno vicesimo supra centesimum post Regisugium, & sexagesimo quarto ante mortem ALEXANDRI Magni: at QUINTUS FABIUS PICTOR (*t*) antiquissimus inter *Latinos* Historicos vixit centesimo anno post hunc Regem, & ferè omnia à DIOCLE *Peparethio Græco* mutuatus est. Recentiores sunt Chronologi *Galliæ*, *Hispaniæ*, *Germaniæ*, *Scythiæ*, *Suediæ*, *Britanniæ*, & *Hiberniæ*. Nam, *Scythæ* ultra *Danubium* literis caruerunt usque ad ULPHILAM eorum Episcopum, qui anno, circiter, sexcentesimo ab ALEXANDRO Magno mortuo literas eis confecit; *Germania* verò nullas habuit, antequàm eas recepit ab Occidentali *Latinorum* Imperio, post ejusdem Regis interitu septingentis, & amplius, annis. Eas adhuc ignorabant *Hunni* cùm PROCOPIUS vigeret, ideſt, octingentesimo quinquagesimo post ejusdem Regis obitum, & post *Hunnos* illas acceperunt *Sueci*, & *Norvegæ*. Nec multum fidei merentur res, quæ dicuntur gestæ centum aut ducentos annos ante literas receptas.

Asserit DIODORUS (*v*) in Historiæ suæ principio, quòd tempora ante bellum *Trojanum* certis finibus non circumscripserat, quia nullum habebat satis firmum fundamentum, quo inniteretur, sed quòd à *Trojano* bello ad *Heraclidas* in *Peloponnesum* reversos elapsi fuerunt, (juxta computationem APOLLODORI, quam ipse secutus erat,) octoginta anni: & tercenti cum viginti & octo ab hac Periodo ad primam Olympiadem, deductâ ratione à Regibus *Lacedæmonum*. De octoginta annis positis inter bellum *Trojanum*, & *Heraclidarum* reditum, APOLLODORUS secutus est ERATOSTHENEM, & uterque THUCYDIDEM: sed de tercentis viginti & octos annis ab hoc reditu ad primam Olympiadem, DIODORUS monet hæc tempora computata fuisse à Regibus *Lacedæmonum*; & PLUTARCHUS (*x*) APO-

(*r*) In Æneide 7. v. 678.
(*s*) Diodor. l. 1.
(*t*) Plutarchus in Romulo.
(*v*) Lib. 1. in Procemio.
(*x*) Plutarchus in Lycurgo sub initio.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Apollodorum, Eratosthenem, & alios ſecutos eſſe hanc computationem: cùm autem ea hactenus recepta fuerit à Chronologis, & cùm confecta fuerit ratione ſubductâ ex Regibus *Lacedæmonum*, ideſt, ex eorum numero, illam ad trutinam revocemus.

Putaverunt *Ægyptii* Regum Regna æquipollere Hominum Generationibus, & tres Generationes implere centum annos, ut ſupra diximus: idem crediderunt *Græci*, & *Latini*: & idcirco poſuerunt ſuos Reges regnâſſe, unum altero penſando, ſingulos triginta tres annos, & inſuper. Nam, tribuunt ſeptem Regibus, qui *Romam* rexerunt ante Conſules ducentos quadraginta quatuor annos, ideſt, ſingulis triginta quinque: Duodecim primis *Sicyonis* Regibus; Ægialeo, Europi, &c. annos undetriginta ſupra quingentos, nempe unicuique quadraginta quatuor: Octo prioribus *Argorum* Regibus, Inacho, Phoroneo, &c. unum ultra tercentos ſeptuaginta, ideſt plus quàm quadraginta ſex cuique: Sed, inter *Heraclidarum* in *Peloponneſum* reditum, & finem primi belli *Meſſenici*, *Spartæ* quidem fuerunt ex unâ Familiâ decem Reges, Eurysthenes, Agis, Echestratus, Labotas, Doryagus, Agesilaus, Archelaus, Teleclus, Alcamenes, & Polydorus: ex aliâ novem; Procles, Sous, Eurypon, Prytanis, Eunomus, Polydectes, Charilaus, Nicander, Theopompus: Item decem *Meſſeniæ*; Cresphontes, Epytus, Glaucus, Isthmius, Dotadas, Sibotas, Phintas, Antiocus, Euphaes, Aristodemus: In *Arcadiâ* autem novem; Cypselus, Olæas, Buchalion, Phialus, Simus, Pompus, Æginета, Polymnestor, Æchmis, quorum Regna, juxta Chronologos, compleverunt annos tercentos ſeptuaginta novem, quod pro decem Regibus recidit ad annos octo & triginta pro ſingulis, & ad duos & quadraginta pro novem. Et quinque Reges Eurysthene prognati, qui fuerunt inter finem primi belli *Meſſenici*, & initium Regni Darii Hystaspis; videlicet Eurycrates, Anaxander, Eurycrates

Digitized by Google

CAP. I. II. LEON, ANAXANDRIDES, regnaverunt per annos duos & ducentos, ideſt, pluſquam quadraginta annos ſinguli.

Itaque *Græci* Chronologi TIMÆUM, & ERATOSTHENEM ſecuti, diverſarum *Græcarum* Urbium Regibus, qui vixerant ante *Perſicum* Imperium, ſingulis tribuerunt triginta quinque aut quadraginta annos, circiter, quæ Regnandi diuturnitas adeò præter naturam eſt, ut credi nequeat. Nam juxta naturæ curſum, ſinguli Reges, unum alio penſando, Regnum obtinent per duodeviginti, aut viginti annos: &, ſi aliquibus exemplis apparet nonnullos hoc ſpatium prætergreſſos quinque aut ſex annis, aliis exemplis conſtat alios Reges multò brevius Regnum ſortitos eſſe; medium eſt ſpatium duodeviginti, aut viginti annorum. Sic octodecim Reges JUDÆ, qui SALOMONEM ſecuti ſunt, Regnum gubernârunt tercentos nonaginta annos, ideſt, ſinguli duos & viginti. Quindecim Reges *Iſraelis* poſt *Salomonem* regnaverunt ducentos quinquaginta novem annos, ideſt, quiſque decem & ſeptem annos cum quadrante. Duodeviginti Reges *Babylonis*; NABONASSARUS, &c. Regno potiti ſunt ducentos novem annos, vel ſinguli undecim annos & menſes octo. Decem Reges *Perſidis*; CYRUS, CAMBISES, &c. octo ſupra ducentos annos, videlicet, quiſque unum & viginti. Sexdecim Reges, qui ALEXANDRO Magno, ejúſque Fratri, & Filio ſucceſſerunt in *Syriâ*; SELEUCUS, ANTIOCHUS *Soter*, &c. regnaverunt ducentos quadraginta quatuor annos poſtquam hæc Monarchia in plura Regna fuit diducta, ſcilicet quiſque annos quindecim cum quadrante. Undecim Reges *Ægypti*; PTOLOMÆUS LAGI, &c. incipiendo computationem ex eâdem Periodo, regnaverunt ducentos ſeptuaginta ſeptem annos, nempe ſinguli viginti quinque. Octo *Macedoniæ*; CASSANDER, &c. regnaverunt centum triginta & octo annos, vel ſinguli ſeptemdecim cum quadrante. Triginta Reges *Angliæ*; WILLIELMUS *Conquiſitor*, WILLIELMUS *Rufus*, &c, regnaverunt ſexcentos quadraginta & octo annos, vel ſinguli unum ſupra viginti cum ſex menſibus. Viginti quatuor primi *Galliæ* Reges; PHARAMUNDUS, &c, Regnum tenuerunt quatercentos quinquaginta & octo annos, ideſt, quiſque unde-

Digitized by Google

undeviginti: Proximi vigintiquatuor *Galliæ* Reges; LUDOVICUS *Balbus*, &c, unum & quinquaginta ſupra quatercentos, nempe quiſque duodeviginti & menſes novem: Quindecim ſequentes; PHILIPPUS *Valeſius*, &c; tercentos quindecim annos, aut ſinguli unum & viginti; & omnes hi ſexaginta tres *Galliæ* Reges, annos mille ducentos viginti quatuor, ſive quiſque undeviginti & ſex menſes. Singulæ Generationes à patre ad filium extendi poſſunt ad tres aut quatuor annos ſupra triginta, unam aliâ penſando, ideſt, tres Generationes ad centum annos, circiter: Sed ſi procederetur per filios natu majores, eæ forent breviores, & tres ultra ſeptuaginta vel octoginta annos non conficerent: quibus adhuc brevius eſt tempus, per quod Reges Regno potiuntur; nam, Regibus ſuccedunt tum filii natu maximi, tum aliquando fratres; aliquando etiam Reges ipſi interimuntur, aut Regno pelluntur, & in eorum locum ſufficiuntur Viri iiſdem æquævi, aut etiam ſeniores, præſertim in Regnis turbulentis, & in quibus Reges non naſcuntur, ſed eliguntur. In recentioribus ſæculis, quorum habetur Chronologia diligens & accurata, rarò occurrunt decem Reges, qui continuâ Serie Regnum obtinuerint per ducentos ſexaginta, & plures annos: Sed TIMÆUS, & qui eum ſecuti ſunt, &, puto, etiam aliqui ex his qui ante eum fuerunt, *Ægyptios* imitati, Regna pro Generationibus acceperunt, tres Generationes ad centum, & aliquando ad centum viginti annos produxerunt, & huic computationi Technicam *Græcorum* Chronologiam ſuperſtruxerunt. Regnorum diuturnitas ad naturam revocetur, ideſt, cuique Regno tribuantur duodeviginti, aut viginti anni, tunc decem Reges *Spartæ* ex unâ Familiâ, novem ex aliâ; Decem *Meſſeniæ* Reges, & novem *Arcadiæ*, quos ſupra diximus regnaviſſe ab *Heraclidarum* reditu in *Peloponneſum* ad primi belli *Meſſenici* finem vix ſuppeditabunt plures, quàm octoginta vel nonaginta ſupra centum annos, cùm tamen juxta Chronologos ſufficiant annos tercentos ſeptuaginta novem.

Chronologia Græcorum.

Digitized by Google

CAP. I. Hanc computandi rationem confirmaturus, addam aliud argumentum. EURYLEON filius ÆGEI (*y*) duxit Robur Exercitûs *Meſſenici* quinto primi belli *Meſſenici* anno, & erat ex quintâ Generatione ab OIOLICO Filio TERÆ, qui ſororem ARISTODEMI duxerat, & fuerat Tutor ejus filiorum EURISTHENIS, & PROCLIS, ut PAUSANIAS (*z*) ait: ideo inter *Heraclidarum* reditum, qui accidit THERA vivente, & pugnam, quæ commiſſa fuit quinto illius belli anno interceſſerunt ſex Generationes, quæ, ut opinor, cùm plerunque procederent per filios natu maximos, ſingulæ vix excedere poſſunt triginta annos; & hoc pacto conficiunt ſeptuaginta vel octoginta ſupra centum annos. Arſit bellum *Meſſenicum* per undeviginti aut viginti annos, quorum ultimos quindecim adde his, quos jam invenimus, & perſpicies illius belli finem cadere in anno 190. circiter, ab *Heraclidarum* reditu: cùm hi qui TIMÆUM ſequuntur, eam ponant ultra annum 379., unde conficiuntur ſexaginta, & plures anni pro quâque Generatione.

Hoc pacto Chronologi produxerunt tempus, quo *Heraclidarum* reverſio in *Peloponneſum* diſtat à primo bello *Meſſenico*, additis 190. annis, circiter: Sed & hoc bellum ab ortu *Perſici* Imperii plus æquo diſſitum fecerunt. Nam ex eâ Regum *Spartanorum* Familiâ, cujus Auctor fuerat EURISTHENES, Regno poſt POLIDORUM potiti ſunt hi Reges. (*a*) EURYCRATES, ANAXANDER, EURYCRATIDES, LEON, ANAXANDRIDES, CLEOMENES, LEONIDAS, &c; Et ex alterâ Familiâ, cujus Auctor PROCLES, hi poſt THEOPOMPUM (*b*) regnaverunt ANANDRIDES, ARCHIDEMUS, ANAXILEUS, LEUTYCHIDES, HIPPOCRATIDES, ARISTON, DEMARATUS, LEUTYCHIDES II, &c; juxta HERODOTUM. Hi Reges dominati ſunt uſque ad ſextum XERXIS annum, quo LEONIDAS occiſus fuit à *Perſis* ad *Thermopylas*; & paulò poſt LEUTYCHIDES II. *Spartâ Tegeam* profectus, ibi diem ultimum obiit.

(*y*) Pauſan. l. 4. c. 13. p. 28, & c. 7. p. 296; & l 3. c. 15. p. 245.
(*z*) Pauſan. l 4. c 7. p. 296.
(*a*) Herodotus. L. 7.
(*b*) Herodotus. L. 8.

Digitized by Google

obiit. Septem Regna eorum *Spartæ* Regum, qui POLYDORO succeſſerunt, addita Regnis decem ſupra relatis, & quorum primo potitus eſt EURISTHENES, conficiunt ſeptemdecim Regum dominationes, quibus *Heraclidarum* regreſſus in *Peloponneſum* diſtat à ſexto XERXIS anno; & octo Regna poſt THEOPOMPUM, adjecta novem ſupra relatis, & quorum primum ſortitus eſt PROCLES, faciunt itidem ſeptemdecim Regna; quæ, (ſingulis tribuendo viginti annos) occupant tercentos quadraginta annos. Hos numera à ſexto XERXIS anno verſùs antiquiora tempora, & adde unum, aut alterum, ob *Heraclidarum* bellum, & ARISTODEMI, patris EURISTHENIS, & PROCLIS Regnum; & comperies *Heraclidas* in *Peloponneſum* regreſſos anno 159. poſt SALOMONIS mortem, & anno 46. ante primam Olympiadem, in quâ Victor fuit CORÆBUS. Sed TIMÆUM ſecuti hunc reditum ſtatuerunt ducentis octoginta annis antequàm oportebat. Cùm autem hac computandi ratione *Græci* ſuperſtruxerint, (ut didicimus ex DIODORO, & PLUTARCHO,) Chronologiam Regnorum, quæ *Perſicum* Imperium Antiquitate ſuperabant; hæc Chronologia corrigenda eſt, breviatis temporibus, quæ CYRI mortem præcedunt, in ratione ferè ſubduplâ; nam in temporibus, quæ CYRI mortem ſequuntur, non admodum erratum fuit. Chronologia Græcorum.

Technici Chronologi tranſtulerunt LYCURGUM Legiſlatorem ad tempora IPHITI, qui Olympiades inſtauravit; IPHITUM verò fecerunt centum & duodecim annis antiquiorem primâ Olympiade: & hanc hypotheſim ſubfulturi, commenti ſunt viginti octo Olympiades, quas ponunt ante primam, in quâ victor fuit CORÆBUS. Sed hæc ficta fuerunt poſt THUCYDIDEM, & PLATONEM; nam SOCRATES mortuus eſt tertio anno poſt finem belli *Peloponneſiaci*, & PLATO (*c*) introducit eum dicentem, quòd LYCURGI *inſtituta ſtabant à tercentis annis, aut non multo pluribus.* Et (*d*) THUCYDIDES, (legendo ut STEPHANUS,) ait, quòd *Lacedæmonii ab antiquis temporibus ha-*

(*c*) Plato in Minoe.
(*d*) Thucyd. l. 1. p. 13.

Digitized by Google

CAP. I. *buerunt juſtas leges, & immunes à Tyrannis fuerunt; & quòd, ex quo Remp. uno eodémque modo regere cœperant ad finem belli Peloponneſiaci erant anni tercenti, & paulò plures.* Retrorſum computa tercentos annos à fine belli *Peloponneſiaci*, & perſpicies LYCURGUM leges tuliſſe in decimâ nonâ Olympiade; quòd juxta SOCRATEM, fieri potuit in viceſimâ ſecundâ, aut tertiâ. ATHENÆUS (*e*) docet ex veteribus Scriptoribus, (HELLANICO, SOSIMO, & HIERONYMO,) quòd LYCURGUS Legislator vivebat eo tempore, quo THERPANDER Muſicus; & quòd THERPANDER primus palmam demeruerat in *Carneâ*, in Muſico certamine his ludis addito, ſextâ & viceſimâ Olympiade: Is quater vicit in *Pythicis*, & idcirco vixit, ſaltem, ad viceſimam nonam Olympiadem uſque: & cùm florere cœpiſſet vivente LYCURGO, veroſimile non eſt LYCURGUM florere cœpiſſe admodum ante duodeviceſimam Olympiadem. Ex LYCURGI nomine Diſco inſcripto, deducit ARISTOTELES LYCURGUM IPHITI adjutorem fuiſſe in Olympicis ludis inſtaurandis: & hoc ratiocinium poteſt eſſe fundamentum ſententiæ Chronologorum, qui LYCURGUM, & IPHITUM ad idem tempus referunt. Sed IPHITUS non totos Olympicos ludos reparavit; equidem curſum (*f*) reſtituit in primâ Olympiade, in quâ vicit CORÆBUS. Decimâ quartâ duplex *ſtadium* additum fuit; vicit HYPOENUS. In decimâ octavâ acceſſerunt *Quinquertium* & *Palæſtra*; vicerunt LAMPUS, & EURYBATUS ambo *Spartani*: Diſcus autem erat ex ludis Quinquertiis. Docet PAUSANIAS, (*g*) quòd tres Diſci aſſervabantur in Olympico Ærario in *Altide*: igitur ex his quibus LYCURGI nomen inſcriptum erat, patet quòd eos LYCURGUS donaverat, cùm Quinquertium inſtitueretur Olympiade decimâ octavâ. POLYDECTES autem Rex *Spartæ*, qui interemptus fuit antequàm filius ejus CHARILLUS, aut CHARILAUS natus erat, Regnum reliquit fratri *Lycurgo* qui, nato CHARILLO, ejus Tutelam ſuſcepit; &

(*e*) Athen. l. 14 p. 605.
(*f*) Pauſan. l. 5 c. 8.
(*g*) Pauſan. l. 6. c. 19.

Digitized by Google

& poſt octo menſes, circiter, peregrinavit in *Cretâ*, & *Aſiâ*, quoad Puer adoleverat, & ſecum attulit HOMERI poemata; & paulò poſt ſuas leges vulgavit, puta, Olympiade ſecundâ, aut tertiâ ſupra viceſimam; jam enim ad ſenectutem vergebat: TERPANDER autem erat Poeta Lyricus, & innoteſcere cœpit circa hæc tempora; eſt enim (*b*) ORPHEUM, & HOMERUM imitatus, & HOMERI carmina ſimul cum ſuis cecinit, ac carminibus comprehendit LYCURGI leges, & in *Pythicis* ludis Palmam obtinuit Olympiade viceſimâ ſextâ, ut jam diximus. Is primus diſtinxit variis nominibus modos lyricæ Muſices. Paulò poſt ARĐALUS, & CLONAS idem fecerunt in tibiis; & ex hoc tempore *Græcia* debuit Ludis Pythicis nuper inſtitutis plures eximios Muſicos, & Poetas, quales fuerunt ARCHILOCUS, EUMELUS *Corinthius*, POLIMNESTUS, THALETAS, XENODEMUS, XENOCRITUS, SACADAS, TYRTÆUS, TLESILLA, RHIANUS, ALCMAN, ARION, STESICHORUS, MIMNERMUS, ALCÆUS, SAPPHO, THEOGNIS, ANACREON, IBYCUS, SIMONIDES, ÆSCHILUS, PINDARUS, qui *Græcorum* Muſicem, & Poeſim perfecerunt. Chronologia Græcorum.

Leges ſuas divulgavit LYCURGUS regnante AGESILAO, qui patri DORIAGO ſucceſſerat, & erat è Regiâ Familiâ, cujus Auctor EURISTHENES. Sex Reges regnaverant ab *Heraclidarum* reditu in *Peloponneſum* ad finem Regni AGESILAI. Ex alterâ Regiâ Familiâ PROCLIS ſex pariter Reges regnaverant ab eodem regreſſu ad finem Regni POLYDECTIS; quæ Regna, unicuique tribuendo viginti annos, conficiunt annos centum viginti, præter breve Regnum ARISTODEMI Patris EURISTHENIS, & PROCLIS, quod ſe ad unum, aut alterum annum extendere poteſt: Nam ARISTODEMUS Regno potitus eſt, ut (*i*) HERODOTUS, & ipſi *Lacedæmones* affirmant. Pro certo non ſcimus quando AGESILAUS, & POLYDECTES mortui ſunt; ſed cenſendum videtur, quòd LYCURGUS Ludis Olympicis ſe non immiſcuit, antequàm ad Regnum pervenit; & idcirco,

(*h*) Plutarch. de Muſicâ. Clemens Strom. l. 1. p. 308.
(*i*) Herodotus. l. 6. c. 52.

Digitized by Google

CAP. I. circo, quòd POLYDECTES mortuus est sub initio decimæ octavæ Olympiadis, aut paulò antea. Si ponatur vicesima Olympias æquè, aut quàm proximè, distare à morte utriusque Regis POLYDECTIS, & AGESILAI, & ex hoc tempore versùs antiquiora dinumerentur centum viginti anni, de quibus meminimus, & unus addatur pro ARISTODEMI Regno; hæc computandi ratio nobis sistet *Heraclidarum* reditum ad annum quadragesimum quintum ante initium Olympiadum.

IPHITUS, qui ludos Olympicos restituit, (*k*) descendebat ab OXILO filio HÆMONIS, filii THOANTIS, filii ANDRÆMONIS: HERCULES autem, & ANDRÆMON duas sorores duxerant: THOAS bello *Trojano adfuit*: OXILUS *cum Heraclidis* in *Peloponnesum* regressus est. In hoc reditu Dux fuit *Æiolorum* & *Elidem* recuperavit, (*l*) unde ÆTOLUS filius ENDYMIONIS filii ÆTHLII, unus ex ejus majoribus, expulsus fuerat à SALMONEO HELLENIS nepote. *Heraclidæ*, cùm OXILUM diligerent, ei curam Templi Olympici ipsis commissi, crediderunt; qui insuper se jurejurando obstrinxerunt ad *Elidem* tutam ab invasionibus præstandam, eámque totis viribus defendendam: *Elais* ita consecratis, OXILUS Ludos Olympicos restituit: &, cùm rursus intermissi fuissent, IPHITUS (*m*) eorum Rex illos instauravit & quoque quarto anno recurrere jussit. IPHITUS iste ab aliquibus putatur filius HÆMONIS, ab aliis verò ejusdem nepos ex filio PRAXONIDA: sed, cùm HÆMON fuerit OXILI pater, ego existimo IPHITI patrem fuisse PRAXONIDAM filium OXILI, filii HÆMONIS. Hinc conficitur *Heraclidas* in *Peloponnesum* rediisse ante primam Olympiadam duabus Generationibus per filios natu maximos procedentibus, vel, circiter, annis duobus & quinquaginta.

PAUSANIAS (*n*) asserit MELAM filium ANTISSI ex nepotibus GONUSSÆ filiæ SICYONIS, non vixisse plusquam sex Generationibus ante CYPSELUM *Corinthi* Regem, & esse æquævum ALE-

(*k*) Pausan. l. 5. c. 4.
(*l*) Pausan. l. 5. c. 1. 3. 8. Strabo. l. 8. p. 357.
(*m*) Pausan. l. 5. c. 4.
(*n*) Pausan. l. 5. c. 18.

Digitized by Google

vum ALETIS, qui cum *Heraclidis* in *Peloponnesum* revertit. CYPSELUS Regnum capessivit anno secundo Olympiadis tricesimæ primæ juxta Chronologos; & sex Generationes, quarum singulæ implent triginta annos, corrotundant annos centum octoginta, quibus versùs antiquiora tempora dinumeratis ab secundo Olympiadis tricesimæ primæ anno, Reditus *Heraclidarum* in *Peloponnesum* transferetur ad quinquagesimum octavum annum ante primam Olympiadem. Sed, adeò antiquus non esset, si initium Regni CYPSELI recentius esset tribus, aut quatuor Olympiadibus; CYPSELUS autem regnavit ante initium *Persici* Imperii. Chronologia Græcorum.

HERCULES *Argonauta* pater fuit HYLLI, patris CLEODII, patris ARISTOMACHI, patris TEMENI, CRESPONTIS, & ARISTODEMI, qui *Heraclidas* in *Peloponnesum* reduxit: Et EURYSTHEUS, qui HERCULI æquævus fuit, occisus fuit cùm primùm *Heraclidæ* redire tentârunt; HYLLUS, cùm iterum; CLEODIUS, cùm tertiò; cùm quartò ARISTOMACHUS; & ARITODEMUS interiit statim ab eorum reditu, & *Spartæ* Regnum reliquit duobus filiis EURISTHENI, & PROCLI. Hinc liquet eos regressos esse quatuor Generationibus post expeditionem *Argonautarum*: Hæ autem Generationes breviores fuerunt, quia per filios natu majores; ac ab his non dissentiunt THUCYDIDES, & Veteres, qui statuunt *Trojæ* excidium ad sexagesimum quintum, aut octogesimum annum ante *Heraclidas in Peloponnesum* reduces; excidio autem *Trojæ Argonautarum* expeditionem unâ Generatione antiquiorem fuisse affirmant. Adde igitur octoginta annos illi, quo *Heraclidæ* in *Peloponnesum* redierunt, & reperies *Trojam* captam septuagesimo sexto anno, circiter, post SALOMONIS interitum: & quadragesimo tertio post eundem accidit expeditio *Argonautica* unâ Generatione vetustior. Vix autem octoginta annis excidium *Trojæ* distare potest ab *Heraclidarum* reditu; nam, quo tempore *Troja* capta fuit, adhuc puer erat ORESTES AGAMEMNONIS filius, & ORESTIS filii PENTHILUS, & TISAMENUS vivebant, cùm *Heraclidæ* regressi sunt.

Digitized by Google

CAP. I. Æsculapius, & Hercules fuerunt inter *Argonautas*; & Hippocrates per patrem decimus octavus erat ab Æsculapio, & per matrem decimus nonus ab Hercule; Verisimile autem est has Generationes, utpote quæ apud Scriptores celebres sint, processisse per Familiarum Principes, & idcirco per natu majores; quapropter earum singulis tribui possunt duodetriginta, vel, ut plurimum, triginta anni. Et, medio numero sumpto inter eum, quem suppeditant septemdecim intervalla per patrem, & quem octodecim per matrem, habebimus circiter septem supra quingentos annos; qui retrorsum computati ab initio belli *Peloponnesiaci*, (tunc enim Hippocrates florere cœpit,) nos adducent ad annum quadragesimum tertium post Salomonis mortem, cui assigno expeditionem *Argonautarum*.

Romani, devictis *Carthaginiensibus*, potiti sunt Tabulariis *Carthaginis*: unde didicit Appianus, quòd numeris rotundis tradidit in suâ *Punici* belli Historiâ, *Carthaginem* scilicet stetisse septingentos annos: Et Solinus (*o*) accuratum tradit horum annorum numerum, his verbis: *Adrymeto, atque Carthagini Auctor est à Tyro populus. Urbem istam, ut* Cato *in Oratione Senatoriâ autumat, cùm Rex* Hiarbas *rerum in Libyâ potiretur*, Elissa *Mulier exstruxit, domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit Civitatem novam; Mox sermone verso Carthago dicta est, quæ post annos septingentos triginta septem exciditur, quàm fuerat exstructa.* Ipsa Dido est Elissa, & *Carthago* destructa fuit Lentulo, & Mummio Coss, anno *Julianæ Periodi* 4568. Hinc retrorsum computata septingentos triginta septem annos, ac *Encænia*, sive Urbis Dedicatio, recident in decimum sextum annum Pygmalionis fratris Didonis, & Regis *Tyri*. Hæc fugam arripuerat septimo Pygmalionis anno, sed Urbis Æra principium duxit à suis Encæniis. Sed Virgilius, & ejus Scholiastes Servius, qui facilè multa desumpserunt ex *Tyri*, ac *Cypri*, æquè ac ex *Carthaginis* Tabulariis, narrant, quòd Teucer *Cyprum* venit, vivente Didone, & paulò ante quàm Regnum ad

(*o*) Solinus. c. 30.

Digitized by Google

ad fratrem ſuum PYGMALIONEM recideret; & quòd TEUCER cum DIDONIS patre *Cyprum* occupavit, & CINYRAM exegit: Marmora verò docent TEUCRUM *Cyprum* adveniſſe ſeptimo anno poſt *Trojæ* excidium, & in *Cypro Salaminem* condidiſſe: Sed APOLLODORUS aſſerit, quòd CINYRAS duxit METHARMEM filiam PYGMALIONIS, & *Paphum* ædificavit. Quapropter, ſi *Romani* ſub AUGUSTO non omnino ſecuti ſunt Technicam ERATOSTHENIS Chronologiam, ſed hæc deſumpſerunt ex Commentariis *Carthaginienſibus*, *Cypriis*, *aut Tyriis*; TEUCER *Cyprum* devenit Regnante PYGMALIONIS Prædeceſſore, & idcirco *Troja* cecidit ſeptuageſimo ſexto anno, circiter, poſt SALOMONIS deceſſum. Chronologia Græcorum.

Aſſerit DIONYSIUS *Halicarnaſſenſis*, (p) quòd, dum bellum *Trojanum* gerebatur, LATINUS erat Rex ABORIGINUM in ITALIA, *& quòd decimâ ſextâ Ætate* poſt hoc bellum ROMULUS *Romam* condidit. Cùm dicit *Ætates*, intelligit Regum *ſucceſſiones*, nam, poſt LATINUM enumerat decem & ſex *Latinorum* Reges, quorum ultimus eſt NUMITOR, quo vivente Romam condidit ROMULUS; Hic eodem tempore vixit, quo NUMITOR, & ab eo ad Conſules inſtitutos DIONYSIUS aliique ponunt ſex Reges *Romæ*. Hæc viginti duo Regna, tribuendo ſingulis duodeviginti annos, circiter, nam plures ex his Regibus enecti fuerunt, conficiunt tercentos nonaginta ſex annos, qui à Conſulatu duorum priorum Conſulum JUNII BRUTI, & VALERII PUBLICOLÆ, retrorſum computati, referunt bellum *Trojanum* ad ſeptuageſimum octavum annum poſt SALOMONIS *mortem*.

Expeditio SESOSTRIS unâ Generatione præceſſit *Argonautarum* expeditionem; Cùm enim SESOSTRIS *Ægyptum* repeteret ÆETEM in *Colchide* reliquit, qui hanc Regionem gubernavit uſque ad *Argonauticam* expeditionem; & PROMETHEUS à SESOSTRI relictus fuit cum exercitu ad montem *Caucaſum*, ut fauces cuſtodiret, & triginta annos poſtquàm relictus fuerat, dimiſſus fuit ab HERCULE *Argonautâ*: PHLYAS, & EUMEDON, filii

(p) Dionyſius. L. 1. p. 15.

Digitized by Google

CAP. I. filii magni BACCHI, (ſic enim Poëtæ SESOSTRIM vocant,) & ARIADNÆ MINOIS filiæ fuerunt ex *Argonautis*. Regreſſo in *Ægyptum* SESOSTRI, DANAUS ejus frater illum fugiens venit in *Græciam* cum ſuis quinquaginta filiis, longâ navi vectus, ad cujus exemplum conſtituta fuit navis *Argo*; & ARGUS DANAI filius fuit magiſter Fabrorum illorum, qui eam ædificaverunt. NAUPLIUS *Argonauta* in *Græciâ* natus eſt ex AMYMONE DANAI filiâ, & ex NEPTUNO fratre & Præfecto Claſſibus SESOSTRIS: Duæ aliæ DANAI filiæ nupſerunt ARCHANDRO, & ARCHILITI filiis, ACHÆI filii CREUSÆ, filiæ ERECHTHEI Regis *Athenarum*: Igitur *Danaides* fuerunt tribus Generationibus recentiores, quàm ERECHTHEUS; quapropter eæ vixerunt eodem tempore, quo THESEUS filius ÆGEI, quem ſibi in filium adoptaverat PANDION ERECHTHEI filius. Cùm *Argonautæ* ad expeditionem ſuam proficiſcerentur, THESEUS quinquaginta, circiter, annos natus erat, venerat igitur in lucem circiter triceſimum tertium SALOMONIS annum: Nam, THESEUS quinquaginta annos natus HELENAM rapuerat (*q*) ſtatim ante hanc expeditionem. HELENA tunc ſeptem, vel, ut qui plurimos dicunt, decem annos nata erat; Ad quam rapiendam THESEUS ſocio uſus eſt PIRITHOO filio IXIONIS, & deinde ſemet ipſe (*r*) ſocium præbuit PIRITHOO rapere tentanti PERSEPHONEM filiam AIDONEI, vel ORCI *Moloſſorum* Regis, & ambo in facinore ipſo capti ſunt: & dum THESEUS in vinculis detinebatur, CASTOR, & POLLUX ex *Argonauticâ* expeditione reverſi HELENAM ſororem liberaverunt, & ÆTHRAM THESEI matrem captivam abduxerunt. Igitur, cùm *Danaides*, quo THESEUS tempore, vixerint, & cùm nonnulli ex earum filiis inter *Argonautas* fuerint, oportet DANAUM, ejúſque filias SESOSTRIM fugientes in *Græciam* veniſſe unâ Generatione, circiter, ante *Argonautarum* expeditionem, & idcirco SESOSTRIM in *Ægyptum* regreſſum eſſe ROBOAMO regnante. Ille ex

(*q*) Apollon. Argonaut. l. 1. v. 101.
(*r*) Plutarch. in Theſeo.

Digitized by Google

ex *Ægypto* profectus est quinto ROBOAMI anno, (s) & annos novem consumpsit bella gerendo in *Græciam*, & orientales Gentes; quare ejus in *Ægyptum* reditum incidit in decimum quartum ROBOAMI annum. Igitur in *Ægypto* regnaverunt uno eodémque tempore SESACUS & SESOSTRIS; & hi duo Reges non solùm tempore, sed & rebus gestis, & Regionibus devictis conveniunt. Deus SESACO dederat ממלכות הארצות. *Regna terrarum.* 2. Chron. XII. Ubi HERODOTUS describit SESOSTRIS expeditionem, JOSEPHUS (t) asserit eum descripsisse expeditionem SESACI, & hujus gesta SESOSTRI tribuisse in Regis nomine solùm errantem. Nomina autem sæpè corrupta in Historiis occurrunt: SESOSTRIS aliter appellabatur SESOCHRIS, SESOCHIS, SESOOSIS, SETHOSIS, SESONCHIS, SESONCHOSIS: Hinc auser *Græcas* terminationes, & hæc nomina fient SESOST, SESOCH. SESOOS, SETHOS, SENONCH; quæ parùm differunt à SESACH. *Sesonchis* non magis à *Sesach* distat, quàm *Memphis* à *Moph*, quæ duo nomina ad unam eamdémque Urbem pertinent. JOSEPHUS (v) docet etiam ex MANETHONE, quòd SETHOSIS frater erat ARMAIS, & quòd hi duo fratres aliter appellabantur ÆGYPTUS, & DANAUS, & denique quòd sub tempore quo *Ægyptum* repetebat SETHOSIS aut ÆGYPTUS multis Regionibus domitis, ARMAIS, aut DANAUS eum fugiens in *Græciam* profectus est. Chronologia Græcorum.

Principiò *Ægyptii*, ut aliæ Gentes, in plura parva Regna distributi erant, & gradatim in unam Monarchiam coaluerunt, ac pater uxoris SALOMONIS primus Regum *Ægypti* in *Phœniciam* cum Exercitu venit: sed solùm cepit *Gezir*, quam Urbem filiæ isti dedit. Proximus Rex SESACHUS ex *Ægypto* profectus est cum Exercitu, in quo erant *Libyi*, *Troglodítæ*, & *Æthiopes*, 2. Chron. XII. 3., erat igitur Rex harum omnium Regionum; &, ante hunc nullum Regem invenimus in

(s) Diodor. l. 1. p. 35.
(t) Joseph. Antiq. l. 4. c. 8.
(v) Joseph. contra Appion. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. ſacris Litteris, qui in omnes has Gentes dominatus fuerit, & alias Regiones ſibi ſubditurus cum ingentibus Copiis ex *Ægypto* prodierit. Sacra *Iſraelitarum* Hiſtoria ab ABRAHAMO ad SALOMONEM nullum admittit talem Populorum Domitorem. SESOSTRIS fuit Rex harum omnium Gentium, *Libyorum*, *Troglodytarum*, atque *Æthiopum*, ac prodiit ex *Ægypto* cum ingenti Exercitu ad alia Regna in poteſtatem redigenda. Paſtores diù dominati ſunt in inferiorem *Ægyptum*, unde expulſi ſunt paulò ante quàm *Jeroſolyma* & Templum condebatur, juxta MANETHONEM; &, iis Regnum inferioris *Ægypti* obtinentibus, ſuperior pluribus Regibus ſerviebat; dum *Ægyptus* diviſa erat in plura Regna, locus nullus erat Regi totius *Ægypti*, qualis fuit SESOSTRIS: & Hiſtoricorum nullus eum poſt SESACUM ſtatuit; fuit igitur unus idémque, ac *Seſacus*. Neque hæc ſententia nova eſt: JOSEPHUS eam indicat, cùm aſſerit HERODOTUM errare, dum SESOSTRI tribuit facinora SESACI, & errorem totum verſari circa hujus Regis nomen: Hoc dicere idem eſt ac dicere, quòd verum nomen illius, qui fecit facinora ab HERODOTO deſcripta, fuit SESACUS; & quòd HERODOTUS lapſus tantùm eſt, quando eum SESOSTRIM appellavit, aut quòd ei SESOSTRI nomen corruptè dedit. Magnus ille Chronologus noſtras, Eques JOHANNES MARSHAMUS pariter opinabatur SESOSTRIM eumdem eſſe, ac SESACUM, quod ſi concedatur, tunc certum eſt, SESOSTRIM ex *Ægypto* profectum quinto ROBOAMI anno Gentes invaſiſſe; in *Ægyptum* revertiſſe decimo quarto ejuſdem ROBOAMI anno; & DANAUS tunc SESOSTRIM fugientem poſt unius, aut alterius anni peregrinationem in *Græciam* appuliſſe atque *Argonauticam* expeditionem, (quæ facta fuit unâ Generatione poſt has invaſiones, & poſt DANAI in *Græciam* adventum,) accidiſſe quadrageſimo aut quadrageſimo quinto anno circiter, poſt SALOMONIS interitum. PROMETHEUS (*x*) in *Caucaſo Monte* fuit triginta annos, & deinde ab HERCULE dimiſſus fuit: Igitur *Argonautarum*

(*x*) Higin. Fab. 144.

Digitized by Google

tarum expeditio recidit in triceſimum annum à PROMETHEO ad *Caucaſum* relicto à SESOSTRI, hoc eſt, in annum quadrageſimum quartum, circiter, poſt SALOMONIS obitum. Chronologia Græcorum.

Gentes omnes, ante quàm noverant accuratam anni ſolaris diuturnitatem, menſes curſu Lunæ definiebant; (*y*) Annos autem diſtinguebant reditu Hyemis, & Æſtatis, Veris, & Autumni: &, cùm pro eorum Feſtis Kalendaria concinnabant, ſingulis lunaribus menſibus triginta dies, & ſingulis annis duodecim lunares menſes tribuebant; ſumentes numeros rotundos proximiores: Hinc factum eſt, ut Ecliptica in tercentos ſexaginta Gradus diſtribueretur. Sic NOACHUS, cùm per Diluvium Luna non conſpiceretur, pro menſe triginta dies numeravit: Sed, ſi Luna ſe oſtendebat uno aut altero die ante menſem exactum, (*z*) novo menſi principium dabant diem, quo primùm Lunam viderant; & hoc ubique factum eſt, quoad *Ægytii* è *Thebaide* detexerunt anni ſolaris diuturnitatem. Docet DIODORUS, (*a*) quòd *Ægyptii Thebaidis non ſolent menſes intercalare, & nullum diem ſubducunt* (*è menſibus*,) *ut plerique Græcorum faciunt.* Et (*b*) CICERO ait, *eſt conſuetudo Siculorum, ceterorúmque Græcorum quòd ſuos dies, menſéſque congruere volunt cum Solis, Lunæque ratione, ut nonnunquam ſiquid diſcrepet, eximant unum aliquem diem, aut ſummum biduum ex menſe,* (civili dierum triginta.) *quos illi ἐξαιρετίμους dies nominant.* Et PROCLUS in HESIODI τριακὰς eadem affert. GEMINUS (*c*) autem: πρόθεσις γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις τὰς μὲν μῆνας ἄγειν καθ' ἥλιον, τὰς δὲ ἐνιαυτοὺς κατὰ σελήνην. Τὸ γὰρ, ὑπὸ τῶν νόμων, καὶ τῶν χρησμῶν προαγγελλόμενον, τὸ, θύειν κατὰ γ', ἄγειν τὰ πλήρη, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτούς. τοῦτο διέλαθον ἅπαντες οἱ Ἕλληνες τῷ τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς συμβάλλω ἄγειν τῷ ἡλίῳ τὰς δὲ ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας τῇ σελήνῃ. Σημεῖον δὲ τὸ μὲν καθ' ἥλιον ἄγειν τοὺς ἐνιαυτοὺς τὸ περὶ τὰς αὐτὰς ὥρας τοὺς ἐνιαυτοὺς τὰς αὐτὰς θυσίας τοῖς θεοῖς ἐπιτελεῖσθαι, καὶ τὴν μὲν ἐαρινὴν θυσίαν διὰ παντὸς κατὰ τὸ ἔαρ συντελεῖσθαι. τὴν δὲ θερινὴν, καὶ τὸ θέρος.

(*y*) Genes. I. 14; & VIII. 22. Cenſorin. c. 19, & 20. Cic. in Verrem Geminus. c. 6.

(*z*) Cicero in Verrem.

(*a*) Diodorus. I. 1.

(*b*) Cicero in Verrem.

(*c*) Geminus c. 6.

Digitized by Google

CAP. I. θέρος. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τοὺς λοιποὺς καιροὺς τοῦ ἔτους τὰς αὐτὰς θυσίας πίπτειν. Τοῦτο γὰρ ὑπέγαβον προσηνὲς καὶ κεχαρισμένον, εἶναι τοῖς θεοῖς. Τοῦτο δ' ἄλλως οὐκ ἂν δυνάιτο γενέσθαι, εἰ μὴ αἱ τροπαὶ καὶ αἱ ἰσημερίαι περὶ τοὺς αὐτοὺς τόπους γίγνοιντο. Τὸ δὲ κατὰ σελήνην ἄγειν τὰς ἡμέρας τοιοῦτόν ἐστι. το ἀκολουθέως τοις τῆς σελήνης φωτισμοῖς τὰς προσηγορίας τῶν ἡμερῶν γίνεσθαι. ἀπὸ γὰρ τῶν τῆς σελήνης φωτισμῶν αἱ προσηγορίαι τῶν ἡμερῶν κατωνομάσθησαν. Εν ᾗ μὲν γὰρ ἡμέρα νέα ἡ σελήνη φαίνεται, κατα συναλοιφὴν νεομηνία προσηγορεύθη. ἐν ᾗ δὲ ἡμέρα τὴν δευτέραν φασιν πολεῖται δευτέραν προσηγόρευσαν. τὴν δὲ κατὰ μέσον τοῦ μηνὸς γινομένην φάσιν τῆς σελήνης ἀπὸ αὐτοῦ τοῦ συμβαίνοντος διχομηνίαν ἐκάλεσαν. χὰι καθόλου δὲ πάσας τὰς ἡμέρας ἀπὸ τῶν τῆς σελήνης φωτισμῶν προσωνόμασαν. ὅθεν καὶ τὴν τριακοστὴν τοῦ μηνὸς ἡμέραν ἐσχάτην οὖσαν ἀπὸ αὐτοῦ τοῦ συμβαίνοντος τριακάδα ἐκάλεσαν.

Propositum enim fuit Veteribus, menses quidem agere secundùm Lunam, annos verò secundùm Solem. Quod enim à Legibus & Oraculis præcipiebatur, ut sacrificarent secundùm tria, videlicet patria, menses, dies, annos; hoc ita distinctè faciebant universi Græci, ut annos agerent congruenter cum Sole, dies verò & menses cum Lunâ. Porrò secundùm Solem annos agere, est circa easdem tempestates anni eadem sacrificia Diis perfici, & vernum sacrificium semper in vere consummari, æstivum autem in æstate similiter, & in reliquis anni temporibus eadem Sacrificia cadere. Hoc enim putabant acceptum & gratum esse Diis. Hoc autem aliter fieri non posset nisi conversiones solstitiales, & æquinoctia in iisdem Zodiaci locis fierent. Secundùm Lunam verò dies agere est tale ut congruant cum Lunæ illuminationibus appellationes dierum. Nam à Lunæ illuminationibus appellationes dierum sunt denominatæ. In quâ enim die Luna apparet nova, ea per synalcephen, seu compositionem νεομηνία idest, Novilunium appellatur. In quâ verò die secundam facit apparitionem, eam secundam Lunam vocârunt. Apparitionem Lunæ, quæ circa medium mensis fit, ab ipso eventu διχομηνίαν, id est medietatem mensis nominârunt. Ac summatim, omnes dies à Lunæ illuminationibus denominârunt. Unde etiam tricesimam mensis diem, cùm ultima sit, ab ipso eventu τριακάδα vocârunt.

Igitur vetus calendaris *Græcorum* annus constabat duodecim lunaribus mensibus, & singuli menses diebus triginta: & interdum anni, & menses isti corrigebantur ad Solis, & Lunæ cursus eximendo

Digitized by Google

eximendo unum diem aut biduum è menſe, quoties ad Lunæ curſum collatus nimiùm longus videbatur, & augendo annum uno menſe, quoties duodecim menſes lunares nimiùm breves erant, ut quatuor anni temporum viciſſitudines complecterentur. Ad hunc *Græcorum* annum alludit illud CLEOBULI, (*d*) qui fuit è ſeptem *Græciæ* Sapientibus, Ænigma, de patre, cui erant duodecim nati, quorum quiſque triginta filias habebat dimidio corpore nigras, dimidio albas: THALES (*e*) autem ultimum menſis diem vocavit τριακάδα, triceſimum: & SOLON numerabat decem ultimos menſis dies retrorſum à triceſimo, hunc appellans ἑνὰς νέαν veterem, & novum, aut ultimum diem veteris menſis, & primum novi: Is enim adhibuit alternos menſes viginti novem, & triginta dierum mutato triceſimo die cujuſque ſecundi menſis in primum ſequentis. Chronologia Græcorum.

Duodecim lunaribus menſibus (*f*) veteres *Græci* addebant decimum tertium quoque ſecundo anno, unde conficiebatur eorum *Dieteris*; &, cùm hac ratione annus evaderet uno menſe longior æquo ſingulis octo annis, ſemel quibuſque octo annis omittebant menſem intercalarem, & hinc oriebatur eorum *Octaeteris*, cujus ſemis erat *Tetraeteris*: Hæ autem Periodi non minùs antiquæ videntur, quàm *Græcæ* Religiones, ſiquidem uſurpabantur in pluribus ex eorum *Sacris*. *Octaeteris* (*g*) erat *Annus magnus* CADMI, & MINOIS, & in *Græciam*, ac *Cretam* allata videtur à *Phœniciis*, qui eò venerant cum CADMO, & EUROPA, atque uſurpata ad HERODOTI tempora uſque, & etiam poſt: Nam, hic definiens ſeptuaginta annorum Intervallum (*h*) tribuit triginta dies unicuique menſi lunari, & duodecim tales menſes, aut tercentos ſexaginta dies anno ſolemni & menſis intercalaris experti, ac viginti quinque menſes *Dieteridi*: &, juxta numerum dierum Kalendarem *Græcorum* annum conſtituentium, *Athe-*

(*d*) Apud Laertium in Cleobulo.
(*e*) Apud Laertium in Thalete. Plutarch. in Solone.
(*f*) Cenſorinus c. 8. Herod. lib. 2. prope initium.
(*g*) Apollodor. l. 3. p. 169. Strabo, l. 16. p. 476. Homer. Odyſſ. T. V. 179.
(*h*) Herod. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. Tandem *Ægyptii* navigationis causâ seſe ſideribus obſervandis tradiderunt; & ope heliaci Stellarum Ortûs & Occaſûs perſpexerunt verum annum ſolarem ſuperare Kalendarem quinque diebus; & ideo duodecim Kalendaribus menſibus addiderunt quinque dies, annum ſolarem conſtituentes ex duodecim menſibus; & diebus quinque. STRABO, (q) & DIODORUS (r) hoc inventum *Ægyptiis Thebanis* adſcribunt. *Sacerdotes* Thebani, STRABO inquit, *præ aliis dicuntur eſſe Aſtronomi, & Philoſophi. Ipſi excogitaverunt rationem dierum computandorum non ex Lunæ, ſed ex Solis curſu. Duodecim menſibus, quorum quiſque eſt triginta dierum, quinque dies quotannis addiderunt.* In hujus Emendationis memoriam (s) quinque dies addendos, OSIRIDI, ISIDI, ORO Seniori, TYPHONI, & NEPHTHI TYPHONIS conjugi dicaverunt, fingentes hos dies anno acceſſiſſe, cùm hi Principes naſcerentur, id eſt, Rege OURANO aut AMMONE SESACI patre & in Sepulchro AMENOPHIDIS, qui regnavit paulò poſt, ſtatuerunt Circulum aureum, cujus Peripheria erat tercentorum ſexaginta quinque cubitorum, & qui diviſus erat in tercentas ſexaginta quinque partes æquales, ut referre poſſet omnes anni dies, quorum cuique adſcripti erant ii ſiderum Ortus, & Occaſus heliaci, qui illo die fiebant. Iſte autem Circulus ibi fuit, quoad CAMBYSES Rex *Perſidis* invaſit *Ægyptum.* Igitur, antequam OURANUS pater HYPERIONIS, & avus HELII ac SELENES Regno potitus eſt, annus *Ægyptiorum* fuit vetuſtus ille Luni-ſolaris: Sed eo Regnante, ideſt, Regnante AMMONE patre OSIRIDIS, vel SESACI, & avo ORI, ac BUBASTIS, *Thebani* cœperunt operam navare rei nauticæ, & Aſtronomiæ, &, Heliacis Stellarum Ortibus atque Occaſibus freti, annum Solarem definiverunt; addiderúntque veteri Anno Kalendari quinque dies, quos ſupra relatis Pueris dicaverunt, tamquam natales eorum dies: Regnum autem obtinente AMENOPHIDE cùm diligentioribus obſervationibus ſatis perſpexiſſent Solſtitiorum tem-

(q) Strabo L. 17. p. 816.
(r) Diodor. L. 1. p. 32.
(s) Plutarch. de Iſide & Oſiride. Diodor. L. 1. p. 9.

Digitized by Google

tempora, novi hujus anni exordium Vernum Æquinoctium statuerunt. Hoc anni genus, cùm denique in *Chaldæam* allatum fuisset, viam aperuit anno NABONASSARI; Nam, anni NABONASSARI, & *Ægypti* incipiebant uno eodémque die, quem *Thoth* dicebant, atque æquales erant & omnino iidem: primus autem NABONASSARI annus initium duxit à die vicesimo sexto mensis *Februarii* veteris *Romanorum* anni, septingentesimo quadragesimo septimo anno ante vulgarem CHRISTI *Æram*, & tricesimo tertio die cum horis quinque ante Vernum Æquinoctium, juxta medium Solis motum; nam, verosimile non est, quòd, Astronomiâ vix natâ, deprehensa fuisset Æquatio motûs Solaris. Jam, si reputes, quòd annus, qui constet tercentis sexaginta quinque diebus, minor est quàm annus Æquinoctialis horis quinque & minutis quadraginta novem; perspicies hujus anni initium triginta tribus diebus, & quinque horis retrogradi non potuisse, nisi centum triginta septem annis elapsis; & ideo hic annus primùm initium habuit in *Ægypto* ad Vernum Æquinoctium juxta mediam Solis Velocitatem centum triginta septem annis, antequàm incœpit *Æra* NABONASSARI; idest anno 3830 Periodi *Julianæ*, aut sexto & nonagesimo post SALOMONIS mortem: quòd si hujus anni exordium fuit ipso die post Æquinoctium Vernum, quatuor, circiter, anni demendi sunt à superiore numero; & circiter hoc tempus AMENOPHIS regnare desiit: Nam, Susâ non profectus est ad bellum *Trojanum*, sed deinde mortuus est in *Ægypto*. Hoc anni genus *Persæ* à *Babyloniis* acceperunt; & *Græci* adhibuerunt in *Æra Philippæa*, quæ initium habuit ad ALEXANDRI *Magni* interitum; ac JULIUS CÆSAR annum illum correxit, addendo unum diem quibusque quatuor annis, & *Romæ* introduxit.

Chronologia Græcorum.

Ait SYNCELLUS, quòd veteri anno quinque dies additi fuerunt ab ultimo Pastorum Rege; neque multùm hoc Regnum distat à Regno AMMONIS: nam, Pastores regnare desierunt unâ aut alterâ Generatione, antequàm AMMON hos dies addere instituit. Sed Pastores animum ad Artes, aut Scientias non appellebant.

Digitized by Google

CAP. I. Primus menſis anni Luni-ſolaris, ob menſem intercalarem aliquando incipiebat ſeptem, aut quindecim diebus ante Æquinoctium, aut Solſtitium, aliquando tantundem poſt. Ea res in cauſâ fuit, cur Aſtronomi, qui primi *Aſteriſmos* confecerunt, ſtatuerint Æquinoctia, atque Solſtitia in ipſis mediis Conſtellationibus *Arietis*, *Cancri*, *Chelarum*, & *Capricorni*. Monet ACHILLES TATIUS (*v*) quòd *antiquitùs nonnulli ſtatuebant Solſtitium in ipſo* Cancri *initio*; *alii in octavo* Cancri *gradu*; *alii circiter duodecimum*; *alii verò circiter decimum quintum ejuſdem gradum.* Hæc opinionum diverſitas oritur ex Æquinoctii præceſſione, tum à *Græcis* ignoratâ. Cùm primùm Sphæra excogitata fuit, Solſtitium erat in decimo quinto gradu, ſeu in ipſo meditullio *Cancri*; deinde venit in duodecimum, octavum, quartum, & primum, ordinatè. EUDOXUS, qui floruit circiter ſexageſimum à METONE annum, & circiter centeſimum ante ARATUM, Veterum Sphæram deſcribens, ſtatuit Solſtitia, atque Æquinoctia in meditullio Conſtellationum *Arietis*, *Cancri*, *Chelarum*, & *Capricorni*, ut aſſerit (*x*) HIPPARCHUS *Bithynus*, & ut conſtat ex Deſcriptione Æquinoctialis, & Tropicorum Circulorum, quam fecit ARATUS, (*y*) qui EUDOXUM ſecutus eſt; & ex poſitione, quam obtinent *Coluri* Æquinoctiorum, & Solſtitiorum, qui in EUDOXI Sphærâ ab HIPPARCHO deſcriptâ tranſeunt per horum Syderum meditullium. Diſcimus enim ex HIPPARCHO EUDOXUM duxiſſe *Colurum* Solſtitiorum per mediam majorem *Arctον*; & medium *Cancrum*; atque *Hydri* collum; ac Stellam, quæ *Argûs navis* Puppim, & malum interjacet; pérque *Meridionalis Piſcis* caudam; atque *Capricorni Sagittæque* meditullium; ac collum, dextrámque *Cygni* alam; atque ſiniſtram *Cephei* manum: Æquinoctialem autem *Colurum* egiſſe per ſiniſtram *Arctophylacis* manum, & ſecundùm medium ejus Corpus; atque medias tranſverſas *Chelas*; pérque *Centauri* dextram manum, &

(*v*) Iſagoge Sect. 27, à Petavio edit.
(*x*) Hipparch. ad Phænom. l. 2. Sect. 3. à Petavio edit.
(*y*) Hipparch. ad Phænom. l. 1. Sect. 2.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

& anterius genu; Flexúmque *Eridani*; & Caput *Cæti*: ac transversum *Arietis* Dorsum; ac Caput, & dextram *Persei* manum.

Jam CHIRON delineavit χήματα ὀλύμπια, *Asterismos*, ut discimus à Vetere *Ggantomachiæ* Scriptore, cujus meminit (a) CLEMENS *Alexandrinus*: Practicus enim Astronomus erat CHIRON, quod intelligi potest etiam de ejus filiâ HIPPONE; & MUSÆUS EUMOLPI filius, ORPHEI Magister, & *Argonauta* (a) construxit Sphæram; primúsque *Græcorum* habetur, qui ejusmodi rem confecerit: Sphæra autem ipsa ostendit eam delineatam fuisse circa *Argonauticam* expeditionem; hæc enim expeditio *Asterismis* expressa est, cum nonnullis aliis vetustioribus *Græcorum* Historiis; sed de recentiotibus rebus nihil omnino. Ibi enim sunt aureus ARIES, qui pictus erat in Navi, quâ PHRIXUS in *Colchidem* fugit; TAURUS Æripes à JASONE domitus; GEMINI, CASTOR, & POLLUX, *Argonautorum* duo, cum CYCNO LÆDÆ eorum Matris; Hìc sunt Navis ARGO, & HYDRUS, vigil Draco; & MEDEÆ SCYPHUS, & CORVUS cadaveri insidens, Mortis Symbolum. Hìc est CHIRON JASONIS Præceptor, cum suo ALTARE, & SACRIFICIO. Hìc sunt HERCULES *Argonauta* cum suâ SAGITTA, & VULTURE cadente; ac DRACO; CANCER; & LEO, quos ille interemit; atque LYRA ORPHEI *Argonautæ*. Omnia hæc referuntur ad *Argonautas*. Hìc est ORIQN, NEPTUNI filius, aut, ut nonnulli dicunt, nepos MINOIS, cum suis CANIBUS, & LEPORE, & FLUVIO, & SCORPIONE. Hìc est Fabula PERSEI in *Asterismis* PERSEI, ANDROMEDÆ, CEPHEI, CASSIOPEÆ, & CETI: Fabula CALLISTUS & nati sui ARCADIS in URSA MAJORE, & ARCTOPHYLACE: Fabula ICARI, & filiæ ejus ERIGONES, in BOOTE, PLAUSTRO, & VIRGINE. Ad quamdam ex JOVIS nutricibus URSA MINOR refertur, AURIGA ad ERECHTHONIUM, OPHIULCUS ad PHORBAN-

(a) Strom. 1. p. 306, 352. (a) Laert. Proëm. l. 1.

CAP. I. BANTEM, ad CROLUM filium nutricis *Musarum* SAGITTARIUS, ad PANEM CAPRICORNUS, & AQUARIUS ad GANIMEDEM. Hìc ſunt ARIADNÆ CORONA, BELLEROPHONTIS EQUUS; & DELPHINUS NEPTUNI, GANIMEDIS AQUILA; JOVIS CAPRA cum HÆDIS ſuis; ASINI BACCHI, & VENERIS, CUPIDINISQUE PISCES cum eorum Cognato PISCE MERIDIONALI. Hi cum DELTOTO ſunt veteres *Aſteriſmi*, de quibus meminit ARATUS: omnéſque referuntur ad *Argonautas*, ad eorum Coævos, aut ad eos, qui ante illos vixerunt unâ aut alterâ Generatione; Sed hæc Sphæra primùm nihil continebat, quod oleret poſteriora tempora: Nam, ANTINOUS, & COMA BERENICES ſunt *Aſteriſmi* omnino recentes. Confícta igitur videtur hæc Sphæra à CHIRONE, & MUSÆO in *Argonautarum* uſum: Navis enim *Argo* erat primum navigium longum à *Græcis* fabricatum. Hactenus uſi erant rotundis navibus onerariis, nec unquam littoris conſpectum amiſerant; Sed tunc, ſuſceptâ Legatione ad multos Reges, qui colebant oras *Ponti Euxini*, & *Maris Mediterranei*, (*b*) Oraculo jubente, conſentientibus *Græciæ* Principibus, *Græci* lectiſſimi debebant in Altum provehi navigio velis inſtructo, quod ope Stellarum ducendum erat. *Corcyræi* (*c*) affirmant Sphæram inventam fuiſſe à NAUSICAA filiâ ALCINOI Regis *Phæacum*, qui hanc Inſulam habitabant: & valdè probabile eſt eam habuiſſe Sphæram ex *Argonautis*, qui domum repetentes ad hanc Inſulam appulerunt, & ibi aliquandiù apud ejus patrem commorati ſunt. Igitur ſub Expeditione *Argonautarum* Cardinalia Æquinoctiorum, & Solſtitiorum puncta occupabant ipſum meditullium Syderum *Arietis*, *Cancri*, *Chelarum*, & *Capricorni*.

Sub fine anni à CHRISTO 1689, Stella dicta *Prima Arietis* erat in ♈. 28°. 51′. 00″; cum Septemtrionali Latitudine 7°. 8′. 58″. Ac Stella dicta *ultima caudæ Arietis* erat in ♉. 19°. 3′. 42″., cum Septentrionali Latitudine 2°. 34′. 5″. Et *Colurus Æqui-*

(*b*) Apollodor. l. 1. c. 9. Sect. 16. (*c*) Suidas in Ἀργοναῦται;

Digitized by Google

Æquinoctiorum, qui transibat per punctum inter has duas Stellas medium, secabat tunc Eclipticam in ♉. 6°. 44′; quâ computatione apparet Æquinoctium sub fine anni 1689 retrogressum fuisse 36°. 44′ ab *Argonautarum* expeditione: nam, suppono *Colurum* hunc tunc transiisse per meditullium Syderis *Arietis* juxta Veterum delineationem. Uno anno Æquinoctium retrogreditur quinquaginta minutis secundis, & septuaginta duobus annis uno gradu; quapropter 2645 annis opus est, ut retrocedat 36°. 44′., qui anni retrorsum numerati à finito anno Domini 1689, aut ab ineunte 1690 referunt *Argonautarum* expeditionem ad annum vicesimum quintum, circiter, post SALOMONIS mortem: Sed necessariò ponendum non est meditullium Syderis *Arietis in* ipso punto inter duas Stellas, quæ dicuntur *prima Arietis*, & *ultima Caudæ*, medio: & melius definientur puncta Cardinalia Stellis, per quas *Coluri* transibant in primigeniâ Sphæra juxta EUDOXI descriptionem supra relatam. *Colurum* autem *Æquinoctiorum* voco magnum Circulum, qui transit per Æquatoris Polos, & Eclipticam secat in Æquinoctiis sub Angulo graduum sexaginta sex cum dimidio, quod est Complementum maximæ Declinationis Solaris; Et *Colurum* Solstitiorum voco magnum Circulum, qui per eosdem Polos transit, & Eclipticam in Solstitiis secat ad rectos Angulos. *Primitivam* verò Sphæram, eam, quæ usurpabatur ante cognitos motus *Æquinoctiorum*, & Solstitiorum. Jam *Coluri* transibant per sequentes Stellas, juxta EUDOXUM.

Est in tergo *Arietis* Stella sextæ magnitudinis, quam BAYERUS distinxit notâ *ν*: sub fine anni 1689, & initio anni 1690, ejus Longitudo erat ♉. 9°. 38′. 45″. & Latitudo Septemtrionalis 6°. 7′. 56″: ac *Colurus Æquinoctiorum* per eam ductus, secundùm EUDOXUM, secat Eclipticam in ♉. 6°. 58′. 57″. In *Ceti* Capite sunt duæ Stellæ magnitudinis quartæ, quæ à BAYERO dicuntur *ι*, & *ξ*: sub fine anni 1689, earum Longitudines erant ♉. 4°. 3′. 9″, & ♉. 3°. 7′. 37″; & earum Meridionales Latitudines 9°. 12′. 26″; & 5°. 53′. 7″, & *Colurus Æquinoctiorum*, qui medius transit inter eas, secat Eclipticam ♉. 6°. 58′. 51″.

Digitized by Google

CAP. I. In extremo *Eridani* rectè delineati flexu est Stella quartæ magnitudinis ex iis, quæ nuper relatæ fuerunt ad *Ceti* pectus, & à BAYERO ϱ nuncupata; ea est sola ex Stellis *Eridani*, per quam *Colurus* transire possit, ejus Longitudo sub fine anni 1689 erat ♈. 25°. 22′. 10″, & Meridionalis Latitudo 25°. 15′. 50″. & *Colurus Æquinoctiorum* per eam transiens secat Eclipticam in ♉. 7°. 12′. 40″. In Capite *Persei* rectè delineati est Stella quartæ magnitudinis à BAYERO vocata τ: Longitudo hujus Stellæ sub fine anni 1689 erat ♉. 23°. 25′. 30″, & Septemtrionalis Latitudo 34°. 20′. 12″: Et *Colurus Æquinoctialis* per illam transiens secat Eclipticam in ♉. 6°. 18′. 57″. In dextrâ *Persei* rectè delineati manu est Stella quartæ magnitudinis dicta ν à BAYERO; ejus Longitudo sub fine anni 1689 erat ♉. 24°. 25′. 27″; & Latitudo Septemtrionalis 37°. 26′. 50″: ac *Colurus Æquinoctiorum* per eam transiens secat Eclipticam in ♉. 4°. 56′. 40″; & quincunx Aggregati ex locis, in quibus hi quinque *Coluri* secant Eclipticam est ♉. 6°. 29′. 15″. Igitur magnus Circulus, qui in Primitivâ Sphærâ secundùm EUDOXUM, & idcirco circa tempus *Argonauticæ expeditionis*, erat *Colurus Æquinoctiorum* transiens per Stellas supra descriptas; secabat sub fine anni 1689. Eclipticam in ♉. 6°. 29′. 15″: quàm proximè determinari potuit ex Veterum Observationibus, quæ satìs erant imperfectæ.

In medio *Cancri* est Meridionalis *Asellus*, Stella quartæ Magnitudinis dicta à BAYERO δ: ejus Longitudo sub fine anni 1689 erat ♋. 4°. 23′. 40″. In *Hydri* Collo rectè delineato est Stella quartæ magnitudinis, vocata δ à BAYERO: ejus Longitudo sub fine anni 1689 erat ♋. 5°. 59′. 3″. Inter Puppim, & Malum Navis *Argus* est Stella tertiæ magnitudinis dicta ι à BAYERO; ejus Longitudo sub anni ejusdem fine erat ♋. 7°. 5′. 31″. In *Sagittâ* est Stella sextæ magnitudinis, nuncupata θ à BAYERO; ejus Longitudo in fine anni jam sæpius indicati erat ♒ 6°. 29′. 53″. In *Capricorni* meditullio est Stella quintæ magnitudinis dicta ν à BAYERO; cujus Longitudo erat sub fine ejusdem anni ♒ 8°. 25′. 55″: & quinta pars Aggregati ex tribus prioribus Lon-

Digitized by Google

Longitudinibus, & ex Complementis duarum ultimarum ad 180. Gradus, eſt ☊. 6°. 28′. 46″. Quæ eſt nova Longitudo veteris *Coluri Solſtitiorum* tranſeuntis per has Stellas. Idem *Colurus* tranſit etiam per medium punctum inter Stellas ν, & κ, quartæ & quintæ magnitudinis, quæ ſunt in *Cycni* Collo; & ab utràque diſtat uno, circiter, Gradu: tranſit etiam per Stellam κ quartæ magnitudinis, quæ eſt in dextrâ *Cycni* alâ; & per Stellam ο quintæ magnitudinis, quæ eſt in ſiniſtrâ *Cephei* manu rectè delineatâ; ac per Stellas, quæ ſunt in *Meridionalis Piſcis* Caudâ; & ad rectos Angulos inſiſtit *Coluro Æquinoctiorum* ſupra definito: quapropter habet notas omnes *Coluri Solſtitiorum* rectè determinati. Chronologia Græcorum.

Igitur duo *Coluri*, ſub *Argonautarum* expeditione ſecantes Eclipticam in Punctis Cardinalibus, eandem ſecabant, anno 1689 jam peracto, in ♉. 6°. 29′; ☊. 6°. 29′; ♏. 6°. 29′; atque ♒ 6°. 29′; videlicet, in Punctis, quæ diſtant à Cardinalibus CHIRONIS Punctis, toto Signo cum ſex Gradibus, & viginti novem Minutis; quod definitum eſt quò diligentiùs licuit per Veterum Obſervationes factas Craſſâ ſatis Minervâ. Quamobrem Puncta Cardinalia per tempus, quod elapſum eſt ab *Argonaut. rum* expeditione ad annum CHISTI 1689 decurrerunt unum Signum, cum ſex Gradibus, & viginti novem Minutis; igitur, cùm ſeptuaginta duo anni conſumantur ad peragrandum unum Gradum, hoc intervallum eſt 2627 annorum. Hos computa ab anno 1689 jam peracto, aut ab anno 1690 ineunte antiquiora tempora verſùs, & perſpicies ſic *Argonaut.rum* expeditionem referri ad annum poſt SALOMONIS interitum, circiter, quadrageſimum tertium.

Eâdem Methodo facilè poteſt inveniri locus, quem Stella quæcunque occupabat in Primitivâ Sphærâ, unum Signum, ſex Gradus, & viginti novem minuta ſubducendo ex Longitudine, quam habebant ad finem anni *Domini* 1689. Sic, Longitudo primæ Stellæ *Ariet.s* ſub fine anni 1689 erat ♈. 28°. 51′, ut ſupra vidimus, hinc deme unum ſignum, ſex Gradus, & viginti novem minuta; & ejus Longitudo computata ab Æquinoctio poſito in meditullio Syderis *Ariet.s* comperietur fuiſſe circa *Argonauta-*

Digitized by Google

CAP. I. *rum* expeditionem ♈. 22°. 22′: atque eâdem ratiocinandi ratione, Longitudo *Lucidæ Pleiadum*, circiter *Argonautarum* expeditionem, deprehendetur ♈. 19°. 26′. 8″. Longitudo autem *Arcturi* ♏. 13°. 24′. 52″. & sic de reliquis Stellis.

Post *Argonauticam* expeditionem, altum de Astronomiâ silentium ad THALETEM usque; Hic (*e*) Astronomiam ex oblivione revocavit, & Librum scripsit de *Tropicis*, atque *Æquinoctiis*, & Eclipses prædixit. A PLINIO (*f*) autem discimus, quòd THALES determinaverat, quòd *Occasus matutinus Pleiadum* incidebat in diem vicesimum quintum post Æquinoctium Autumnale: Hinc PETAVIUS (*g*) conficit *Plejadum* Longitudinem tunc fuisse in ♈. 23°. 53′: & idcirco *Lucida Pleiadum* ab *Argonauticâ* expeditione ad THALETEM digressa fuit ab Æquinoctio. 4°. 26′. 52″. unde conficiuntur anni tercenti cum viginti: Nam totis septuaginta duobus annis unus Gradus peragrari ponitur. Hunc annorum numerum retrorsùm dinumera è tempore, quo THALES adhuc Juvenis poterat Astronomiæ operam navare, ideſt, à quadragesimâ primâ Olympiade, circiter, & hoc pacto perspicies *Argonautarum* expeditionem fieri debuisse circiter quadragesimum quartum annum post SALOMONIS obitum, ut supra inveneramus: &, hac ratione, ad THALETIS tempora, *Solstitia*, atque *Æquinoctia* esse debuissent in meditullio undecimi Signorum Gradûs. Sed fieri potest, ut THALES edens Libros illos de *Tropicis*, & *Æquinoctiis* tantisper deflexerit in priorum Astronomorum sententiam, & ideo statuerit illa in duodecimis Signorum Gradibus.

METHON, & EUCTEMON (*h*) divulgaturi Lunarem Cyclum ex undeviginti annis constantem, observaverunt *Solstitium Æstivum* anno NABONASSARI 316., qui uno anno præcessit initium belli *Peloponnesiaci*; & COLUMELLA (*i*) docet eos hoc *Solstitium* constituisse in octavo *Cancri* Gradu; quod, ideo septem

(*e*) Laertius in Thalete. Plinius L. 2. c. 12.
(*f*) Plinius L. 18. c. 23.
(*g*) Petavius Variar. Disserta L. 1. c. 5.
(*h*) Petavius Doctrin. Tempor L. 4. c. 26.
(*i*) Columella L. 9. c. 14. Plin. L. 18. c. 25.

Digitized by Google

tem saltem Gradibus retrogressum fuerat à loco, quem principio occupabat. Atqui Æquinoctium uno Gradu retrocedens per septuaginta duos annos, in septem Gradibus peragrandis consumpsisse debet annos quatuor & quingentos: igitur totidem annos computa ab 316 NABONASSARI anno superiora tempora versùs, atque *Argonautarum* expeditio incidet in quadragesimum quartum, circiter, annum post SALOMONIS interitum, ut supra compertum fuerat. Hinc vides quàm vera dixerit ACHILLES TATIUS, de quo jam mentio facta est, cùm asseruit Veterum alios statuisse Solstitium in octavo *Cancri* Gradu, alios in duodecimo, circiter, alios denique circiter decimum quintum ejusdem Signi Gradum. Chronologia Græcorum.

Eximius ille Astronomus HIPPARCHUS conferens observationes, quas ipse fecerat cum iis, quas priores Astronomi reliquerant, primus omnium perspexit quòd Æquinoctia ad fixas Stellas relata retrogrediuntur, & putavit illa retrogrediendo unum gradum peragrare singulis centum annis. Is Æquinoctia observavit ab anno NABONASSARI 586 ad 618: inter quos medius est annus 602, qui 286 annis posterior est tempore, quo METON, & EUCTEMON observationes suas fecerunt. Hoc temporis spatio Æquinoctii regressio debet fuisse quatuor Graduum; quocirca Æquinoctium ad HIPPARCHI tempora erat in quarto *Arietis* Gradu: unde fit, ut illud tunc remotum fuerit per undecim Gradus à loco quem occupabat sub *Argonautarum* expeditione, idest, anno ante hoc tempus 1090 secundùm Chronologiam tunc à *Græcis* usurpatam; quod recidit ad nonaginta novem annos, aut, numero rotundo quam-proximo, ad annos centum, quibus elapsis Æquinoctium toto uno Gradu retrocesserat, ut HIPPARCHUS constituerat. Sed reipsâ regressus iste fit septuaginta duobus annis, & septem Gradus decurruntur annis septingentis nonaginta duobus: igitur, si retrorsùm computes hos septingentos nonaginta duos annos ab 602. NABONASSARI anno, à quo jam numerare cœpimus annos ducentos octogintasex, quibus observationum tempora differunt, recidit *Argonautarum* expeditio in annum quadragesimum tertium, circiter, post SALOMONIS interitum. Unde patet,

Digitized by Google

CAP. I. tet, quòd *Græci* fecerant expeditionem *Argonauticam* annis, circiter, tercentis æquo antiquiorem; quod in causâ fuit, cur magnus HIPPARCHUS opinaretur Æquinoctium regredi uno tantùm Gradu, quoque centum annorum intervallo.

Asserit HESIODUS, quòd sexagesimo die post hybernum Solstitium Stella *Arcturus* oriebatur in ipso Solis occasu: Hinc conficitur HESIODUM floruisse circiter centesimum annum post SALOMONIS mortem, vel Generatione, aut Ætate, quæ proximè secuta est bellum *Trojanum*; quod HESIODUS ipse fatetur.

Ex his omnibus, quæ crassioribus Veterum observationibus innituntur, certò colligere licet *Argonautarum* expeditionem antiquiorem non esse SALOMONIS Regno, & si hisce astronomicis ratiociniis addas ea, quæ supra retulimus deducta à justo tempore, per quod, secundùm naturam, Reges Regno potiuntur; hæc omnia certò ostendunt *Argonauticam* expeditionem factam esse post SALOMONIS mortem, &, quod maximè probabile est, circiter annum, ab ejusdem interitu, quadragesimum tertium.

Bellum contra *Trojam* gestum est, ut supra diximus, unâ Generatione post hanc expeditionem, cùm plures ex *Græcorum* Ducibus in hoc bello fuerint *Argonautarum* filii: ac Veteres *Græci* existimant MEMNONEM, aut AMENOPHIM Regem *Ægypti* Regnum obtinuisse circa hujus belli tempora; fingebant enim eum filium fuisse TITHONI, qui PRIAMI frater natu major fuerat, & prope ejus belli finem, profectum esse è *Susâ*, ut PRIAMO suppetias ferret. Igitur AMENOPHIS coævus fuit natu maximi filiorum PRIAMI, & prope *Susam* erat cum exercitu ultimo illius belli anno: & postquàm ibi *Memnoniam* perfecit, in *Ægyptum* regredi potuit, quam Ædibus, Obeliscis, & Statuis auxit, & in eâ diem extremum obiit circiter nonaginta, aut nonaginta quinque annos post SALOMONIS interitum: postquam determinaverat, & constituerat initium novi *Ægyptiorum* anni tercentos sexaginta quinque dies complectentis ad vernum Æquinoctium, quare meruit monumentum in hujus rei memoriam erectum, de quo jam locuti sumus.

Natus

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Natus est ROBOAMUS anno DAVIDIS ultimo; siquidem, cùm SALOMON interiit, annos quadraginta & unum natus erat (1. Reg. XIV. 21;) quapropter ejus Pater SALOMON natus erat, ut probabile est, DAVIDE jam duodevicesimum Regni sui annum agente, aut antea; & duobus, aut tribus annis ante ejus nativitatem DAVID obsidione cinxit *Rabbab* Metropolim *Ammonitarum*, & mœchatus est cum BATSHEBA: atque anno ante hujus Obsidionis initium DAVID vicerat *Ammonitas*, & *Syrios* ex *Zobath*, ac *Rebob*, atque *Ishtob*, & *Maacab*, ac *Damasco Ammonitis* fœdere junctos, & has omnes Gentes potestati suæ subjecerat, prolatis Imperii finibus ad *Hamath*, & *Euphratem* Fluvium usque: ante hoc bellum incœptum straverat *Moab*, & *Ammon*, & *Edom*, atque *Edomitas* fugere coegerat, quorum alii confugerunt in *Ægyptum* cum eorum Rege HADAD, tunc puero; alii apud *Philistæos*, ubi *Azotum* contra *Israelem* communierunt: alii, puto, ad *Sinum Persicum*, & alia loca, ad quæ evadere potuerunt; atque ante hæc sæpius pugnaverat contra *Philistæos*: quæ omnia gesta sunt post octavum sui Regni annum, quo ex *Hebron Jerosolymam* venerat. Igitur à vero aberrare nequeo plus quàm duobus, aut tribus annis, ponens Victoriam ex *Edom* relatam fuisse à DAVIDE anno Regni sui undecimo aut duodecimo; ex *Ammone* autem, & *Syriis* decimo quarto. Postquam *Edomitæ* fugerunt, eorum Rex, cùm adolevisset, duxit TAHAPHENEM, aut DAPHNIM sororem Regiæ Conjugis PHARAONIS, & DAVIDE adhuc inter Vivos agente, ex eâ suscepit filium, cui nomen positum fuit GENUBAH, & qui eductus fuit inter PHARAONIS Natos, inter quos erat *natu illa maxima inter Matris suæ filios*, quam SALOMON duxit vix Regnum iniens; & ejus *Socrus*, *quæ* tunc *Mammas non habebat*, ejúsque *Frater*, *qui Matris suæ mammas sugebat*. (*Cant.* VI. 9 & VIII. 1, 8.) Horum Puerorum ferè coævus erat SESACUS, vel SESOSTRIS; nam ad *Ægypti* Regnum pervenit SALOMONE adhuc Regnante, (I. Reg. XI. 40;) & antea bella gesserat patris auspiciis, & adhuc penè puer *Arabiam*, *Troglodyticam*, & *Libyam* devicerat, & deinde *Æthiopiam* invaserat; cùm

Digitized by Google

CAP. I. tet, quòd *Græci* fecerant expeditionem *Argonauticam* annis, circiter, tercentis æquo antiquiorem; quod in causâ fuit, cur magnus HIPPARCHUS opinaretur Æquinoctium regredi uno tantùm Gradu, quoque centum annorum intervallo.

Asserit HESIODUS, quòd sexagesimo die post hybernum Solstitium Stella *Arcturus* oriebatur in ipso Solis occasu: Hinc conficitur HESIODUM floruisse circiter centesimum annum post SALOMONIS mortem, vel Generatione, aut Ætate, quæ proximè secuta est bellum *Trojanum*; quod HESIODUS ipse fatetur.

Ex his omnibus, quæ crassioribus Veterum observationibus innituntur, certò colligere licet *Argonautarum* expeditionem antiquiorem non esse SALOMONIS Regno, & si hisce astronomicis ratiociniis addas ea, quæ supra retulimus deducta à justo tempore, per quod, secundùm naturam, Reges Regno potiuntur; hæc omnia certò ostendunt *Argonauticam* expeditionem factam esse post SALOMONIS mortem, &, quod maximè probabile est, circiter annum, ab ejusdem interitu, quadragesimum tertium.

Bellum contra *Trojam* gestum est, ut supra diximus, unâ Generatione post hanc expeditionem, cùm plures ex *Græcorum* Ducibus in hoc bello fuerint *Argonautarum* filii: ac Veteres *Græci* existimant MEMNONEM, aut AMENOPHIM Regem *Ægypti* Regnum obtinuisse circa hujus belli tempora; fingebant enim eum filium fuisse TITHONI, qui PRIAMI frater natu major fuerat, & prope ejus belli finem, profectum esse è *Susâ*, ut PRIAMO suppetias ferret. Igitur AMENOPHIS coævus fuit natu maximi filiorum PRIAMI, & prope *Susam* erat cum exercitu ultimo illius belli anno: & postquàm ibi *Memnoniam* perfecit, in *Ægyptum* regredi potuit, quam Ædibus, Obeliscis, & Statuis auxit, & in eâ diem extremum obiit circiter nonaginta, aut nonaginta quinque annos post SALOMONIS interitum: postquam determinaverat, & constituerat initium novi *Ægyptiorum* anni tercentos sexaginta quinque dies complectentis ad vernum Æquinoctium, quare meruit monumentum in hujus rei memoriam erectum, de quo jam locuti sumus.

Natus

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Natus est ROBOAMUS anno DAVIDIS ultimo; siquidem, cùm SALOMON interiit, annos quadraginta & unum natus erat (1. Reg. XIV. 21;) quapropter ejus Pater SALOMON natus erat, ut probabile est, DAVIDE jam duodevicesimum Regni sui annum agente, aut antea; & duobus, aut tribus annis ante ejus nativitatem DAVID obsidione cinxit *Rabbah* Metropolim *Ammonitarum*, & mœchatus est cum BATSHEBA: atque anno ante hujus Obsidionis initium DAVID vicerat *Ammonitas*, & *Syrios* ex *Zobath*, ac *Rebob*, atque *Ishtob*, & *Maacab*, ac *Damasco Ammonitis* fœdere junctos, & has omnes Gentes potestati suæ subjecerat, prolatis Imperii finibus ad *Hamath*, & *Euphratem* Fluvium usque: ante hoc bellum incœptum straverat *Moab*, & *Ammon*, & *Edom*, atque *Edomitas* fugere coegerat, quorum alii confugerunt in *Ægyptum* cum eorum Rege HADAD, tunc puero; alii apud *Philistbæos*, ubi *Azotum* contra *Israelem* communierunt: alii, puto, ad *Sinum Persicum*, & alia loca, ad quæ evadere potuerunt; atque ante hæc sæpius pugnaverat contra *Philistæos*: quæ omnia gesta sunt post octavum sui Regni annum, quo ex *Hebron Jerosolymam* venerat. Igitur à vero aberrare nequeo plus quàm duobus, aut tribus annis, ponens Victoriam ex *Edom* relatam fuisse à DAVIDE anno Regni sui undecimo aut duodecimo; ex *Ammone* autem, & *Syriis* decimo quarto. Postquam *Edomitæ* fugerunt, eorum Rex, cùm adolevisset, duxit TAHAPHENEM, aut DAPHNIM sororem Regiæ Conjugis PHARAONIS, & DAVIDE adhuc inter Vivos agente, ex eâ suscepit filium, cui nomen positum fuit GENUBAH, & qui eductus fuit inter PHARAONIS Natos, inter quos erat *natu illa maxima inter Matris suæ filios*, quam SALOMON duxit vix Regnum iniens; & ejus *Scrorcula*, *quæ* tunc *Mammas non habebat*, ejúsque *Frater*, *qui Matris suæ mammas sugebat*. (*Cant.* VI. 9 & VIII. 1, 8.:) Horum Puerorum ferè coævus erat SESACUS, vel SESOSTRIS; nam ad *Ægypti* Regnum pervenit SALOMONE adhuc Regnante, (I. Reg. XI 40;) & antea bella gesserat patris auspiciis, & adhuc penè puer *Arabiam*, *Troglodyticam*, & *Libyam* devicerat, & deinde *Æthiopiam* invaserat; cùm

Digitized by Google

CAP. I. cùm verò patri ſuffectus eſſet, Regnum obtinuit uſque ad quintum Asæ annum: quapropter erat ejuſdem ætatis ac filii Pharaonis de quibus jam meminimus; quin ex iis eſſe poteſt, natus cùm jam *Davidicum* Regnum ad finem vergeret, & agens quadrageſimum ſextum vitæ ſuæ annum, circiter, quando ex *Ægypto* profectus eſt cum ingentibus Copiis ad Orientales Gentes debellandas: cùm autem multas magnáſque Regiones ſibi ſubdidiſſet, ab iis celebratus fuit pluribus Nominibus. *Chaldæi* eum dixerunt Belum, quod, eorum ore ſonat *Dominum*; *Arabes* nuncupárunt illum Bacchum, quod nomen *Arabico* idiomate ſignificat *Magnum*, *Phrygii*, *Thracéſque* illum dixerunt Ma-Fortem, Mavortem, Martem, ideſt, *Fortem*: quâ de cauſâ *Amazones*, quas ipſe è *Thraciâ* adduxerat & ad *Thermodontem* reliquerat, ſemet ipſæ filias Martis appellárunt. *Ægyptii*, ante quàm ad Regnum pervenerat, eum dictitabant ſuum *Heroem*, aut *Herculem*, & poſt ejus mortem, quia magna opera ad Nilum fecerat, ei dicaverunt hunc fluvium, & illum inter Deos retulerunt vocantes Sihor, Nilum, & Ægyptum: *Græci* verò cùm audirent *Ægyptios* lugentes ingeminare *O* Sihor, *Bou* Sihor, eum dixerunt Osirim, & Busirim. Tradit Arrianus, (*k*) quòd *Arabes* duos tantùm Deos colebant, Cælum, & Dionysum; & quòd Dionysum venerabantur ob Gloriam, quam ſibi pepererat Exercitu in *Indiam* ducto. *Arabum* Dionysus erat Bacchus, & omnia ſuadent *Bacchum* eundem eſſe, ac *Ægypti* Regem Osiridem: Cælum autem, aut Uranum, aut Jovem Uranium *Arabum* opinor fuiſſe eundem *Ægypti* Regem, ac Ammonem Osiridis patrem juxta, Poetam.

Quamvis Æthiopum Populis, Arabúmque beatis.
Gentibus, atque Indis unus ſit Juppiter Ammon.

Statuo Sesachum regnare deſiiſſe circiter quintum annum Asæ, quia hoc anno Asa ab *Ægyptiorum* Dominatione ſe ſubduxit, ita, ut *Judæam* munire potuerit, & conficere ingentem illum Exercitum, quo *Zerah* occurrit, illúmque ſtravit. Occiſus igitur

(*k*) Arrian. L 7.

Digitized by Google

igitur fuerat OSIRIS quinto ASÆ anno à fratre ſuo JAPETO, quem *Ægyptii* dixerunt TYPHONEM, PYTHONEM, atque NEPTUNUM: & tum *Libyi* ſub JAPETO, & filio ſuo ATLANTE invaſerunt *Ægyptum*, & ſuſcitârunt celebre illud bellum inter Deos, & Gigantes, unde *Nilo* acceſſit nomen *Eridanus*: Sed ORUS filius OSIRIDIS auxilio *Æthiopum* hoſtes ſuperavit, & Regno potitus eſt ad ASÆ annum decimum quintum uſque: quo tempore *Æthiopes* ſub ZERAH *Ægyptum* invaſerunt, ORUM in *Eridano* merſerunt, & ab ASA tantâ clade fuerunt affecti, ut numquam ZERAH prælium inſtaurare potuerit. Huic ſucceſſit AMENOPHIS è Familiâ Regiâ *Æthiopum*, &, ut puto, ZERAH filius; Sed Populus inferioris *Ægypti* ab eo deſcivit, ſibi OSARSIPHUM Regem optavit, & in auxilium advocavit ingentes Copias è *Phœniciâ*, partim, opinor, Exercitûs ASÆ; quâ de cauſâ AMENOPHIS cum reliquiis Exercitûs illius *Æthiopum*, qui ſub fratre ſuo militaverat, ex inferiori *Ægypto Memphim* confugit, & ibi in novos Alveos *Nilum* derivavit ſub novo Ponte, quem inter duos Montes conſtruxerat; & ſimul ædificavit, ac contra OSARSIPHUM communivit Urbem illam, cui de ſuo Nomine Nomen finxit *Amenophim*, aut *Memphim*; deinde in *Æthiopiam* ſe contulit, ubi tredecim annos commoratus eſt; ac poſtea in *Ægyptum* regreſſus cum ingentibus Copiis ſubegit inferiorem *Ægyptum*, expulſis iis, qui è *Phœniciâ in Ægyptum* accerſiti fuerant: atque hæc eſt, ut reor, illa, quam dicunt ſecundam Paſtorum expulſionem. Ait CASTELLUS, (*l*) quòd apud *Coptos* hæc Urbs dicitur *Manphtha*; unde deducuntur Nomina *Moph*, *Noph*.

Chronologia Græcorum.

Dum AMENOPHIS in *Æthiopiâ* commorabatur, *Ægyptus* maximis turbis agitabatur: atque tunc, opinor, *Græci* hæc audientes excogitârunt *Argonautarum* expeditionem, & *Argo* Navi impoſuerunt lectiſſimos *Græcorum*, qui ſuaderent Gentes littora *Ponti Euxini*, & *Maris Mediterranei* habitantes, ut *Ægypti* Dominationem excuterent, & ſemet ipſæ regerent, ut antea fecerant *Libyi*, *Æthiopes*, & *Judæi*. Hinc confirmatur ſententia

Iſ. Newtoni Opuſcula. Tom. III. K noſtra

(*l*) In Moph.

Digitized by Google

CAP. I. noſtra de *Argonauticâ* expeditione referendâ ad annum, circiter, quadrageſimum tertium poſt SALOMONIS interitum; nam, tunc temporis ardebant in *Ægypto* turbæ. AMENOPHIM probabile eſt reverſum *Æthiopiâ* in *Ægyptum*, ejúſque inferiorem partem domuiſſe circiter octo annos poſt hanc expeditionem; & Imperio ſuo ibi ſtabilito, Exercitum in *Perſidem* duxiſſe, quo Nationum Orientalium rebellionibus occurreret, relicto PROTEO *Memphi*, qui, ſe abſente, gubernaret *Ægyptum*, ac moratum eſſe aliquandiu *Suſæ*, atque *Memnoniam* ædificaviſſe, hanc Urbem muniendo tanquam Imperii Metropolim in illis Regionibus.

ANDROGEUS filius MINOIS, cùm, adhuc Puer, Victor fuiſſet in *Athenæis* ludis, qui ſingulis quatuor annis *Athenis* celebrabantur, contra fidem ab Invidis fuit interemptus; quâ de cauſâ MINOS bellum *Athenienſibus* intulit, eóſque coegit ad mittendos ſingulis octo annis in *Cretam* ſeptem Pueros imberbes, & totidem Virgines, munus ei, qui palmam adeptus eſſet in ſimilibus Ludis in *Cretâ* inſtitutis in honorem ANDROGEI. Hi Ludi videntur acti quâque *Octaeteride* ineunte; & Ludi *Athenæi* quâque *Tetraeteride*, quæ in *Cretâ*, & *Græciâ* allatæ fuerant à *Phœnicibus*. Cùm autem hoc Puerorum tributum tertiò ſolvendum eſſet, ideſt, ſeptemdecim annis poſt finem prædicti belli, & undeviginti, aut viginti, circiter, poſt ANDROGEI cædem, THESEUS Victor fuit, & ex *Cretâ* rediit cum ARIADNA MINOIS filiâ; &, cùm appuliſſet ad *Naxum* aut *Diam Inſulam*, ibi ARIADNAM (*m*) deſeruit, quæ capta fuit à GLAUCO *Ægyptio* ex iis, qui Claſſibus præerant, & in amoribus fuit magno BACCHO, tunc ex *Indiâ* cum victoriâ reverſo, ac ex illo ſuſcepit duos (*n*) Liberos PHLYANTEM, & EUMEDONTEM qui *Argonautæ* fuerunt. BACCHUS iſte deprehenſus fuerat in *Phrygiâ* cum, VENERE matre ÆNEÆ, juxta (*o*) HOMERUM, ſtatim antequàm *Helleſpontum* tranſiret, & *Thraciam* invaderet: Ipſe duxerat ARIADNAM MINOIS filiam, ſecundùm (*p*) HESIO-

(*m*) Euanthes apud Athenæum L. 67. p. 296.
(*n*) Hyginus Fab. 14.
(*o*) Homerſ Odys. L. 8. v. 292.
(*p*) Heſiod. Theogon. v. 945.

Digitized by Google

SIODUM; quapropter, Teſtibus HOMERO, atque HESIODO, qui ſcripſerunt ante quàm *Græci*, & *Ægyptii* Antiquitates ſuas corruperant, BACCHUS iſte unâ Generatione fuit ante *Argonautas*: &, cùm in *Ægypto* regnaret eodem tempore, quo SESOSTRIS, hi duo debent eſſe unus idémque Rex; præſertim cùm eadem ferè, aut ne ferè quidem, feciſſe dicantur; *Indiam*, *Græciámque* BACCHUS invaſit, & poſtea devictus fuit à PERSEI Exercitu, &, bello compoſito, *Græci* eum ſummis honoribus proſecuti ſunt, ei Templum *Argis* ædificaverunt vocatum Templum BACCHI *Cretici*, quia in eo tumulata fuerat ARIADNA, ut (*q*) PAUSANIAS tradit. Ergo ARIADNA mortua eſt bello ad finem ſpectante, paulò ante quàm SESOSTRIS in *Ægyptum* regrediebatur, ideſt, decimo quarto ROBOAMI anno Educta fuerat è *Naxo* circa BACCHI ex *Indiâ* reditum, & tunc BACCHO in deliciis cœpit eſſe, atque illum Triumphantem comitata eſt; igitur THESEUS *Cretam* petivit, ejúſque pater ÆGEUS mortuus eſt circiter nonum, vel decimum annum poſt SALOMONIS interitum. Imberbis tunc erat THESEUS, natus, puta, undeviginti, aut viginti annos; & viginti annos ante necatus fuerat ANDROGEUS agens annum viceſimum, aut viceſimum ſecundum, circiter; & ejus Pater MINOS tunc natus erat ferè annos viginti quinque; & ſeptuaginta, circiter, cùm DÆDALUM in *Siciliâ* inſectatus eſt; natus autem circiter medium DAVIDIS Regnum: EUROPA, ejúſque frater CADMUS in *Europam* veniſſe poterant duobus, aut tribus annis ante MINOEM natum. Chronologia Græcorum.

JUSTINUS in decimo octavo libro ait: *A Rege* Aſcaloniorum *expugnati* Sidonii *navibus appulſi* Tyron *urbem ante annum* ** Trojanæ *cladis condiderunt*: Et STRABO, (*r*) quòd Aradum *condiderant ii*, *qui è* Sidone *fugerant*. Hinc ISAIAS (*s*) vocat Tyrum Sidonis *filiam*, *habitatores ejus Inſulæ*, *quam Mercatores* Sidonis *repleverant*; & (*t*) SALOMON ſub initio Regni

(*q*) Pauſanias L. 2. c. 23.
(*r*) Strabo L. 16.
(*s*) Iſa. XXIII. 2. 12.
(*t*) 1. Reg. v. 6.

Digitized by Google

CAP. I. sui vocavit *Tyrios*, *Sidonios*. Dicit enim HIRAMO *Tyri* Regi. *Servi mei erunt cum Servis tuis*, *& ex sententiâ tuâ mercedes do Servis tuis*, *juxta omnia*, *quæ optâsti*; *Novisti enim*, *quòd hìc inter nos nullus est*, *qui ligna affabrè effingat*, *ut* Sidonii *faciunt*. Novi Incolæ *Tyri* nondum vocari desiverant *Sidonii*, neque Veteres, si multi supererant, ita celebres erant, ut novi, fabrili peritiâ, ut fuissent, si Ars Navigandi ante multum tempus à *Tyris* usurpata fuisset. Artifices, qui è *Sidone* profecti fuerant, nondum mortui erant, & *Sidonii* fugerant Regnante DAVIDE,, ideſt, sub initio Regni ABIBALI patris HIRAMI. ABIBALUS autem est primus *Tyri* Rex, de quo meminerint Historiæ. DAVID, anno duodecimo ex quo Regno potitus fuerat, subegit *Edom*, ut supra vidimus, & idcircò plures *Edomitarum*, ac præsertim Mercatores, & Nautæ ex *Mari Rubro* ad *Philistæos* prope *Mare Mediterraneum* confugerunt, & ibi *Azothum* communiverunt. Nam (*v*) STEPHANUS ait: Ταύτην ἔκλισεν εἴς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' Ερυθρᾶς θαλασσης φυγάδων: *Quidam ex iis*, *qui Mare Rubrum fugerant*, *Azothum ædificavit*: ideſt, Princeps quidam *Edomitarum*, qui DAVIDEM fugerant, contra eum, & pro *Philistæis* munivit *Azothum*. Ad magnam Potentiam ascenderant *Philistæi* accedentibus *Edomitis*, & Pastoribus, & horum auxilio *Sidonem* invaserunt, atque cœperunt, quæ Urbs valdè commoda erat Mercatoribus venientibus à *Rubro Mari*: & deinde compulerunt *Sidonios* fugere, & navigare *Tyrum*, *Aradum*, & ad alias littorales Stationes *Asiæ minoris*, *Græciæ*, ac *Libyæ*, quæ iis negotiantibus jam antea innotuerant; nam, magna bella prosperè gesta ab eorum hoste DAVIDE eos adegerant ad fugam *Mare* capessendam: sunt (*x*) enim profecti maximâ frequentiâ, non quæsitum EUROPAM, ut simulaverunt, sed quæsitum novas Sedes, hoc pacto è suis hostibus elapsuri: atque dum aliqui ex iis sub CADMO, & fratribus in *Ciliciam*, *Asiam Minorem*, ac *Græciam* advehebantur; alii sub aliis Ducibus ibant quæsi-

(*v*) Stepha. in Azath.
(*x*) Conon. Narrat. 37.

Digitized by Google

quæſitum novas Sedes in *Libyâ*; ubi condiderunt plures Civitates mœnibus circumclauſas, ut NONNUS (*y*) affirmat; eorúmque Duces pariter CADMI nomine deſignabantur, quod verbum ſignificat Hominem ex Oriente, ejúſque Uxor dicebatur *Sithonis*, ideſt, *Sidonia*. Ex his Civitatibus plures ſeſe Magni BACCHI Exercitui addiderunt: quibus de cauſis ad decimum quintum, aut decimum ſextum DAVIDIS annum, circiter, ſtatuimus *Sidonem* captam fuiſſe, & *Sidonios* fugâ ſe tranſtuliſſe ſub CADMO, ABIBALO, CILICE, THASO, MEMBLIARIO, ATYMNO, & aliis Ducibus, *Tyrum*, *Aradum*, *Ciliciam*, *Rhodum*, *Cariam*, *Bithyniam*, *Phrygiam*, *Calliſtem*, *Thaſum*, *Samothraciam*, *Cretam*, *Græciam*, & *Libyam*, atque ædificatas fuiſſe *Tyrum*, ac *Thebas*, & ABIBALUM, CADMUMque in his Civitatibus regnare cœpiſſe. Ex his *Phœniciorum* Coloniis *Cares* didicerunt rem nauticam, uſi parvis illis navigiis, quæ ſolis remis inſtructa tunc uſurpabantur, & inceperunt celebrare *Græca Maria*, & plures ex Inſulis, quæ in iis ſunt, colere, ante MINOIS Regnum: Nam, CADMUS in *Græciam* perveniens, primùm *Rhodum* Inſulam prope *Cariam* appulit, & ibi reliquit *Phœniciorum* Coloniam, qui SATURNUM humanis victimis placabant: & *Telchinii* à PHORONEO repulſi ex *Argis* *Rhodum* conceſſerunt cum PHORBANTE, qui Inſulam illam à Serpentibus purgavit; TRIOPAS autem PHORBANTIS filius Coloniam ex *Rhodo* *Cariam* deduxit, ibíque Promontorium occupavit, ab ejus nomine dictum *Triopium*: quæ Colonia, cum aliis ſimilibus, *Cariæ* Claſſes, atque Nautas ſuppeditavit, & in cauſâ fuit ut (*z*) *Phœnicia* diceretur. A STRABONE, & HERODOTO (*a*) diſcimus *Cares* appellatos fuiſſe *Leleges*, ſub MINOIS Poteſtatem veniſſe, primùm coluiſſe *Græcorum Marium* Inſulas, & hinc veniſſe in *Cariam* Regionem antea habitatam à *Lelegibus*, & *Pelasgis*: Unde probabiliter colligi videtur, quòd, cùm LELEX, atque PELASGUS primùm

Chronologia Græcorum.

(*y*) Nonnus Dionyſiac. L. 13. v. 333, & ſequent.
(*z*) Athen. l. 4. c. 23.
(*a*) Strabo l. 10. p. 661. Herod. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. venerunt in *Græciam* novas Sedes sibi quærentes, partim suarum Coloniarum in *Cariâ*, & proximis Insulis reliquerunt.

Cùm negotia, quæ in *Mari Mediterraneo* fieri poterant omnia, versùs Occidentem, usque ad *Græciam*, & *Libyam*, essent apud *Sidonios*, & cùm majori emolumento mercatura exerceri posset per *Mare Rubrum*; eam confecerunt *Tyrii* cum SALOMONE, & aliis *Judæ* Regibus ad bellum *Trojanum* usque; idémque fecerunt mercatores *Aradi Arvad*, aut *Arpad*. Nam, in *Sinu Persico* (*b*) erant duæ Insulæ nuncupatæ *Tyrus*, & *Aradus* ubi erant Templa ritu *Phœnicio*; quapropter *Tyrii*, & *Aradii* navigabant ad has Insulas, & præter eas usque ad Oras *Indiæ*, dum *Sidonii* vela faciebant per *Mediterraneum*: hinc HOMERUS multa loquitur de *Sidone*, at de *Tyro* ne verbum quidem. Sed, procedentibus temporibus, (*c*) *Edom* excussit *Judæ* Dominationem regnante JORAMO *Judæ* Rege, & sibi proprium Regem creavit; quâ de causâ *Judæi*, & *Tyrii* in *Mare Rubro* mercaturam exercere desierunt, & *Tyrii* mercatorias naves in *Mediterraneo* habere cœperunt, ineuntes longa itinera, & petentes loca à *Sidoniis* adhuc non celebrata: alii enim progressi sunt in *Africam* ultra *Syrtes*, & condiderunt *Adrymetum*, *Carthaginem*, *Leptim*, *Uticam*, & *Capsam*; alii verò profecti sunt ad *Hispaniæ* oras, in quibus ædificaverunt, *Carteiam*, *Gades*, atque *Tartessum*; alii denique ulteriùs provecti penetrârunt usque ad *Insulas Fortunatas*, *Britanniam*, & *Thulem*. Octo annos JORAMUS Regnum obtinuit, & per duos ultimos viscerum morbo cruciatus fuit, ante quem morbum *Edomitæ* ab eo defecerant, quia acerbiùs imperabat: Si hanc defectionem referamus ad tertium, circiter, annum ejus Regni, ea incidet in quinto anno PYGMALIONIS Regis *Tyri*, &, circiter, in duodecimo, aut decimo quinto post *Trojanum* excidium; atque tunc, ob hanc defectionem, *Tyrii* à *Rubro Mari* recessêrunt, & longa itinera per *Mediterraneum* incohârunt: Nam, septimo PYGMALIONIS anno, ejus soror DIDO

(*b*) Strabo. l. 16.
(*c*) 2. Chron. XXI. 8, 10. & 2. Reg. VIII. 20, 22.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

DO vela fecit ad *Africæ* littora ultra *Syrtes*, & ibi *Carthaginem* ædificavit. Receſſus iſte à *Mari Rubro Tyriorum* poſtea longa itinera per *Mediterraneum* aggreſſorum, & acceſſio *Edomitarum* DAVIDEM fugientium ad *Philiſtæos* anſam præbuerunt iis, quæ Veteres *Perſæ*, & ipſi *Phœnici* tradunt de *Phœniciis* primùm è *Mare Rubro* profectis ad *Maris Mediterranei* littora, & deinde longinqua itinera ineuntibus, ut HERODOTUS (*d*) refert: Ait enim ſub initio primi libri, quòd *Phœnicii* venientes è *Mare Rubro*, & ad *Mediterraneum* accedentes, capeſſerunt longa itinera afferentes *Ægyptias*, & *Aſſyrias* merces, & inter cetera loca, iverunt *Argos*, cúmque vendidiſſent merces ſuas, rapuerunt & in *Ægyptum* advexerunt *Græcas* mulieres, quæ ad merces iſtas emendas iverant, inter quas Fœminas erat Jo filia INACHI. Igitur *Phœnicii* profecti ſunt è *Mari Rubro* ætate Jüs, & PHORONEI Regis *Argorum* ejus fratris, ideſt, eo tempore, quo DAVID *Edomitas* debellavit, & eos compulit recedere à *Mare Rubro*, & fugere partim in *Ægyptum* cum eorum Rege adhuc puero, partim ad *Philiſtæos* proximam Regionem tenentes, & DAVIDIS inimicos. Hinc *Philiſtæi* occaſionem cœperunt vocandi plures urbes nomine *Erythræ*, quia fuerant *Erythræi*, aut *Edomitæ*, & quia venerant ab *Erythræo* Mari: *Erythræ* enim nomine vocatæ fuerunt urbs in *Joniâ*, alia in *Libyâ*, alia apud *Locros*, alia in *Bæotiâ*, alia in *Cypro* alia in *Ætoliâ*, alia in *Aſiâ* prope *Chium*; atque *Erythia Acra* erat Promontorium in *Libyâ*; *Erythræum* item Promontorium in *Cretâ*, *Erythrus* oppidum prope *Tyburem*, & *Erythini* Urbs, aut Regio in *Paphlagoniâ*; & *Erythræa*, aut *Erythræ* dicebantur *Gades*, quas *Phœnicii* habitaverant. Itaque SOLINUS ait: (*e*) *In capite Bæticæ Inſula à continenti ſeptingentis paſſibus memoratur, quam Tyrii à Rubro Mari profecti Erytheam, Pœni ſuâ linguâ Gadir, ideſt, ſepem nominârunt.* Et PLINIUS (*f*) de parvâ Inſulâ prope *Gades* loquens. *Erythia dicta*

(*d*) Herodo. l. 1. initio, & l. 7. circa medium.
(*e*) Solinus c. 23. Edit. Salm.
(*f*) Plin. l. 4. c. 22.

Digitized by Google

CAP. I. *ta est, quoniam Tyrii Aborigines eorum, orti ab Erythræo Mari ferebantur.* Inter *Phœnicios*, qui cum CADMO in *Græciam* adventârunt, erant *Arabes*, (g) & *Erythræi* (h), vel Incolæ *Maris Rubri*, scilicet *Edomitæ*: & *Thraciam* coluerunt Populi circumcisi, & nuncupati *Odomantes*, idest, ut nonnulli opinantur, *Edomitæ*. *Edom*, *Erythra*, atque *Phænicia* sunt nomina idem significantia, idest, colorem rubrum: Unde probabiliter colligere licet, quòd *Erythræi*, qui DAVIDEM fugerunt, magnâ frequentiâ coluerunt *Phœniciam*, videlicet, omnia maritima littora *Syriæ* ab *Ægypto* ad *Sidonem*; &, cùm sibi *Syriâ linguâ* nomen indidissent *Phœnicios* pro *Erythræis*, nomen dederunt toti huic littori, & quidem huic uni. STRABO (i) ait: Οι μην γὰρ κὰς τυς Ψοίνικας, καὶ τυς Σιδονίυς τυς καθ' ἡμᾶς ἀποίκυς εἶναι τῶν ἐν τῷ Ὠκεανῷ φασι, προστιθέντες καὶ διὰ τί Ψοίνικες ἐκαλοῦντο, ὅτι καὶ ἡ θαλαττα ἐρυθρά. *Alii referunt Phœnices & Sidonios nostros esse Colonos eorum, qui sunt in Oceano; addentes illos ideo vocari Phœnices*, (puniceos,) *quòd Mare rubrum sit.*

STRABO (k) loquens de primis hominibus, qui maritimas oras deseruerunt, & ausi sunt Alto se committere longiora itinera aggressi, nominat BACCHUM, HERCULEM, JASONEM ULYSSEM & MENELAUM, & asserit celebres esse MINOIS Dominationem in mare, & *Phœniciorum* Navigationem, qui Columnas HERCULIS præteriverunt, & ultra eas, atque in mediis *Africæ* littoribus Civitates condiderunt, statim à *Trojano* bello. (l) Hi *Phœnicii* fuerunt *Tyrii*, qui circiter hoc tempus ædificaverunt *Carthaginem* in *Africâ*, *Carteiam* in *Hispaniâ*, & *Gades* in Insulâ cognomine, ultra *Fretum*, & HERCULEM dixerunt præcipuum eorum Ducem, ob labores suos, & res bene gestas, atque *Heracleam*, Civitatem *Carteiam*, quam condiderat. En (m) *Strabonis* verba: Ἐκπλεουσιν οὖν ἐκ τῆς ἡμετέρας θαλάτης, εἰς την ἔξω; δεξιόν ἐστι τοῦτο· καὶ πρὸς αὐτὸ Κάλπη (Καρτηΐα *) πόλις εν τετταράκοντα σταδίοις

(g) Strab. l. 9. pag. 401, & l. 10. p. 447.
(h) Herod. l. 5.
(i) Strabo l. 1. p. 42.
(k) Strabo l. 1. p. 48.
(l) Bochart. chanaan. l. 1. c. 34.
(m) Strabo l. 3. p. 140. * Vide Philos. Transact. N. 329.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

σταδίοις ἀξιόλογος καὶ παλαιὰ, ναυσταθμόν ποτε γενομένη τῶν Ιβήρων· ἔνιοι δὲ καὶ Ηρακλέους κτίσμα λέγουσιν αὐτὴν, ὧν ἐστι καὶ Τιμοσθένης· ὅς φησι καὶ Ηρακλείαν ὀνομάζεσθαι το παλαιόν· δεικνυσθαῖ τε μέγαν περίβολον, καὶ νεωσοίκους. *Mons Calpe ad dextram est è nostro Mari foras navigantibus, & ad quadraginta inde stadia urbs Carteia, vetusta ac memorabilis, olim statio navibus Hispanorum. Hanc ab* HERCULE *quidam conditam aiunt, inter quos est* TIMOSTHENES, *qui eam antiquitus Heracleam fuisse appellatam refert, ostendíque adhuc magnum murorum circuitum, & navlaia.* Hunc HERCULEM vocaverunt etiam MELCARTUM, nempe Regem *Carteiæ*, quia illam ædificaverat, & ejusdem Rex fuerat. BOCHARTUS (*n*) scribit, quòd *Carteia* principiò appellabatur *Melcarteia*, ex MELCARTO, qui eam condiderat &, per *Aphæresim*, *Carteia*; & quòd MELCARTUS idem sonat, ac *Melec Kartha*, idest Rex Urbis, nempe, (ait ille,) *Tyri*: sed, cùm apud nullum veterem Auctorem legamus neque *Carteiam* quondam dictam fuisse *Melcarteiam*, neque MELCARTUM fuisse *Tyri* Regem, verosimilius existimavi, quòd MELCARTUS, aut MELECCARTUS hoc nomen sortitus fuerit ex eo, quòd Civitatem *Carteiam* condiderat, & gubernaverat. Sub MELCARTO Tyrii provecti sunt *Tartessum* usque, sive *Tarshish* in Occidentali *Hispaniæ* parte sitam inter duo ostia Fluminis *Bœtis*, ibíque (*o*) ingentem argenti copiam offenderunt, quod emerunt vilissimo pretio; quin in *Britanniam* usque penetrârunt ante MELCARTI interitum; nam, (*p*) PLINIUS ait: *Plumbum ex Cassiteride Insulâ primus apportavit* MIDACRITUS: Et (*q*) BOCHARTUS animadvertit quòd *Græci* corruptè scripserunt *Midacritum* pro *Melcarto*; *Græci Britanniam* ignorabant diu postquam *Phœnicii* illam detexerant. MELCARTO mortuo ii Templum (*r*) erexerunt in *Gadibus* Insulâ, illúdque ornaverunt sigillis sub oculos ponentibus *Herculis* Labores, ejus *Hydram*, atque *Equos*, quibus comedendum objecerat DIOMEDEM Regem *Bistonum* in *Thraciâ*. In hoc Templo erat au-

(*n*) Canaan l. 1. c. 34. pag. 682.
(*o*) Aristot. de Mirab.
(*p*) Plin. l. 7. c. 56.
(*q*) Canaan l. 1. c. 39.
(*r*) Philostratus in vitâ Apollonii l. 5. c. 1. apud Photium.

Digitized by Google

CAP. I. aureum TEUCRI Balteum, & Olea PYGMALIONIS ítidem aurea ferens Olivas Smaragdinas: atque ex his ſacris TEUCRI & PYGMALIONIS donis colligere licet Templum hoc eorum ætate jam ædificatum fuiſſe. POMPONIUS illius ædificationem refert ad *Trojanum* bellum; TEUCER enim ſeptimo poſt iſtud bellum anno, ſecundùm Marmora, ſolum vertere coactus à patre TELAMONE, *Cyprum* adventavit, & in eâ condidit *Salamina*: ibíque ipſe, & ejus Poſteri regnaverunt, quoad EVAGORAS illorum ultimus devictus fuit à *Perſis* anno ARTAXERXIS *Mnemonis* duodecimo. *Tyrius* iſte HERCULES certè non poteſt eſſe bello *Trojano* vetuſtior, quia *Tyrii Mare Mediterraneum* navigare non cœperunt niſi poſt bellum illud: HOMERUS, enim, & HESIODUS eorum Navigationes prorſus ignorabant, HERCULES autem *Tyrius Hiſpaniæ* Oras adivit, & in *Gadibus* ſepultus fuit. (*s*) ARNOBIUS ait; *Tyrius* HERCULES *ſepultus in finibus Hiſpaniæ*: & MELA verba faciens de HERCULIS Templo *Gaditano*, dicit; *Cur ſanctum ſit oſſa ejus ibi ſepulta efficiunt.* Huic HERCULI decimas ſolvebant (*t*) *Carthaginienſes*, & eas quotannis *Tyrum* mittebant: unde probabiliter confici poteſt, quòd hìc HERCULES adventavit Oras *Africæ* æquè ac *Hiſpaniæ*, & hac ratione viam DIDONI aperuit: OROSIUS (*v*) aliíque affirmant illum in *Africâ Capſam* condidiſſe. JOSEPHUS loquitur de vetuſtiore quodam HERCULE, cui HIRAMUS Templum *Tyri* ædificavit: & fortaſſe fuit alter HERCULES *Tyrius* antiquior, qui eorum mercaturam inchoavit viventibus DAVIDE, & SALOMONE.

Tradit TATIANUS in ſuo libro contra *Græcos*, quòd apud *Phœnicios* floruerunt tres veteres Hiſtoriarum Scriptores, THEODOTUS, HYSICRATES, & MOCHUS, *qui omnes in Hiſtoriis ſuis in* Græcam *linguam verſis à* LÆTO *tradiderunt, quo Rege accidit* EUROPÆ *raptus; iter* MENELAI *in* Phæniciam; *fœdus, & amicitia inter* SALOMONEM, *&* HIRAMUM; *quando*

(*s*) Arnobius l. 1.
(*t*) Bochart. in Canaan. l. 1. c. 24.
(*v*) Oros. l. 5. c. 15. Florus l. 3. c. 1. Salluſt. in Jugurthâ.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

quando HIRAMUS *filiam ſuam* SALOMONI *Uxorem dedit, & ligna præbuit, ut Templum ædificaret, & quòd idem à* MENANDRO Pergameo *affirmatur.* Ex JOSEPHO (*x*) colligitur, quòd *Tyriorum* Annales ab ABIBALO, & HIRAMO Regibus *Tyrii* eo ſcribente adhuc extabant; & quòd MENANDER *Pergameus* eos Græcè verterat; & quòd in illis mentio fiebat de HIRAMI, & SALOMONIS amicitiâ, & de ſuppetiis latis ad Templum ædificandum; & quòd Templum inchoatum fuerat undecimo HIRAMI anno: MENANDRO, & veteribus *Phœniciis* Hiſtoricis Teſtibus, raptus EUROPÆ, & idcircò adventus CADMI fratris ſui in *Græciam* acciderunt, cùm *Tyri* Regnum obtinerent Reges, de quibus loquebantur Hiſtoriæ illæ; igitur non ante ABIBALUM eorum primum, neque ante DAVIDEM, ejuſdem ætatis Virum. MENELAUS iter ſuum facere potuit poſt *Trojæ* deſtructionem. SALOMON igitur regnavit iis temporibus, quæ inter raptas EUROPAM, & HELENAM interfuerunt, atque EUROPA, ejúſque frater CADMUS floruerunt DAVIDE Regnum obtinente. MINOS EUROPÆ filius viguit, dum SALOMON Rex erat, & per partem Regni ROBOAMI: filii verò MINOIS, ANDROGEUS natu major; DEUCALION natu minor, & *Argonauta*; ARIADNA Amaſia THESEI, & BACCHI; ac PHÆDRA uxor THESEI, floruerunt Regno SALOMONIS ad finem jam propiùs ſpectante, & Regnantibus ROBOAMO, ABIJA, & ASA: IDOMENEUS nepos MINOIS bellum ad *Trojam* geſſit: Aſt HIRAMUS in locum patris ABIBALI ſucceſſit viceſimo tertio DAVIDIS anno, & ABIBALUS potuit condidiſſe Regnum *Tyri* circa decimum ſextum, aut duodeviceſimum annum antea, cùm *Sidon* à *Philiſtæis* capta fuit: & hinc aufugiſſe *Sidonii* ſub CADMO, & aliis Ducibus, ut ſibi novas ſedes quærerent. Itaque ex *Tyriis* Annalibus, & ex Veteribus *Phœniciis* Hiſtoricis eos ſecutis, conſtat, quòd ABIBALUS, ATYMNUS, CADMUS, & EUROPA è *Sidone* fugâ ſe proripuerunt circiter decimum ſextum Regni *Davidici* annum: Cùm autem *Argonau-*

(*x*) Antiq. l. 8. c. 2. §. & l. 9. c. 14.

Digitized by Google

CAP. I. *tarum* expeditio evenerit post tres, circiter, Generationes; ea ferè tercentis annis recentior est, quàm *Græci* putaverant.

Postquam Ars navigandi longis Navigiis instructisque velis & uno remorum ordine ex *Ægypto* in *Phœniciam*, & *Græciam* propagata fuit, *Sidonii* mercaturam suam ad *Græciam* usque extenderunt, eámque centum quinquaginta annos circiter prosecuti sunt; & postea *Tyrii* ab *Edomitis* pulsi à *Rubro Mari* novum commercium in *Mediterraneo* cœperunt cum *Hispaniâ*, *Africâ*, *Britanniâ*, atque aliis remotis Nationibus, & illud prosecuti sunt per centum & sexaginta annos, circiter; Deinde *Corinthii* Artem Navigandi protulerunt fabricatis majoribus Navibus, quibus tres erant remorum ordines, & quæ dicebantur *Triremes*. Docet enim (*y*) THUCYDIDES, quòd inter *Græcos Corinthii* primi Navigia hujusmodi construxerunt, & quòd circiter tercentos annos ante belli *Peloponnesiaci* finem, unus ex iis, qui *Corinthi* Naves conficiebant, hinc *Samum* migravit, & *Samiis* quatuor Naves fabricatus est; & quòd ducentis sexaginta annis ante ejusdem belli finem, idest, undetricesimâ Olympiade, circiter, *Corinthii* & *Corcyræi* Classibus inter se pugnârunt, quæ pugna navalis prima est, de quâ Historiæ meminerint. Ait præterea THUCYDIDES, quòd prima Coloniâ, quam *Græci* in *Siciliam* deduxerint, egressa est è *Chalcide* in *Eubœâ*, & *Naxum* condidit Duce THUCLETE; anno autem proximo ARCHIAS *Corintho* cum Coloniâ profectus est, & *Syracusas* ædificavit; & quòd eodem ferè tempore LAMIS *Siciliam* ingressus est cum Coloniâ deductâ è *Megaris in Achaiâ*, & moratus est primùm *Trotili*, deinde *Leontinis*, atque mortuus *Thapsi* prope *Syracusas*; & quòd, eo mortuo, hæc Coloniâ ab HYBLONE advocata fuit *Megaras* in *Sicilia*, ubi fuit per ducentos quadraginta quinque annos, post quos expulsa fuit à GELONE *Siciliæ* Rege. GELO autem floruit circiter septuaginta octo annos ante finem belli *Peloponnesiaci*; igitur retrorsum computa hos septuaginta octo annos, & illos ducentos quadraginta quinque, quibus adde duodecim pro tempore, quod LAMIS

(*y*) Thucyd. l. 6. initio. Euseb. Chr.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

LAMIS in *Siciliâ* regnavit; & hæc computandi ratio referet *Syracusas* conditas circiter annum tercentesimum tricesimum quintum ante finitum bellum *Peloponnesiacum*, vel ad decimam Olympiadem, circa quod tempus statuunt id factum fuisse EUSEBIUS, aliique. Tamen fieri potest, ut *Syracusæ* fuerint ædificatæ viginti, aut triginta annis seriùs; nam, hæc facta à *Græcis*, plus minùs, ficta fuerunt æquo vetustiora. Ex Coloniis postea deductis in *Italiam*, & *Siciliam* ortum est nomen *Magnæ Græciæ*.

Insuper asserit THUCYDIDES, (z) quòd *Græci* primùm venerunt in *Siciliam* tercentis ferè annis postquàm *Siculi* ex *Italiâ* cum Exercitu profecti Insulam illam invaserant: pone id accidisse ducentis octoginta annis post, ac *Syracusas* conditas fuisse tercentis decem annis ante finem belli *Peloponnesiaci*; atque ante eamdem Epocham quingentis nonaginta annis *Siculos* invasisse *Siciliam*, idest, circiter vicesimum septimum SALOMONIS annum. HELLANICUS (a) asserit id factum in tertiâ Generatione ante bellum *Trojanum*; & anno vicesimo sexto, ex quo ALCINOE iniverat Sacerdotium JUNONIS *Argivæ*; & PHILISTIUS *Syracusanus* id evenisse octogesimo anno ante bellum *Trojanum*: hinc sequitur, quòd bellum *Trojanum*, & expeditio *Argonautarum* evenenerunt post SALOMONIS, & ROBOAMI interitum, & nequeunt esse multò antiquiores, quàm nos fecimus.

Regni *Macedonici* (b) fundamenta jecerunt CARANUS, & PERDICCAS, qui erant è familiâ TEMENI Regis *Argorum*, & ex *Argis* aufugerunt Regnum obtinente PHIDONE CARANI fratre. TEMENUS & ejus duo fratres Duces fuerunt *Heraclidarum* in *Peloponnesum* revertentium, cum iis divisit Regionem, quam subegerant: ipse obtinuit *Argos*: post illum, & filium suum CISUM Posteri TEMENI partiti sunt Regnum *Argivum*, quod tandem PHIDON in unum redegit, expulsis Necessariis suis. PHIDON, potentior factus, in *Peloponnesum* pondera, & mensuras intulit, & argentum feriit; atque, submotis *Pisæis*, & *Eliis* præ-

(z) Thucydid. l. 6. initio.
(a) Apud Dionys. l. 1. p. 15. (b) Herodot. l. 8. c. 137.

Digitized by Google

CAP. I. fui vocavit *Tyrios*, *Sidonios*. Dicit enim HIRAMO *Tyri* Regi. *Servi mei erunt cum Servis tuis*, *& ex ſententiâ tuâ mercedes do Servis tuis*, *juxta omnia*, *quæ optâſti*; *Noviſti enim*, *quòd hìc inter nos nullus eſt*, *qui ligna affabrè effingat*, *ut* Sidonii *faciunt*. Novi Incolæ *Tyri* nondum vocari deſiverant *Sidonii*, neque Veteres, ſi multi ſupererant, ita celebres erant, ut novi, fabrili peritiâ, ut fuiſſent, ſi Ars Navigandi ante multum tempus à *Tyris* uſurpata fuiſſet. Artifices, qui è *Sidone* profecti fuerant, nondum mortui erant, & *Sidonii* fugerant Regnante DAVIDE,, ideſt, ſub initio Regni ABIBALI patris HIRAMI. ABIBALUS autem eſt primus *Tyri* Rex, de quo meminerint Hiſtoriæ. DAVID, anno duodecimo ex quo Regno potitus fuerat, ſubegit *Edom*, ut ſupra vidimus, & idcircò plures *Edomitarum*, ac præſertim Mercatores, & Nautæ ex *Mari Rubro* ad *Philiſtæos* prope *Mare Mediterraneum* confugerunt, & ibi *Azothum* communiverunt. Nam (*v*) STEPHANUS ait: Ταύτην ἔκλισεν εἷς τῶν ἐπανιλθόντων ἀπ' Ερυθρᾶς θαλασσης φυγάδων: *Quidam ex iis*, *qui Mare Rubrum fugerant*, *Azothum ædificavit*: ideſt, Princeps quidam *Edomitarum*, qui DAVIDEM fugerant, contra eum, & pro *Philiſtæis* munivit *Azothum*. Ad magnam Potentiam aſcenderant *Philiſtæi* accedentibus *Edomitis*, & Paſtoribus, & horum auxilio *Sidonem* invaſerunt, atque cœperunt, quæ Urbs valdè commoda erat Mercatoribus venientibus à *Rubro Mari*: & deinde compulerunt *Sidonios* fugere, & navigare *Tyrum*, *Aradum*, & ad alias littorales Stationes *Aſiæ minoris*, *Græciæ*, ac *Libyæ*, quæ iis negotiantibus jam antea innotuerant; nam, magna bella proſperè geſta ab eorum hoſte DAVIDE eos adegerant ad fugam *Mare* capeſſendam: ſunt (*x*) enim profecti maximâ frequentiâ, non quæſitum EUROPAM, ut ſimulaverunt, ſed quæſitum novas Sedes, hoc pacto è ſuis hoſtibus elapſuri: atque dum aliqui ex iis ſub CADMO, & fratribus in *Ciliciam*, *Aſiam Minorem*, ac *Græciam* advehebantur; alii ſub aliis Ducibus ibant quæſi-

(*v*) Stepha. in Azath.
(*x*) Conon. Narrat. 37.

Digitized by Google

quæſitum novas Sedes in *Libyâ*; ubi condiderunt plures Civitates mœnibus circumclauſas, ut NONNUS (*y*) affirmat; eorúmque Duces pariter CADMI nomine deſignabantur, quod verbum ſignificat Hominem ex Oriente, ejúſque Uxor dicebatur *Sithonis*, ideſt, *Sidonia*. Ex his Civitatibus plures ſeſe Magni BACCHI Exercitui addiderunt: quibus de cauſis ad decimum quintum, aut decimum ſextum DAVIDIS annum, circiter, ſtatuimus *Sidonem* captam fuiſſe, & *Sidonios* fugâ ſe tranſtuliſſe ſub CADMO, ABIBALO, CILICE, THASO, MEMBLIARIO, ATYMNO, & aliis Ducibus, *Tyrum*, *Aradum*, *Ciliciam*, *Rhodum*, *Cariam*, *Bithyniam*, *Phrygiam*, *Calliſtem*, *Thaſum*, *Samothraciam*, *Cretam*, *Græciam*, & *Libyam*, atque ædificatas fuiſſe *Tyrum*, ac *Thebas*, & ABIBALUM, CADMUMque in his Civitatibus regnare cœpiſſe. Ex his *Phœnicium* Coloniis *Cares* didicerunt rem nauticam, uſi parvis illis navigiis, quæ ſolis remis inſtructa tunc uſurpabantur, & inceperunt celebrare *Græca Maria*, & plures ex Inſulis, quæ in iis ſunt, colere, ante MINOIS Regnum: Nam, CADMUS in *Græciam* perveniens, primùm *Rhodum* Inſulam prope *Cariam* appulit, & ibi reliquit *Phœnicium* Coloniam, qui SATURNUM humanis victimis placabant: & *Telchinii* à PHORONEO repulſi ex *Argis* *Rhodum* conceſſerunt cum PHORBANTE, qui Inſulam illam à Serpentibus purgavit; TRIOPAS autem PHORBANTIS filius Coloniam ex *Rhodo* *Cariam* deduxit, ibíque Promontorium occupavit, ab ejus nomine dictum *Triopium*: quæ Colonia, cum aliis ſimilibus, *Cariæ* Claſſes, atque Nautas ſuppeditavit, & in cauſâ fuit ut (*z*) *Phœnicia* diceretur. A STRABONE, & HERODOTO (*a*) diſcimus *Cares* appellatos fuiſſe *Leleges*, ſub MINOIS Poteſtatem veniſſe, primùm coluiſſe *Græcorum Marium* Inſulas, & hinc veniſſe in *Cariam* Regionem antea habitatam à *Lelegibus*, & *Pelasgis*: Unde probabiliter colligi videtur, quòd, cùm LELEX, atque PELASGUS primùm

Chronologia Græcorum.

(*y*) Nonnus Dionyſiac. L. 13. v. 333, & ſequent.
(*z*) Athen. l. 4. c. 23.
(*a*) Strabo l. 10. p. 661. Herod. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. venerunt in *Græciam* novas Sedes sibi quærentes, partim suarum Coloniarum in *Cariâ*, & proximis Insulis reliquerunt.

Cùm negotia, quæ in *Mari Mediterraneo* fieri poterant omnia, versùs Occidentem, usque ad *Græciam*, & *Libyam*, essent apud *Sidonios*, & cùm majori emolumento mercatura exerceri posset per *Mare Rubrum*; eam confecerunt *Tyrii* cum SALOMONE, & aliis *Judæ* Regibus ad bellum *Trojanum* usque; idémque fecerunt mercatores *Aradi Arvad*, aut *Arpad*. Nam, in *Sinu Persico* (*b*) erant duæ Insulæ nuncupatæ *Tyrus*, & *Aradus* ubi erant Templa ritu *Phœnicio*; quapropter *Tyrii*, & *Aradii* navigabant ad has Insulas, & præter eas usque ad Oras *Indiæ*, dum *Sidonii* vela faciebant per *Mediterraneum*: hinc HOMERUS multa loquitur de *Sidone*, at de *Tyro* ne verbum quidem. Sed, procedentibus temporibus, (*c*) *Edom* excussit *Judæ* Dominationem regnante JORAMO *Judæ* Rege, & sibi proprium Regem creavit; quâ de causâ *Judæi*, & *Tyrii* in *Mare Rubro* mercaturam exercere desierunt, & *Tyrii* mercatorias naves in *Mediterraneo* habere cœperunt, ineuntes longa itinera, & petentes loca à *Sidoniis* adhuc non celebrata: alii enim progressi sunt in *Africam* ultra *Syrtes*, & condiderunt *Adrymetum*, *Carthaginem*, *Leptim*, *Uticam*, & *Capsam*; alii verò profecti sunt ad *Hispaniæ* oras, in quibus ædificaverunt, *Carteiam*, *Gades*, atque *Tartessum*; alii denique ulteriùs provecti penetrârunt usque ad *Insulas Fortunatas*, *Britanniam*, & *Thulem*. Octo annos JORAMUS Regnum obtinuit, & per duos ultimos viscerum morbo cruciatus fuit, ante quem morbum *Edomitæ* ab eo defecerant, quia acerbiùs imperabat: Si hanc defectionem referamus ad tertium, circiter, annum ejus Regni, ea incidet in quinto anno PYGMALIONIS Regis *Tyri*, &, circiter, in duodecimo, aut decimo quinto post *Trojanum* excidium; atque tunc, ob hanc defectionem, *Tyrii* à *Rubro Mari* recessérunt, & longa itinera per *Mediterraneum* incohârunt: Nam, septimo PYGMALIONIS anno, ejus soror DIDO

(*b*) Strabo. l. 16.
(*c*) 2. Chron. XXI. 8, 10. & 2. Reg. VIII. 20, 22.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

DO vela fecit ad *Africæ* littora ultra *Syrtes*, & ibi *Carthaginem* ædificavit. Receſſus iſte à *Mari Rubro Tyriorum* poſtea longa itinera per *Mediterraneum* aggreſſorum, & acceſſio *Edomitarum* DAVIDEM fugientium ad *Philiſtæos* anſam præbuerunt iis, quæ Veteres *Perſæ*, & ipſi *Phœnici* tradunt de *Phœniciis* primùm è *Mare Rubro* profectis ad *Maris Mediterranei* littora, & deinde longinqua itinera ineuntibus, ut HERODOTUS (*d*) refert: Ait enim ſub initio primi libri, quòd *Phœnicii* venientes è *Mare Rubro*, & ad *Mediterraneum* accedentes, capeſſerunt longa itinera afferentes *Ægyptias*, & *Aſſyrias* merces, & inter cetera loca, iverunt *Argos*, cúmque vendidiſſent merces ſuas, rapuerunt & in *Ægyptum* advexerunt *Græcas* mulieres, quæ ad merces iſtas emendas iverant, inter quas Fœminas erat Jo filia INACHI. Igitur *Phœnicii* profecti ſunt è *Mari Rubro* ætate Jüs, & PHORONEI Regis *Argorum* ejus fratris, ideſt, eo tempore, quo DAVID *Edomitas* debellavit, & eos compulit recedere à *Mare Rubro*, & fugere partim in *Ægyptum* cum eorum Rege adhuc puero, partim ad *Philiſtæos* proximam Regionem tenentes, & DAVIDIS inimicos. Hinc *Philiſtæi* occaſionem cœperunt vocandi plures urbes nomine *Erythræ*, quia fuerant *Erythræi*, aut *Edomitæ*, & quia venerant ab *Erythræo* Mari: *Erythræ* enim nomine vocatæ fuerunt urbs in *Joniâ*, alia in *Libyâ*, alia apud *Locros*, alia in *Bæotiâ*, alia in *Cypro* alia in *Ætoliâ*, alia in *Aſiâ* prope *Chium*; atque *Erythia Acra* erat Promontorium in *Libyâ*; *Erythræum* item Promontorium in *Cretâ*, *Erythrus* oppidum prope *Tyburem*, & *Erythini* Urbs, aut Regio in *Paphlagoniâ*; & *Erythræa*, aut *Erythræ* dicebantur *Gades*, quas *Phœnicii* habitaverant. Itaque SOLINUS ait: (*e*) *In capite Bæticæ Inſula à continenti ſeptingentis paſſibus memoratur, quam Tyrii à Rubro Mari profecti Erytheam, Pœni ſuâ linguâ Gadir, ideſt, ſepem nominârunt.* Et PLINIUS (*f*) de parvâ Inſulâ prope *Gades* loquens. *Erythia dicta*

(*d*) Herodo. l. 1. initio, & l. 7. circa medium.
(*e*) Solinus c. 23. Edit. Salm.
(*f*) Plin. l. 4. c. 22.

Digitized by Google

CAP. I. *ta est, quoniam Tyrii Aborigines eorum, orti ab Erythræo Mari ferebantur.* Inter *Phœnicios*, qui cum CADMO in *Græciam* adventârunt, erant *Arabes*, (*g*) & *Erythræi* (*h*), vel Incolæ *Maris Rubri*, scilicet *Edomitæ*: & *Thraciam* coluerunt Populi circumcisi, & nuncupati *Odomantes*, idest, ut nonnulli opinantur, *Edomitæ*. *Edom*, *Erythra*, atque *Phænicia* sunt nomina idem significantia, idest, colorem rubrum: Unde probabiliter colligere licet, quòd *Erythræi*, qui DAVIDEM fugerunt, magnâ frequentiâ coluerunt *Phœniciam*, videlicet, omnia maritima littora *Syriæ* ab *Ægypto* ad *Sidonem*; &, cùm sibi *Syriâ linguâ* nomen indidissent *Phœnicios* pro *Erythræis*, nomen dederunt toti huic littori, & quidem huic uni. STRABO (*i*) ait: Οι μην γὰρ καὶ τους Ψοίνικας, καὶ τους Σιδονίους τους καθ' ἡμᾶς ἀποίκους εἶναι τῶν εν τῷ Ωκεανῷ φασι, προστιθέντες καὶ διὰ τί Ψοίνικες ἐκαλοῦντο, ὅτι καὶ ἡ θαλαττα ἐρυθρά. *Alii referunt Phœnices & Sidonios nostros esse Colonos eorum, qui sunt in Oceano; addentes illos ideo vocari Phœnices*, (puniceos,) *quòd Mare rubrum sit.*

STRABO (*k*) loquens de primis hominibus, qui maritimas oras deseruerunt, & ausi sunt Alto se committere longiora itinera aggressi, nominat BACCHUM, HERCULEM, JASONEM ULYSSEM & MENELAUM, & asserit celebres esse MINOIS Dominationem in mare, & *Phœniciorum* Navigationem, qui Columnas HERCULIS præteriverunt, & ultra eas, atque in mediis *Africæ* littoribus Civitates condiderunt, statim à *Trojano* bello. (*l*) Hi *Phœnicii* fuerunt *Tyrii*, qui circiter hoc tempus ædificaverunt *Carthaginem* in *Africâ*, *Carteiam* in *Hispaniâ*, & *Gades* in Insulâ cognomine, ultra *Fretum*, & HERCULEM dixerunt præcipuum eorum Ducem, ob labores suos, & res bene gestas, atque *Heracleam*, Civitatem *Carteiam*, quam condiderat. En (*m*) *Strabonis* verba: Ἐκπλεουσιν οὖν ἐκ τῆς ἡμετέρας θαλάτης, εἰς την ἔξω, δεξιόν ἐστι τοῦτο· καὶ πρὸς αὐτὸ Κάλπη (Καρτηΐα *) πόλις εν τετταράκοντα σταδίοις

(g) Strab. l. 9. pag. 401, & l. 10. p. 447.
(h) Herod. l. 5.
(i) Strabo l. 1. p. 42.
(k) Strabo l. 1. p. 48.
(l) Bochart. chanaan. l. 1. c. 34.
(m) Strabo l. 3. p. 140. * Vide Philos. Transact. N. 329.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

σταδίοις ἀξιόλογος καὶ παλαιὰ, ναυσταθμόν ποτε γενομένη τῶν Ἰβήρων· ἔνιοι δὲ καὶ Ἡρακλέους κτίσμα λέγουσιν αὐτὴν, ὧν ἐστι καὶ Τιμοσθένης· ὃς φησι καὶ Ἡρακλείαν ὀνομάζεσθαι τὸ παλαιόν· δεικνυσθαί τε μέγαν περίβολον, καὶ νεωτοίκους. *Mons Calpe ad dextram eſt è noſtro Mari foras navigantibus, & ad quadraginta inde ſtadia urbs Carteia, vetuſta ac memorabilis, olim ſtatio navibus Hiſpanorum. Hanc ab* HERCULE *quidam conditam aiunt, inter quos eſt* TIMOSTHENES, *qui eam antiquitus Heracleam fuiſſe appellatam refert, oſtendique adhuc magnum murorum circuitum, & navalia.* Hunc HERCULEM vocaverunt etiam MELCARTUM, nempe Regem *Carteiæ*, quia illam ædificaverat, & ejuſdem Rex fuerat. BOCHARTUS (*n*) ſcribit, quòd *Carteia* principiò appellabatur *Melcarteia*, ex MELCARTO, qui eam condiderat &, per *Aphæreſim*, *Carteia*; & quòd MELCARTUS idem ſonat, ac *Melec Kartha*, ideſt Rex Urbis, nempe, (ait ille,) *Tyri*: ſed, cùm apud nullum veterem Auctorem legamus neque *Carteiam* quondam dictam fuiſſe *Melcarteiam*, neque MELCARTUM fuiſſe *Tyri* Regem, veroſimilius exiſtimavi, quòd MELCARTUS, aut MELECCARTUS hoc nomen ſortitus fuerit ex eo, quòd Civitatem *Carteiam* condiderat, & gubernaverat. Sub MELCARTO Tyrii provecti ſunt *Tarteſſum* uſque, ſive *Tarsbish* in Occidentali *Hiſpaniæ* parte ſitam inter duo oſtia Fluminis *Bœtis*, ibíque (*o*) ingentem argenti copiam offenderunt, quod emerunt viliſſimo pretio; quin in *Britanniam* uſque penetrârunt ante MELCARTI interitum; nam, (*p*) PLINIUS ait: *Plumbum ex Caſſiteride Inſulâ primus apportavit* MIDACRITUS: Et (*q*) BOCHARTUS animadvertit quòd *Græci* corruptè ſcripſerunt *Midacritum* pro *Melcarto*; *Græci Britanniam* ignorabant diu poſtquam *Phœnicii* illam detexerant. MELCARTO mortuo ii Templum (*r*) erexerunt in *Gadibus* Inſulâ, illúdque ornaverunt ſigillis ſub oculos ponentibus *Herculis* Labores, ejus *Hydram*, atque *Equos*, quibus comedendum objecerat DIOMEDEM Regem *Biſtonum* in *Thracîâ*. In hoc Templo erat

(*n*) Canaan l. 1. c. 34. pag. 682.
(*o*) Ariſtot. de Mirab.
(*p*) Plin. l. 7. c. 56.
(*q*) Canaan l. 1. c. 39.
(*r*) Philoſtratus in vitâ Apollonii l. 5. c. 1. apud Photium.

Digitized by Google

CAP. I. aureum TEUCRI Balteum, & Olea PYGMALIONIS ítidem aurea ferens Olivas Smaragdinas: atque ex his sacris TEUCRI & PYGMALIONIS donis colligere licet Templum hoc eorum ætate jam ædificatum fuisse. POMPONIUS illius ædificationem refert ad *Trojanum* bellum; TEUCER enim septimo post istud bellum anno, secundùm Marmora, solum vertere coactus à patre TELAMONE, *Cyprum* adventavit, & in eâ condidit *Salamina*: ibíque ipse, & ejus Posteri regnaverunt, quoad EVAGORAS illorum ultimus devictus fuit à *Persis* anno ARTAXERXIS *Mnemonis* duodecimo. *Tyrius* iste HERCULES certè non potest esse bello *Trojano* vetustior, quia *Tyrii Mare Mediterraneum* navigare non cœperunt nisi post bellum illud: HOMERUS, enim, & HESIODUS eorum Navigationes prorsus ignorabant, HERCULES autem *Tyrius Hispaniæ* Oras adivit, & in *Gadibus* sepultus fuit. (*s*) ARNOBIUS ait; *Tyrius* HERCULES *sepultus in finibus Hispaniæ*: & MELA verba faciens de HERCULIS Templo *Gaditano*, dicit; *Cur sanctum sit ossa ejus ibi sepulta efficiunt.* Huic HERCULI decimas solvebant (*t*) *Carthaginienses*, & eas quotannis *Tyrum* mittebant: unde probabiliter confici potest, quòd hìc HERCULES adventavit Oras *Africæ* æquè ac *Hispaniæ*, & hac ratione viam DIDONI aperuit: OROSIUS (*v*) aliíque affirmant illum in *Africâ Capsam* condidisse. JOSEPHUS loquitur de vetustiore quodam HERCULE, cui HIRAMUS Templum *Tyri* ædificavit: & fortasse fuit alter HERCULES *Tyrius* antiquior, qui eorum mercaturam inchoavit viventibus DAVIDE, & SALOMONE.

Tradit TATIANUS in suo libro contra *Græcos*, quòd apud *Phœnicios* floruerunt tres veteres Historiarum Scriptores, THEODOTUS, HYSICRATES, & MOCHUS, *qui omnes in Historiis suis in* Græcam *linguam versis à* LÆTO *tradiderunt, quo Rege accidit* EUROPÆ *raptus*; *iter* MENELAI *in* Phæniciam; *fœdus, & amicitia inter* SALOMONEM, *&* HIRAMUM; *quando*

(*s*) Arnobius l. 1.
(*t*) Bochart. in Canaan. l. 1. c. 24.
(*v*) Oros. l. 5. c. 15. Florus l. 3. c. 1. Sallust. in Jugurthâ.

Digitized by Google

quando HIRAMUS *filiam ſuam* SALOMONI *Uxorem dedit, & ligna præbuit, ut Templum ædificaret, & quòd idem à* MENANDRO Pergameo *affirmatur.* EX JOSEPHO (*x*) colligitur, quòd *Tyriorum* Annales ab ABIBALO, & HIRAMO Regibus *Tyrii* eo ſcribente adhuc extabant; & quòd MENANDER *Pergameus* eos Græcè verterat; & quòd in illis mentio fiebat de HIRAMI, & SALOMONIS amicitiâ, & de ſuppetiis latis ad Templum ædificandum; & quòd Templum inchoatum fuerat undecimo HIRAMI anno: MENANDRO, & veteribus *Phœniciis* Hiſtoricis Teſtibus, raptus EUROPÆ, & idcircò adventus CADMI fratris ſui in *Græciam* acciderunt, cùm *Tyri* Regnum obtinerent Reges, de quibus loquebantur Hiſtoriæ illæ; igitur non ante ABIBALUM eorum primum, neque ante DAVIDEM, ejuſdem ætatis Virum. MENELAUS iter ſuum facere potuit poſt *Trojæ* deſtructionem. SALOMON igitur regnavit iis temporibus, quæ inter raptas EUROPAM, & HELENAM interfuerunt, atque EUROPA, ejúſque frater CADMUS floruerunt DAVIDE Regnum obtinente. MINOS EUROPÆ filius viguit, dum SALOMON Rex erat, & per partem Regni ROBOAMI: filii verò MINOIS, ANDROGEUS natu major; DEUCALION natu minor, & *Argonauta*; ARIADNA Amaſia THESEI, & BACCHI; ac PHÆDRA uxor THESEI, floruerunt Regno SALOMONIS ad finem jam propiùs ſpectante, & Regnantibus ROBOAMO, ABIJA, & ASA: IDOMENEUS nepos MINOIS bellum ad *Trojam* geſſit: Aſt HIRAMUS in locum patris ABIBALI ſucceſſit viceſimo tertio DAVIDIS anno, & ABIBALUS potuit condidiſſe Regnum *Tyri* circa decimum ſextum, aut duodeviceſimum annum antea, cùm *Sidon* à *Philiſtæis* capta fuit: & hinc aufugiſſe *Sidonii* ſub CADMO, & aliis Ducibus, ut ſibi novas ſedes quærerent. Itaque ex *Tyriis* Annalibus, & ex Veteribus *Phœniciis* Hiſtoricis eos ſecutis, conſtat, quòd ABIBALUS, ATYMNUS, CADMUS, & EUROPA è *Sidone* fugâ ſe proripuerunt circiter decimum ſextum Regni *Davidici* annum: Cùm autem *Argonautarum*

Chronologia Græcorum.

(*x*) Antiq. l. 8. c. 2. §. & l. 9. c. 14.

Digitized by Google

CAP. I. *tarum* expeditio evenerit post tres, circiter, Generationes; ea ferè tercentis annis recentior est, quàm *Græci* putaverant.

Postquam Ars navigandi longis Navigiis instructisque velis & uno remorum ordine ex *Ægypto* in *Phœniciam*, & *Græciam* propagata fuit, *Sidonii* mercaturam suam ad *Græciam* usque extenderunt, eámque centum quinquaginta annos circiter prosecuti sunt; & postea *Tyrii* ab *Edomitis* pulsi à *Rubro Mari* novum commercium in *Mediterraneo* cœperunt cum *Hispaniâ*, *Africâ*, *Britanniâ*, atque aliis remotis Nationibus, & illud prosecuti sunt per centum & sexaginta annos, circiter; Deinde *Corinthii* Artem Navigandi protulerunt fabricatis majoribus Navibus, quibus tres erant remorum ordines, & quæ dicebantur *Triremes*. Docet enim (*y*) THUCYDIDES, quòd inter *Græcos Corinthii* primi Navigia hujusmodi construxerunt, & quòd circiter tercentos annos ante belli *Peloponnesiaci* finem, unus ex iis, qui *Corinthi* Naves conficiebant, hinc *Samum* migravit, & *Samiis* quatuor Naves fabricatus est; & quòd ducentis sexaginta annis ante ejusdem belli finem, idest, undetricesimâ Olympiade, circiter, *Corinthii* & *Corcyræi* Classibus inter se pugnârunt, quæ pugna navalis prima est, de quâ Historiæ meminerint. Ait præterea THUCYDIDES, quòd prima Coloniâ, quam *Græci* in *Siciliam* deduxerint, egressa est è *Chalcide* in *Eubœâ*, & *Naxum* condidit Duce THUCLETE; anno autem proximo ARCHIAS *Corintho* cum Coloniâ profectus est, & *Syracusas* ædificavit; & quòd eodem ferè tempore LAMIS *Siciliam* ingressus est cum Coloniâ deductâ è *Megaris in Achaiâ*, & moratus est primùm *Trotili*, deinde *Leontinis*, atque mortuus *Thapsi* prope *Syracusas*; & quòd, eo mortuo, hæc Coloniâ ab HYBLONE advocata fuit *Megaras* in *Sicilia*, ubi fuit per ducentos quadraginta quinque annos, post quos expulsa fuit à GELONE *Siciliæ* Rege. GELO autem floruit circiter septuaginta octo annos ante finem belli *Peloponnesiaci*; igitur retrorsum computa hos septuaginta octo annos, & illos ducentos quadraginta quinque, quibus adde duodecim pro tempore, quod LAMIS

(*y*) Thucyd. l. 6. initio. Euseb. Chr.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

LAMIS in *Siciliâ* regnavit; & hæc computandi ratio referet *Syracusas* conditas circiter annum tercentesimum tricesimum quintum ante finitum bellum *Peloponnesiacum*, vel ad decimam Olympiadem, circa quod tempus statuunt id factum fuisse EUSEBIUS, aliique. Tamen fieri potest, ut *Syracusæ* fuerint ædificatæ viginti, aut triginta annis seriùs; nam, hæc facta à *Græcis*, plus minùs, ficta fuerunt æquo vetustiora. Ex Coloniis postea deductis in *Italiam*, & *Siciliam* ortum est nomen *Magnæ Græciæ*.

Insuper asserit THUCYDIDES, (z) quòd *Græci* primùm venerunt in *Siciliam* tercentis ferè annis postquàm *Siculi* ex *Italiâ* cum Exercitu profecti Insulam illam invaserant: pone id accidisse ducentis octoginta annis post, ac *Syracusas* conditas fuisse tercentis decem annis ante finem belli *Peloponnesiaci*; atque ante eamdem Epocham quingentis nonaginta annis *Siculos* invasisse *Siciliam*, idest, circiter vicesimum septimum SALOMONIS annum, HELLANICUS (a) asserit id factum in tertiâ Generatione ante bellum *Trojanum*; & anno vicesimo sexto, ex quo ALCINOE inierat Sacerdotium JUNONIS *Argivæ*; & PHILISTIUS *Syracusanus* id evenisse octogesimo anno ante bellum *Trojanum*: hinc sequitur, quòd bellum *Trojanum*, & expeditio *Argonautarum* evenerunt post SALOMONIS, & ROBOAMI interitum, & nequeunt esse multò antiquiores, quàm nos fecimus.

Regni *Macedonici* (b) fundamenta jecerunt CARANUS, & PERDICCAS, qui erant è familiâ TEMENI Regis *Argorum*, & ex *Argis* aufugerunt Regnum obtinente PHIDONE CARANI fratre. TEMENUS & ejus duo fratres Duces fuerunt *Heraclidarum* in *Peloponnesum* revertentium, cum iis divisit Regionem, quam subegerant: ipse obtinuit *Argos*: post illum, & filium suum CISUM Posteri TEMENI partiti sunt Regnum *Argivum*, quod tandem PHIDON in unum redegit, expulsis Necessariis suis. PHIDON, potentior factus, in *Peloponnesum* pondera, & mensuras intulit, & argentum feriit; atque, submotis *Pisæis*, & *Eliis* præ-

(z) Thucydid. l. 6. initio.
(a) Apud Dionys. l. 1. p. 15. (b) Herodot. l. 8. c. 137.

Digitized by Google

CAP. I. fuit ludis Olympicis; sed paulò post devictus fuit ab *Eliis*, & *Lacædemoniis*. Primus *Macedoniæ* Rex (*c*) HERODOTO est PERDICCAS; sed recentiores, ut LIVIUS, PAUSANIAS, & SUIDAS putant CARANUM fuisse primum Regem: JUSTINUS ait post CARANUM regnavisse PERDICCAM, & SOLINUS in CARANI locum successisse PERDICCAM, & eum primum Regis nomen obtinuisse. Probabile est CARANUM, & PERDICCAM coævos fuisse, circiter idem tempus PHIDONEM fugisse, & principio in *Macedoniâ* parva Regna constituisse, quæ post CARANI interitum in unum sub PERDICCA coaluerunt. HERODOTUS affirmat (*d*), quòd post PERDICCAM Regno potiti sunt unus post alium ARÆUS, aut ARGÆUS, PHILIPPUS, ÆROPUS, ALCETAS, AMYNTAS, & ALEXANDER. ALEXANDER erat ejusdem ætatis ac XERXES *Persarum* Rex, & decessit anno quarto Olympiadis septuagesimæ nonæ: huic successit PERDICCAS, & PERDICCÆ ARCHELAUS filius: ait THUCYDIDES (*e*) octo fuisse Reges *Macedoniæ* ante hunc AECHELAUM: Et Chronologi ponentes unumquemque Regem Regno potitum per quadraginta annos & amplius, fecerunt PHIDONEM, atque CARANUM vixisse ante Olympiadas institutas; verumtamen, si singulos Reges per duodeviginti, aut viginti annos Regnum obtinuisse ponamus, ætates septem priorum Regum retrorsum computatæ ab ALEXANDRI interitu, referent PHIDONIS Imperium, & initium Regni *Macedonici* sub PERDICCA, & CARANO ad quadragesimam sextam, aut septimam, Olympiadem, præterpropter. Hæc haud multò vetustiora esse possunt, siquidem LEOCIDES PHIDONIS filius, & ALCMÆONIS filius MEGACLES uno eodémque tempore proci fuerunt AGARISTÆ filiæ CLISTHENIS Regis *Sicyonis*, ut ab HERODOTO (*f*) discimus; & *Amphictyones*, auctore SOLONE, ALCMÆONI, CLISTHENI, & EUROLYCO Regi *Thessaliæ* tradiderunt Imperium Exercitûs, quem coegerant ad *Cirrham* oppugnandam; *Cirrhæi* autem subacti fuerunt

(*c*) Herodot. l. 8.
(*d*) Herodot. l. 8. c. 139.
(*e*) Thucyd. l. 2. prope finem.
(*f*) Herodot. l. 6. c. 127.

Digitized by Google

fuerunt anno ſecundo Olympiadis quadrageſimæ ſeptimæ, juxta Marmora. Quapropter PHIDON, ejus frater CARANUS, SOLON, ALCMÆON, CLISTHENES, & EUROLYCUS ejuſdem ætatis fuerunt, atque floruerunt circiter octavam, aut nonam, Olympiadem ſupra quadrageſimam. Cùm hi jam Senes eſſent, floruit CRÆSUS; SOLON enim CRÆSUM allocutus eſt; & ALCMÆON hoſpitio recepit, & *Delphos* duxit Legatos, quos CRÆSUS miſerat ad Oraculum interrogandum anno primo Olympiadis quinquageſimæ ſextæ, ſecundùm Marmora, atque accerſitus fuit à CRÆSO, & ingentibus muneribus auctus. Chronologia Græcorum.

Quia verò tempora, quæ initium Imperii *Perſici* præceſſerant, & Marmoribus mandata, collecta fuerunt ex tempore, per quod quiſque Rex Regnum obtinuit, & hæc tempora habita fuerunt æquipollentia Generationibus, quarum tres occupant ferè centum annos; & quia tempora, per quæ ſinguli Reges imperare ſolent, breviora ſunt in ratione fermè quatuor ad ſeptem: ideo Chronologia, quæ in his Marmoribus legitur, & quæ pertinet ad tempora ante *Mediam* à CYRO devictam anno quarto Olympiadis ſexageſimæ, ad veritatem quàmproximè accedet, ſi tempora hanc victoriam præcedentia brevientur in ratione quatuor ad ſeptem. Sic *Cirrhæi* domiti fuerunt anno ſecundo Olympiadis quadrageſimæ ſeptimæ, juxta Marmora, ideſt, anno quinquageſimo quarto ante *Mediam* ſubactam; & hic annorum numerus brevior factus in indicatâ ratione, fit annorum triginta & unius, qui ſubducti ex anno quarto Olympiadis ſexageſimæ ſtatuit *Cirrham* devictam ad annum primum Olympiadis quinquageſimæ tertiæ: atque, Marmoribus eâdem ratione correctis, perſpicitur ALCMÆONEM hoſpitio recepiſſe & *Delphos* duxiſſe Legatos à CRÆSO ad Oraculum conſulendum miſſos, anno primo Olympiadis quinquageſimæ octavæ; ſcilicet quarto anno ante quàm *Sardes* à CYRO ſubacti fuerunt: pariter, PISISTRATI Tyrannis, quæ *Athenis*, ſecundùm Marmora, incepit anno quarto Olympiadis quinquageſimæ quartæ, recidit, poſt ſimilem correctionem ad annum tertium Olympiadis quinquageſimæ ſeptimæ, & idcircò SOLON diem ultimum obiit anno quarto Olympiadis ejuſdem. Hæc me-

Digitized by Google

CAP. I. Methodus adhibenda tantùm est, quando alia Argumenta deficiunt; ubi autem adsunt, meliora Argumenta præferenda sunt.

IPHITUS (*g*) tùm Templo JOVIS *Olympici*, tùm Olympicis Ludis præfuit, & post eum ii, qui in ejus locum successerunt ad vicesimam sextam Olympiadem usque: & interea Victores *Tripode* donabantur: Sed *Pisæi* devictis *Eliis*, Ludis istis præesse cœperunt, & Victores coronare, atque *Carnea* in APOLLINIS honorem instituerunt; atque semper præfuerunt, quoad PHIDON eos honori cedere coegit, idest, usque ad quadragesimam nonam Olympiadem circiter: Nam, (*b*) Olympiade quadragesimâ octavâ *Elii*, qui *Pisæorum* consilium subolfecerant, ingressi sunt horum Regionem; sed ab iis impetratum est ut domum pacatè redirent; deinde *Pisæi* fœdere sibi jungentes plures alias *Græcas* nationes, bellum *Eliis* intulerunt, & tandem devicti fuerunt: dum hoc bellum gereretur, opinor, PHIDON præfuit, puta, Olympiade quadragesimâ nonâ; nam, (*i*) quinquagesimâ, ut finis poneretur contentionibus, quæ inter Reges de jure præsidendi agitabantur, sorte ad id electi fuerunt duumviri ex *Elide*, quorum numerus Olympiade sexagesimâ quintâ jam ad novenarium ascenderat, & deinde ad decadem: Hi Judices dicti fuerunt *Hellenodicæ*, Judices *Græciæ* nomine. PAUSANIAS ait, quòd *Elii* PHIDONEM vocaverant, & simul cum eo celebraverant octavam Olympiadem; dixisse poterat quadragesimam nonam; HERODOTUS autem asserit, quòd PHIDON *Elios* removerat: utrumque verum esse potest: Fieri potest, ut *Elii* PHIDONEM contra *Pisæos* advocaverint, & ut hic, cùm victor esset, eos à præsidendo Ludis Olympicis prohibuerit, & ut isti, fœdere facto cum *Lacædemoniis*, excusserint PHIDONIS dominationem, & jus præsidendi recuperaverin.

Docet STRABO (*k*) PHIDONEM fuisse decimum à TEMENO; non decimum Regem; nam, inter CISUM, & PHIDONEM nullus Rex fuit, sed decimus è patre in filium, TEMENO incluso.

Si

(*g*) Strabo l. 8. p. 353.
(*h*) Pausan. l. 6. c. 22.
(*i*) Pausan. l. 5. c. 9.
(*k*) Strabo l. 8. p. 358.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Si Generatio per natu maximos non extenditur ultra viginti ſeptem annos ; hæc novem intervalla ſuppeditabunt ducentos quadraginta tres annos, qui à quadrageſimâ octavâ Olympiade, quâ florebat PHIDON, numerati verſùs antiquiora tempora, referunt reditum *Heraclidarum* ad quinquageſimum annum ante initium Olympiadum, ut ſupra inveneramus. Sed Chronologi computant quingentos & quindecim annos ab *Heraclidarum* reditu ad quadrageſimam octavam Olympiadem, & PHIDONEM ſtatuunt ſeptimum à TEMENO ; quod idem eſt, ac aſſignare octoginta quinque annos ſingulis Generationibus, quæ putatio recipi non poteſt.

Babylonem cepit CYRUS, juxta PTOLOMÆI Canonem, novem annis antequàm deceſſit, anno NABONASSARI ducenteſimo nono, anno ſecundo Olympiadis ſexageſimæ : *Sardes* autem cepit paulò antè ; nempè anno primo Olympiadis quinquageſimæ nonæ, ut SCALIGER ex SOSICRATE colligit : CROESUS tunc *Sardibus* regnabat, regnavítque annos quatuordecim, ideò regnare cœpit anno tertio Olympiadis quinquageſimæ quintæ. SOLON, poſtquam Leges *Athenienſibus* condidit, eos jurejurando obſtrinxit, ut leges ſuas ſervarent, quoad ipſe ex itineribus, quæ ſuſcepturus erat, regreſſus fuiſſet ; ac decem annos peregrinatus eſt, adiens *Ægyptum*, atque *Cyprum*, & inviſens THALETEM *Mileſium* : Cùm autem *Athenas* repetiſſet, invenit PISISTRATUM, qui hujus urbis Tyrannidem affectabat ; quâ de cauſâ SOLON iterùm peregrè profectus eſt ; & tunc à CROESO *Sardes* accerſitus fuit : CROESUS autem, antequam eum SOLON convenit, ſubegerat totam *Aſiam Minorem* ad *Halym* Fluvium uſque : igitur à SOLONE conventus fuit Regno ſuo ad finem ſpectante : colloquium iſtud ſtatuere poſſumus ad nonum ab inchoato CROESI Regno annum, videlicet ad annum tertium Olympiadis quinquageſimæ ſeptimæ ; ac licet ponere Leges à SOLONE datas duodecim annis ante, ideſt, anno tertio Olympiadis quinquageſimæ quartæ : leges autem à DRACONE latas adhuc decem annis ante, ideſt, anno primo Olympiadis quinquageſimæ ſecundæ. Poſtquàm CROESUM convenit SOLON ivit in

Digitized by Google

CAP. I. *Ciliciam* & plura alia loca, atque peregrè (*l*) mortuus est : hoc autem accidit anno secundo, ex quo PISISTRATUS Tyrannidem occupaverat. COMIAS Archon erat tum cùm SOLON post primùm susceptа itinera reversus est *Athenas*; atque anno sequenti Archon fuit HEGESTRATUS, ante cujus anni finem mortuus est SOLON, anno tertio Olympiadis quinquagesimæ septimæ, ut supra; quæ computatio objectionem PLUTARCHI supra memoratam removet.

Jam ostendimus *Phœnicios* è *Sidone* ductos à CADMO aliisque Ducibus, cùm hostes fugerent, *Græciam* venisse & secum litteras atque alias artes attulisse circa sextum & decimum annum Regni DAVIDIS; EUROPAM sororem CADMI fugisse è *Sidone* aliquot ante eum dies & *Cretam* petiisse, ibíque MINOEM peperisse circa duodevicesimum aut vicesimum annum Regni *Davidici*; SESOSTRIM, magnúmque BACCHUM, & ideo etiam OSIRIM, fuisse unum eundémque Regem *Ægypti* ac SESACHUM; & *Ægypto* egressum fuisse ad gentes perdomandas quinto ROBOAMI anno, atque obiisse viginti quinque annos post SALOMONEM; Expeditionem *Argonauticam* factam fuisse anno tertio & quadragesimo, circiter, post SALOMONIS interitum; *Trojam* captam fuisse sex aut octo supra septuaginta annos post ejusdem SALOMONIS mortem; *Phœnicios* è *Tyro* ab oris *Maris Rubri* expulsos ab *Edomitis* fuisse circa septimum & octogesimum annum post SALOMONIS obitum, ac, duobus vel tribus annis post, aggressos fuisse longa itinera in *Mare mediterraneo* vela facientes *Hispaniam* usque & ultra, duce, Viro, qui ob industriam, prudentiam, & regiones detectas, insignitus fuit nominibus MELCARTI, atque HERCULIS; Reditum *Heraclidarum* in *Peloponnesum* accidisse circiter centum quinquaginta & octo annos à SALOMONIS morte; LYCURGUM Legislatorem *Lacedæmone* regnavisse, & tribus Discis Olympicum thesaurum auxisse anno primo Olympiadis decimæ octavæ, vel ducentesimo septuagesimo tertio anno post SALOMONEM mortuum,

(l) Phanias Eph. apud. Plut. in vitâ Solonis.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

tuum, quo tempore *Quinquertium* additum fuit Ludis Olympicis; *Græcos* paulò post cœpisse *Triremes* struere, Coloniásque in *Siciliam* & *Italiam* deducere, unde Regiones illæ nomen *magnæ Græciæ* sunt adeptæ; Primum *Messenium* bellum finitum fuisse ad tercentesimum quinquagesimum à SALOMONIS interitu annum, anno primo Olympiadis tricesimæ septimæ; PHIDONEM coævum SOLONIS fuisse, Ludísque Olympicis præfuisse Olympiade quadragesimâ nonâ, quæ recidit in annum tercentesimum nonagesimum septimum à SALOMONIS obitu; DRACONEM Archontem fuisse, suásque Leges confeciſse, anno primo Olympiadis quinquagesimæ secundæ; SOLONEM verò anno tertio Olympiadis quinquagesimæ quartæ; eundémque SOLONEM invisisse CROESUM anno tertio Olympiadis quinquagesimæ septimæ, sive quatercentesimo tricesimo tertio anno post SALOMONIS mortem; Denique CYRUM cepisse *Sardes* quidem anno quatercentesimo tricesimo octavo, *Babylonem* verò anno quatercentesimo quadragesimo tertio, & *Ecbatanam* anno quatercentesimo quadragesimo quinto post SALOMONIS interitum. Quæ Periodi sic constitutæ habendæ sunt pro fundamentis, quibus veterum temporum Chronologia superstruatur; & ad hanc Chronologiam determinandam nihil aliud faciendum supereſt, nisi ut Periodi istæ reddantur, si fieri potest, paulò accuratiores, & ostendatur quo pacto inter se conciliari possint illæ, & reliquæ *Græcorum*, *Ægyptiorum*, *Assyriorum*, *Chaldædrum*, & *Medorum* Antiquitates.

Dum BACCHUS *indicâ* expeditione detinebatur, THESEUS, ut jam diximus, ARIADNAM deseruit in Insulâ *Naxo*, vel *Diâ*, & *Athenarum* Regnum in patris ÆGEI locum suscepit; ARIADNA autem evasit BACCCHI ex *Indiâ* redeuntis amasia, ejúsque triumphantis comes fuit; atque hæc acciderunt anno, circiter, decimo post SALOMONIS interitum; ex hoc autem tempore octo Reges *Athenas* gubernárunt, videlicet, THESEUS, MENESTHEUS, DEMOPHOON, OXYNTES, APHIDAS, THYMOETES, MELANTHUS, atque CODRUS; Hi Reges, si singuli, cunctis pensatis, regnavisse ponantur annos undeviginti, conficere possunt centum quinquaginta duos annos, & horum Regnorum

Digitized by Google

CAP. I. finem incidere in annum ante Olympiadas quadrageſimum quartum, circiter; Deinde regnaverunt duodecim Archontes, qui, dum viverent, honorem hunc uſurpabant; quorum unicuique tribue Regnum quatuor aut quinque annorum ſupra decem, (non enim poteſtas eorum fatis erat firma,) & hinc habebis centum ſeptuaginta annos, præter-propter; & Archontes perpetui eſſe deſierunt *Athenis* circiter annum ſecundum Olympiadis triceſimæ tertiæ. Poſtea ſuſceperunt habenas ſeptem Archontes decennes, quibus tribui ſolent ſeptuaginta anni; ſed, quia nonnulli ante decennium exactum mortui ſunt, fieri poteſt ut ſeptem illorum Dominatio ultra quadraginta annos non aſcenderit, & ideo finem habuerit circa annum ſecundum Olympiadis quadrageſimæ tertiæ, circa quod tempus initium ſumpſit ſecundum bellum *Meſſenicum*; Archontes in denos annos creatos exceperunt annui, è quibus fuerunt Legumlatores DRACO atque SOLON. Paulò poſt CODRI mortem, NELEUS ex ejus filiis ſecundus, ferre non potens MEDONEM claudum fratrem *Athenis* regnantem, in *Aſiam* ſe recepit; quò eum ſecuti ſunt fratres natu minores ANDROCLES atque CYARETUS pluréſque alii: hi dicti ſunt *Jonii* ab JONE filio XUTI, qui duxit *Athenienſium* exercitum, circa mortem ERECHTHEI, & *Joniæ* nomen tribuerunt Regioni, quam invaſerunt: &, viginti aut viginti quinque annis poſt CODRI mortem, novæ illæ Coloniæ, cùm jam *Joniam* ditione tenerent, ſibimet ipſæ præfecerunt cœtum dictum *Panionium*, compoſitum ex Viris deſumptis ex duodecim urbibus, nempe, *Mileto*, *Myo*, *Priene*, *Epheſo*, *Colophone*, *Lebedo*, *Teo*, *Clazomenis*, *Phocœâ*, *Samo*, *Chio*, atque *Erythræâ*: atque hæc fuit Migratio *Jonica*.

Dum * *Græci* & *Latini* ſuam Chronologiam technicam conſtituebant, magna fuit de *Romæ* antiquitatibus diſceptatio: eam *Græci* faciebant Olympiadibus multò antiquiorem; quorum nonnulli dicebant illam ab ÆNEA conditam fuiſſe; alii à ROMO filio aut nepote ÆNEÆ; alii à ROMO filio aut nepote LATINI Regis *Aboriginum*; alii à ROMO filio ULYSSIS, aut ASCANII; aut

* Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1. p. 44. & 45.

Digitized by Google

aut ITALI: atque *Latinorum* aliqui in *Græcorum* ſententiam prin- Chronologia Græcorum.
cipio dilapſi ſunt, dum eam ædificatam affirmabant à ROMULO filio aut nepote ÆNEÆ. TIMÆUS *Siculus* vult eam conditam fuiſſe à ROMULO nepote ÆNEÆ plus quàm centum annis ante Olympiadas; hanc ſententiam ſecutus eſt NÆVIUS Poeta, qui erat viginti annis natu major quàm ENNIUS, & arma tulerat in primo bello *Punico*, ejúſque belli hiſtoriam ſcripſerat. Hactenus nihil certi conſtitutum fuerat; ſed ad quadrageſimum aut quinquageſimum annum ſupra centeſimum ab interitu ALEXANDRI *Magni* dici cœptum eſt *Romam* iterum ædificatam fuiſſe à ROMULO in decimo quinto ævo poſt excidium *Trojæ*; dum ævum dicebant, intelligebant Regna Regum *Latinorum* vel *Albæ*, & primis quatuordecim Regnis tribuebant, circiter, quatercentos triginta duos annos, ſequentibus autem ſeptem Regibus *Romæ* ducentos quadraginta quatuor; qui duo numeri ſimul ſumpti conficiunt ſexcentos ſexaginta ſex annos à *Trojâ*-deletâ, ſecundùm hos Chronologos; ſed tempus hoc nimis longum eſt pro naturæ curſu; atque hac computatione *Romæ* fundationem ad ſextam ſive ſeptimam Olympiadem referebant; VARRO eam ſtatuebat anno primo ſeptimæ Olympiadis & *Romanorum* plerique VARRONI aſſentiebant; ſed difficile eſt inter ſe conciliare ratiocinationem hanc, & ſolemnes naturæ leges. Etenim, ex quo Chronologia certa eſt, nullum invenio exemplum in hiſtoriâ, quòd ſeptem Reges, quorum plerique fuerunt interfecti, Regno potiti fuerint per ducentos quadraginta quatuor annos ſerie continuâ. Quatuordecim Regna Regum *Latinorum*, (ſi cuique viginti anni tribuantur, adæquatis rationibus,) conficiunt ducentos octoginta annos, quos ſi dinumeres à *Trojæ* excidio, finire reperies ad triceſimam octavam Olympiadem; ſingulis autem Regnis ſeptem Regum *Romanorum*, cùm eorum quatuor vel quinque fuerint obtruncati, & unus expulſus, tribui poſſunt, moderatâ quâdam computatione, quindecim aut ſexdecim anni, rationes compenſando; tribuantur ſeptemdecim; inde obtinebuntur centum undeviginti anni; qui, retroverſum à Regifugio dinumerati, iterum deducent ad triceſimam octavam Olympiadem: quibus duobus ratiociniis *Roma*

Digitized by Google

CAP. I. ædificata videtur in tricesimâ octavâ Olympiade, aut circiter. Simul additis ducentis octoginta, & centum undeviginti annis, habentur omnino anni tercenti nonaginta novem; qui idem numerus conficitur, si singuli ex Regibus viginti cum uno gubernavisse ponantur novemdecim annos. En igitur totum tempus, quod inter *Trojæ* excidium & Regifugium interceſſit; quod retroversum dinumeretur à Regifugio, ideſt, ab anno primo Olympiadis sexagesimæ octavæ; & sic *Trojæ* excidium in annum septuagesimum quartum à SALOMONIS interitu, circiter, recidet.

Cùm SESOSTRIS è *Traciâ Ægyptum* regredi cogitaret, reliquit in *Colchide* ÆETEM cum exercitûs parte, qui hunc transitum tueretur; atque PHRYXUS & soror HELLE, fugientes INUM filiam CADMI paulò post ad ÆETEN confugerunt vecti navigio, cujus insigne erat *aries aureus*: quapropter INO vivebat decimo quarto anno ROBOAMI, quo anno SESOSTRIS *Ægyptum* repetiit, & idcirco CADMUS pater INUS fioruit DAVIDE regnante, & non antea. CADMUS fuit pater POLYDORI; hic pater LABDACI patris LAII, patris OEDIPI, qui pater fuit ETEOCLIS & POLYNICIS, qui se mutuò interemerunt in bello septem Ducum ad *Thebas*, decem vel duodecim annis, circiter, post expeditionem *Argonautarum*; THERSANDER autem POLYNICIS filius *Trojano* bello adfuit. Cùm hæ Generationes procedant per natu majores, qui sanè juvenes Uxorem ducebant, si Generationi cuique assignentur viginti quatuor anni, præter-propter, POLYDORUS natus statuetur ad duodevicesimum, Regni DAVIDIS annum, circiter; itaque CADMUS poterat fuisse adolescens, & adhuc cælebs cùm in *Græciam* primò venit. In hac primâ peregrinatione vela fecit *Rhodum* & inde in *Samothraciam*, quæ Insula prope *Thraciam* est ad borealem *Lemni* partem, atque ibi duxit HARMONIAM sororem JASII & DARDANI; unde nata sunt Mysteria *Samothracica*; POLYDORUS autem hoc conjugio natus esse potest, & quidem uno aut altero post eorum adventum anno; atque EUROPA tunc esse poterat juvenis & in ipso ætatis flore. Hæ Generationes benè breviores esse nequeunt; quapropter CADMUS ejúsque filius

Po-

Digitized by Google

POLYDORUS juniores non erant, quàm nos posuimus; sed neque multò seniores fuisse possunt, quin POLYDORUS ejus ætatis fiat, quâ fieri non potest ut in *Europâ* natus sit, & ut sit filius HARMONIÆ sororis JASII. Igitur LABDACUS in lucem editus est Regno DAVIDIS ad finem vergente; LAJUS vicesimo quarto SALOMONIS anno; OEDIPUS verò ROBOAMI septimo, aut circiter; nisi dicere malis POLYDORUM *Sidone* natum fuisse antequam pater suus in *Europam* venit; Sed POLYDORI nomen *Græcum* est. Chronologia Græcorum.

POLYDORUS duxit NYCTEIDEM NYCTEI filiam, qui in *Græciâ* natus erat; cùmque juvenis mortuus esset, reliquit Regnum suum filiúmque LABDACUM adhuc puerum curæ NYCTEI. Tunc EPOPEUS Rex *Ægialei*, cui postea nomen fuit SICYONI, rapuit ANTIOPAM filiam NYCTEI; (*m*) quapropter ei NYCTEUS bellum intulit, & à prælio victor discessit, sed ambo vulnera acceperunt & paulò post interierunt. LABDACI tutelam & Regni administrationem NYCTEUS reliquit fratri LYCO; EPOPEUS autem vel, ut HYGINUS (*n*) eum appellat, EPAPHUS *Sicyonius* Regnum suum reliquit LAOMEDONTI qui statim bello finem imposuit, ANTIOPAM domum remittens, quæ revertens AMPHIONEM & ZETUM peperit. LABDACUS, cùm adolevisset, à LYCO Regnum recepit; &, paulò post moriens, illud pro LAIO puero filio suo regendum iterum LYCO commisit. ZETHUS & AMPHION, cùm jam viginti, circiter, annos nati essent, LYCUM, hortante matre ANTIOPA de medio sustulerunt, LAIUM coegerunt ad PELOPEM confugere, *Thebas* occupárunt & muro cinxerunt; AMPHION duxit NIOBEM PELOPIS sororem, ex quâ plures liberos suscepit, &, inter ceteros, CHLORIM matrem PERICLYMENI *Argonautæ*. PELOPS pater fuit PLISTHENIS, ATREI, atque THYESTIS: AGAMEMNON autem & MENELAUS, quos sibi filios ATREUS adoptavit *Trojano* bello interfuerunt. ÆGYSTUS filius THY-

(*m*) Pausan. l. 2. c. 6.
(*n*) Hygin. Fab. 7. & 8.

Digitized by Google

CAP. I. THYESTIS obtruncavit AGAMEMNONEM anno post *Trojam* captam; & ATREUS mortuus est statim antequam PARIS HELENAM rapuit, quod, HOMERO teste, (*o*) accidit viginti annis antequàm *Troja* caperetur. DEUCALION filius MINOIS (*p*) fuit inter *Argonautas*; & TALUS alius MINOIS filius ab *Argonautis* interfectus est; IDOMENEUS autem & MERIONES nepotes MINOIS *Trojano* bello adfuerunt. Hæc omnia confirmant, quæ supra tradita sunt de ætate CADMI & EUROPÆ, ac eorum posteritatis, atque ostendunt interitum EPOPEI vel EPAPHI Regis *Sicyonis*, atque nativitatem AMPHIONIS ac ZETI referri debere ad decimum SALOMONIS annum; atque ad ejusdem Regis tricesimum, aut circiter, *Thebas* captas ab AMPHIONE & ZETO, & LAII fugam ad PELOPEM. Fieri potest, ut AMPHION duxerit PELOPIS sororem eodem anno, & ut PELOPS in *Græciam* venerit tribus aut quatuor annis ante fugam istam, vel circiter vicesimum sextum SALOMONIS annum.

ERECTHEO *Athenis*, & CELEO *Eleusi* regnantibus, CERES in *Atticam* venit, & TRIPTOLEMUM CELEI filium eduxit, eúmque docuit tritici sationem. Sui (*q*) copiam fecit JASIONI vel JASIO fratri HARMONIÆ uxoris CADMI; & statim ac illa mortua fuit, ERECTHEUS interemptus fuit in bello, quod inter *Athenienses* & *Eleusinios* gerebatur; atque in CERERIS honorem, eò quòd agriculturam *Græcos* docuisset, CELEUS & EUMOLPUS *Sacra Eleusinia* instituerunt cum (*r*) *Ægyptiis* cæremoniis, atque Sepulchrum sive Templum ei erectum fuit *Eleusi*, in quo CERERIS Sacerdotium exercebant familiæ CELEI & EUMOLPI: Hoc Templum cum illo, quod EURIDICE extruxit in honorem filiæ DANAES sub JUNONIS *Argivæ* nomine sunt prima exempla, quæ in *Græciâ* reperio, mortuorum inter Deos relatorum, cum Templis, sacris Ritibus, Sacrificiis, & Initiationibus, atque Sacerdotum serie ad hæc perficienda.

Jam

(*o*) Homer. Iliad. Ω.
(*p*) Hygin. Fab. 14.
(*q*) Homer. Odiss. E. Diodor. lib. 5. p. 237.
(*r*) Diodor. l. 1. p. 17.

Digitized by Google

Jam ex hac historiâ patet, ERECHTHEUM, CELEUM, EUMOLPUM, CERÉREM, JASIUM, CADMUM, HARMONIAM, ASTERIUM, & DARDANUM JASII fratrem & unum ex his, qui *Trojanum* Regnum condiderunt, coæquales omnes fuisse, & juventute floruisse quando CADMUS primùm in *Europam* venit. ERECHTHEUS multò senior fuisse non potest, quia aliqua intercessit familiaritas inter ejus filiam PROCRIN & MINOEM *Cretæ* Regem; atque ejus nepos THESPIS habuit quinquaginta filias, quæ sui copiam HERCULI fecerunt; & ejus filia ORITHYIA mater fuit CALAIS & ZETI, qui, juvenes, *Argonautæ* fuerunt; atque ejus filius ORNEUS (s) fuit pater PETEI, patris MNESTEI, qui *Trojano* bello interfuit: sed neque multò junior fuisse potest, quia secundus ejus filius PANDION, qui cum METIONIDE Regno pepulit CECROPEM fratrem natu maximum pater fuit ÆGEI, patris THESEI; & METION, alter ex ejus filiis, pater fuit EUPALAMI patris DÆDALI, qui THESEO vetustior fuit; atque ejus filia CREUSA nupsit XUTO filio HELLENIS, & ex eo suscepit duos filios ACHÆUM & JONEM; JON verò Dux fuit exercitûs ATHENIENSIUM contra *Eleusinios*, in eo prœlio, in quo avus ejus ERECTHEUS enectus fuit; & hæc acciderunt statim antequàm *Eleusinia Sacra* instituerentur, & ante Regnum à PANDIONE patre ÆGEI susceptum. ERECHTHEUS, cùm *Ægyptius* esset, inde triticum portandum curavit, ob quod beneficium Rex *Athenarum* fuit creatus; &, eo Regnum ineunte, CERES è *Siciliâ* in *Atticam* advecta est quærens filiam PROSERPINAM. Non multùm à vero possumus aberrare, statuentes HELLENEM vixisse, aut SAULE aut DAVIDE, & quidem *Hebrone*, regnante, ERECHTHEUM Regnum capessisse anno vicesimo quinto; CERÉREM in *Atticam* venisse tricesimo; TRIPTOLEMUM quadragesimo DAVIDIS, circiter, triticum distribuisse; CERÉREM verò & ERECHTHEUM interiisse, atque *Eleusinia Sacra* insti-

Chronologia Græcorum.

(s) Pausan. l. 2. c. 25.

CAP. I. tuta fuiſſe inter decimum & decimum quintum SALOMONIS annum.

TEUCER, DARDANUS, ERICHTHONIUS, TROS, ILUS, LAOMEDON, & PRIAMUS, unus poſt alium *Trojæ* regnaverunt; unde, ſingulis tribuendo circiter viginti annos rationibus æquatis, conficiuntur centum quadraginta anni; hos retroverſum computa à *Trojæ* excidio, & conſtituent initium Regni TEUCRI ad decimum quintum *Davidici* Regni annum, circiter; initium autem Regni DARDANI ad CERERIS dies, quæ rem habuit cum JASIO DARDANI fratre; cùm tamen Chronologi ſex ultimis ex hiſce Regibus tribuant ducentos nonaginta ſex annos, unde conficitur eorum unumquemque regnaviſſe quadraginta novem annos cum triente, cunctis penſatis, atque primum floruiſſe MOSE vivente. DARDANUS duxit filiam TEUCRI filii SCAMANDRI, & in ejus locum ſucceſſit: ergo TEUCER DAVIDI coæqualis fuit.

Reverſo in *Ægyptum* SESOSTRI frater ejus DANAUS non ſolùm ei necem machinatus eſt, ut ſupra diximus, ſed etiam filiis ſuis, quæ quinquaginta nupſerant filiis SESOSTRIS, imperavit ut viros obtruncarent; ac deinde ex *Ægypto* cum filiis fugit longâ navi quinquaginta remis inſtructâ. Quæ fuga recidit in decimum quartum ROBOAMI annum. DANAUS primò *Lindum* urbem Inſulæ *Rhodi* venit, ubi Templum ſtruxit, & ſtatuam MINERVÆ poſuit, tréſque filias amiſit ictas peſte, quæ tunc ibi graſſabatur; poſtea cum reliquis filiis *Argos* advectus eſt. Quapropter *Argos* appulit quinto aut ſexto decimo ROBOAMI anno: & denique, de Regno *Argivo* contendens cum GELANORE EURYSTHEI fratre, à Populo Rex creatus fuit, & *Argis* regnavit dum EURYSTHEUS *Mycenis* imperabat; EURYSTHEUS autem eodem, quo HERCULES, anno (*t*) natus eſt. GELANOR & EURYSTHEUS fuerunt filii STHENELI & NICIPPES filiæ PELOPIS; at STHENELUS filius fuit PERSEI & Rex *Argorum*; DANAUS verò, qui in ejus locum ſuffectus fuit, ſuc-

(*t*) Apollodor. l. 2. Sect. 5.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

ſucceſſorem habuit generum LINCEUM; hic filium ABANTEM. Hic eſt ille ABAS, qui vulgò, ſed falſò, putatur pater ACRISII & PRÆTI. Sub *Argonautarum* expeditione imberbes erant CASTOR & POLLUX, eorúmque ſorores HELENA & CLYTEMNESTRA puellæ, atque eorum uxores PHOEBE & ILAIRA valde juvenes; omnes hi, & *Argonautæ* LYNCEUS atque IDAS erant nepotes GORGOPHONES filiæ PERSEI filii DANAES filiæ ACRISII & EURYDICES: PERIERES autem atque OEBALUS, viri GORGOPHONES, fuerunt filii CYNORTIS filii AMYCLÆ fratris EURIDICES. MESTOR vel MASTOR frater STHENELI duxit LYSIDICEM alteram filiam PELOPIS; PELOPS autem HYPPODAMIAM filiam EVARETIS filiæ ACRISII. ALCMENA mater HERCULIS filia fuit ELECTRYONIS; fratres verò GORGOPHONES fuerunt STENELUS, MESTOR & ELECTRIO, atque filii PERSEI & ANDROMEDÆ: ÆSCULAPIUS *Argonauta* erat nepos LEUCIPPI & PHLEGIÆ, atque LEUCIPPUS filius PERIERIS nepotis AMYCLÆ fratris EURYDICES: AMYCLAS & EURYDICE nati ſunt ex LACÆDEMONE & SPARTA: at CAPANEUS, unus ex ſeptem Ducibus in *Thebas*, fuit vir EVADNES filiæ IPHIS filii ELECTORIS filii ANAXAGORÆ filii MEGAPENTHIS filii PRÆTI fratris ACRISII. Ex his omnibus Generationibus confici poteſt PERSEUM, PERIEREM, & ANAXAGORAM fuiſſe ferè coævos MINOIS, PELOPIS, ÆGEI, & SESACI; ACRISIUM, PROETUM, EURIDICEM, & AMYCLAM, cùm ante hos fuerint duabus breviuſculis Generationibus, vixiſſe, circiter, eodem tempore, quo DAVID atque ERECHTHEUS; Templum JUNONIS *Argivæ* ædificatum fuiſſe circa tempus illud, quo Templum SALOMONIS; ſiquidem ædificatum fuit ab EURYDICE in honorem filiæ DANAES, ut ſupra diximus; vel, ut alii volunt, à PIRASO vel PIRANTHO ARGI filio & ſucceſſore & filio nepotis PHORONEI: nam, prima Sacerdos hujus Deæ fuit CALLITHEA filia PIRANTHI; CALLITHEÆ ſucceſſit ALCINOE circiter tres Generationes ante *Trojæ* excidium, ideſt,

Digitized by Google

CAP. I. circiter medium SALOMONIS Regnum: eâ Sacerdotium exercente, *Siculi* ex Italiâ in *Siciliam* tranſmigraverunt: & poſtea HYPERMESTRA filia DANAI JUNONIS Sacerdos facta eſt, & floruit tempore quod proximè præceſſit *Argonautarum* expeditionem: ADMETA filia EURYSTHEI Sacerdotio hoc fungebatur circa tempus belli *Trojani*. ANDROMEDA uxor PERSEI filia fuit CEPHEI *Ægyptii*, filii BELI, ſecundùm HERODOTUM (*u*); *Ægyptius* autem BELUS fuit AMMON: illam PERSEUS rapuit ex *Joppâ*, ubi CEPHEUS, cognatus, puto, uxoris SALOMONIS, eo regnante degebat. ACRISIUS & PRŒTUS fuerunt filii ABANTIS; at non illius ABANTIS, qui fuit DANAI nepos, ſed alterius multò vetuſtioris, qui *Abæam* in *Phocide* condidit, & forſan ille, ex cujus nomine *Eubœa* (*w*) Inſula dicta fuit antiquitus *Abantis*, & ejus Incolæ *Abantes*: etenim APOLLONIUS *Rhodius* (*x*) affirmat *Argonautam* CANTHUM fuiſſe filium CANETHI, & CANETHUM hunc ex ABANTIS poſteris; at APOLLONII Interpres docet inſuper ex hoc ABANTE incolas *Eubœæ* antiquitus vocatos fuiſſe *Abantes*. Iſte ABAS igitur floruit tribus aut quatuor Generationibus ante *Argonauticam* expeditionem, & potuit fuiſſe pater ACRISII: hujus majores pro *Ægyptiis* habebantur à *Græcis*, & ex *Ægypto* veniſſe potuerant ſub ABANTE in *Eubœam*, & inde in *Peloponneſum*. Inter Reges *Argorum* non annumerandi videntur PHORBAS ejúſque filius TRIOPAS, quia ex *Argis Rhodum* fugâ petierunt; neque CROTOPUS, quia *Argis* diſceſſit, & ſibi novam urbem ædificavit in *Megaride*, ut (*y*) CONON refert.

Diximus PELOPEM in *Græciam* veniſſe circa viceſimum ſextum SALOMONIS annum: illuc (*z*) venit viventibus ACRISIO, & ENDYMIONE, hujúſque filiis, & ÆTOLUM *Ætoliâ* diſpulit. ENDYMION filius fuit ÆTHLII, filii PROTOGENIÆ

(*u*) Herodot. l. 7.
(*vv*) Bochart Canaan. part. 2 cap. 13.
(*x*) Apollon. Argonaut l. 1. v. 77.
(*y*) Conon nar. 13.
(*z*) Pauſan. l. 5. c. 1. Apollod l. 1. c. 7.

Digitized by Google

NIÆ ſororis HELLENIS, & filiæ DEUCALIONIS: PHRIXUS & HELLE filii ATHAMANTIS, fratris SISYPHI & filii ÆOLI, filii HELLENIS, fugientes INUM novercam, CADMI filiam, ſeſe in *Colchidem* ad ÆETEM receperunt ſtatim poſt reditum SESOSTRIS in *Ægyptum*: & JASON *Argonauta* fuit filius ÆSONIS, filii CRETHEI, filii ÆOLI, filii HELLENIS: & CALYCE fuit uxor ÆTHLII, ac mater ENDYMIONIS, atque filia ÆOLI, ſorórque CRETHEI, SISYPHI, & ATHAMANTIS: ex hiſce omnibus conſequitur CRETHEUM, SISYPHUM, & ATHAMANTEM floruiſſe circa finem Regni SALOMONIS & initium ROBOAMI. AETHLIUS, ÆOLUS, XUTHUS, DORUS, TANTALUS, & DANAE vixerunt eodem tempore, quo ERECHTHEUS, JASIUS, atque CADMUS: & HELLEN quidem unâ, DEUCALION verò duabus, circiter, Generationibus antiquiores fuerunt quàm ERECHTHEUS. Multò magis antiqui ut fuerint, fieri nequit, quia XUTUS, natu minimus ex HELLENIS filiis (*a*) duxit CREUSAM filiam ERECHTHEI: ſed neque fieri poteſt ut multò recentiores fuerint, quandoquidem CEPHALUS filius DEIONEI, filii ÆOLI, natu maximi filiorum HELLENIS duxit (*b*) PROCRIN ERECHTHEI filiam; PROCRIS autem virum deſeruit ad MINOEM confugiens. Mortuo HELLENE, XUTUS ejus filius natu minimus (*c*) *Theſſaliâ* fuit expulſus à fratribus ÆOLO & DORO, apud ERECHTHEUM ſe recepit, & uxorem duxit CREUSAM filiam ERECHTHEI; ex quâ duos ſuſcepit liberos ACHÆUM & JONEM, quorum junior jam adultus erat ante mortem ERECHTHEI, & imperavit exercitui *Athenienſium* in pugnâ, in quâ ERECHTHEUS vitam amiſit: quapropter HELLEN mortuus eſt unâ, circiter, Generatione ante ERECHTHEUM.

Chronologia Græcorum.

Itaque SISYPHUS condidit *Corinthum* prope finem Regni SALOMONIS, aut initium ROBOAMI. Fugâ PHRIXI & HELLES, pater ATHAMAS exiguum habens Regnum in *Bœotiâ*,

(*a*) Pauſan. l. 7. c. 1.
(*b*) Pauſan. l. 1. c. 37., & l. 10. c 29.
(*c*) Pauſan. l. 7. c. 1.

Digitized by Google

CAP. I. CYPSELO *Heraclidæ* in *Peloponnesum* regressi sunt, ut jam diximus: AGAPENOR fuit ex HELENÆ procis, & quidem antequàm Regnum capessiverat, & postea ivit ad bellum *Trojanum*, atque inde *Cyprum*, ubi *Paphum* condidit. ECHEMUS obtruncavit HYLLUM filium HERCULIS. LYCURGUS, CEPHEUS, & AUGE fuerunt filii (*b*) ALEI, filii APHIDÆ, filii ARCADIS, filii CALLISTUS, filiæ LYCAONIS: AUGE sui copiam HERCULI fecit, & ANCÆUS LYCURGI filius fuit *Argonauta*, ejúsque moderator in hac expeditione fuit patruus CEPHEUS; LYCURGUS domi remansit curaturus seniorem patrem ALEUM jam jam septuaginta quinque, circiter, annos natum ante hanc expeditionem; ejus avus ARCAS natus esse potuit circa finem Regni SAULIS, & LYCAON ARCADIS avus etiam tunc vivere poterat, & è vitâ decessisse ante medium DAVIDIS Regnum: OENOTRUS ejus filiorum natu minimus, qui *Latinis* JANUS habetur, jam, ante inceptum SALOMONIS Regnum, grandior esse poterat, & Coloniam in *Italiam* deducere. ARCAS accepit (*i*) à TRIPTOLEMO tritici sationem, & populum suum panem conficere docuit. Idem fecit EUMELUS primus Rex Regionis illius, cui postea nomen fuit *Achaiæ*: unde conficitur coævos fuisse ARCADEM, EUMELUM, TRIPTOLEMUM, senem ejus patrem CELEUM, ERECHTHEUM Regem *Athenarum*; ut & CALLISTUM RHARUMque, illius patrem LYCAONEM atque CRANAUM: sed LYCAON ante CRANAUM diem ultimum obiit, ita ut DEUCALIONIS diluvium inter horum duorum Regum interitum accidisse potuerit. Undecim Reges *Arcadiæ*, qui fuerunt inter diluvium illud & reditum *Heraclidarum* in *Peloponnesum*, videlicet inter LYCAONIS & CYPSELI Regna, si unicuique tribuantur viginti anni, præter-propter, rationibus adæquatis, sufficiunt ducentos viginti annos, qui, retroversum ab *Heraclidarum* reditu dinumerati, referunt DEUCALIONIS diluvium ad decimum quartum DAVIDIS annum, aut circiter. Affirmat

(*h*) Paus. l. 8. c. 4. Apoll. Argon. l. 1. v. 161.
(*i*) Paus. l. 8. c. 4.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Affirmat HERODOTUS (*k*) *Phœnicios* cum CADMO profectos multas scientias in *Græciam* intulisse; nam, inter hos *Phœnicios* erat quoddam hominum genus, qui *Curetes* dicebantur, & qui præ reliquis hominibus in artibus scientiisque *Phœniciorum* erant versati; quorum alteri (*l*) considerunt in *Phrygiâ*, ubi nuncupati fuerunt *Corybantes*; alteri in *Cretâ*, ubi fuerunt appellati *Idæi Dactyli*; alteri *Rhodo*, ubi dicti fuerunt *Telchines*; alteri in *Samothraciâ*, ubi appellati fuerunt *Cabyri*; alteri in *Eubœâ*, ubi ante inventum ferrum, chalcum fabrefecerunt in urbe, quæ hac de causâ *Chalcidis* nomen adepta est; alteri *Lemno*, ubi VULCANI adjutores fuerunt; alteri demum *Imbro* & in aliis locis: Sed multi *Ætoliam* coluerunt, quæ idcirco *Curetum* Regio dicta fuit, donec ÆTOLUS filius ENDYMIONIS, occiso API Rege *Sycionis*, fugam arripuit, &, suppetias ferente patre, Regionem illam invasit, *Ætoliamque suo nomen de nomine fecit*: ope horum fabrorum CADMUS effodit aurum ex *Pangæo Thraciæ* monte, & cuprum rubeum prope *Thebas*; hinc factum est ut hactenus dicatur *Cadmia* lapis æroſus, seu lapis ille ex quo fit æs. In locis, ubi morati sunt, primùm ærea opera fecerunt, donec ferrum invenerunt, & deinde ferrea; &, cùm sibimet ipsi arma essent fabricati, armis induti saltaverunt inter sacrificia clamantes, calamos inflantes, & pulsantes æra atque tympana, & gladiis arma percutientes musicis quibusdam modis, tanquam si afflati essent *numine jam propiore Dei*; & hæc Musices in *Græciâ* origo perhibetur: ita SOLINUS; (*m*) *Studium musicum inde cœptum, cùm* Idæi Dactyli *modulos crepitu & tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent*: & ISIDORUS (*n*); *Studium musicum ab* Idæis Dactylis *cœptum*. APOLLO & *Musæ* duabus post hos Generationibus fuerunt. CLEMENS (*o*) hos *Idæos Dactylos* vocat barbaros, ideſt, peregrinos, & asserit

(*k*) Herod. l. 5. c. 58.
(*l*) Strabo l. 10. pag. 464. 465. 466.
(*m*) Solin. Polyhist. c. 11.
(*n*) Isidor. Origin. l. 11. c. 6.
(*o*) Clem. Strom. l. 1.

Digitized by Google

CAP. I. illos habitos fuisse primos sapientes, quibus cùm litteræ dictæ *Ephesiæ*, tum musici Rhytmi debentur: quo tempore *Phœniciæ* litteræ, quæ CADMO tribuuntur, in *Græciam* allatæ fuerunt, eodem advectæ videntur à *Curetibus* qui ibi consederunt in *Phrygiam* atque *Cretam*, & appellatæ *Ephesiæ*, quia primùm *Ephesi* traditæ fuerunt. *Curetes*, dum æs & ferrum fabricant, dum conficiunt gladios & arma atque instrumenta acie instructa, quibus ligna secari & aptari possent, novam pugnandi rationem in *Europam* advexerunt; unde MINOS opportunitatem nactus est ædificandi Classem, & sibi Maris imperium pariendi; inde Fabri ferrarii & lignarii in *Græciâ*: & hæc origo est artium quæ manu exercentur. Classis MINOIS (*p*) vela non habebat, & DÆDALUS eum insequentem evasit, quia velis navigium suum instruxit; quapropter naves cum velis à *Græcis* usurpatæ non fuerunt ante DÆDALI fugam & interitum MINOIS, qui interemptus fuit dum illum in *Siciliâ* prosequeretur, ROBOAMO Regnum obtinente. DÆDALUS & ejus nepos TALUS, SALOMONIS Regno ad finem spectante, excogitaverunt securim, serram, terebram, normam, circinum, tornum, gluten, & rotam Figulorum; & hæc initium dederunt Artibus, quæ manu perficiuntur in *Europâ*.

Iidem (*q*) *Curetes*, qui Litteras, Musicen, Poësim, Saltationem, & Artes invexerant, & operam Sacrificiis navaverant, non minùs acriter religiosa instituta curaverunt; &, ob ingenium, doctrinam, & mysticos ritus, vulgo sapientes & sagi fuerunt nuncupati. Horum mysteriis in *Phrygiâ* colebatur RHEA dicta *Magna Mater*, &, à locis in quibus adorabatur, *Cybele*, *Berecynthia*, *Pessinuntia*, *Dindymene*, *Mygdonia*, & *Idæa Phrygia*; at in *Cretâ* atque *Terrâ Curetum* hæc mysteria referebantur ad JOVEM *Olympium*, filium RHEÆ *Cretensis*: dicebant quòd (*r*), cùm JUPITER in *Cretâ* natus esset, ejus mater RHEA illum alendum curavit in antro montis *Idæ*, eum committens curæ & tutamini *Curetum* ipsorum; qui (*s*) circa illum armati saltabant clamantes, ne

(*p*) Pausan. l. 9. c. 11.
(*q*) Strabo. l. 10. p. 472. 473. Diodor. l. 5. c. 4.
(*r*) Strabo l. 10. p. 468. 472. Diodor. l. 5. c. 4.
(*s*) Lucian. de Sacrificiis. Apollod. l. 1, c. 1. sect. 3., & c. 2. sect. 1.

Digitized by Google

ne SATURNUS pater ejus vagitus exaudire posset; & qui JOVI jam adulto adfuerunt patri & patris amicis submittendis; in quarum rerum memoriam mysteria illa fuerunt instituta. BOCHARTUS (*t*) auctor est eos è *Palestinâ* venisse, & nomen *Curetum* eductum arbitratur à quodam *Philistæorum* populo vocato *Chretim* vel *Cerethite*: (*Ezech.* XXV. 16. *Soph.* II. 5. 1. *Sam.* XXX. 14.), etenim *Philistæi* in ditionem redegerunt *Sidonem* & sese *Sidoniis* miscuerunt. Chronologia Græcorum.

Duo primi Reges, qui *Cretæ* Regno potiti sunt post *Curetum* adventum, fuerunt ASTERIUS atque MINOS; atque EUROPA fuit uxor ASTERII & mater MINOIS; *Curetes Idæi* fuerunt EUROPÆ populares, & cum eâ ejúsque fratre ATYMNO in *Cretam* venere, atque, illâ Regnum obtinente, antrum *Idæ* montis coluerunt, ibíque JOVEM aluerunt, ferrum effoderunt, arma procuderunt: quapropter hi tres, ASTERIUS, EUROPA, & MINOS, iidem debent esse ac SATURNUS, RHEA, & JUPITER *Cretensium*. Dici quidem solet MINOS JOVIS filius; sed in gratiam fabulæ, quæ narrat JOVEM in taurum conversum, (tauri autem insigne navis habebat,) EUROPAM è *Sidone* rapuisse; siquidem *Phœnicii*, dum primùm in *Græciam* appulerunt, unusquisque Rex *Jao-pater*, JUPITER, dicebatur; & idcirco cùm MINOS tum ejus pater fuere *Joves*. ECHEMENES (*v*), antiquus auctor, quem memorat ATHENÆUS, ait MINOEM fuisse *Jovem* illum, qui GANIMEDEM rapuit; quamquam alii, magis ad veritatem accedentes, eum TANTALUM fuisse contendant. MINOS unus est JUPITER ille, qui apud *Græcos* omnium celeberrimus fuit ob imperium & justitiam, quia *Græcorum* Regum fuit suis temporibus maximus, & solus Legislator. Docet (*x*) PLUTARCHUS incolas *Naxi*, contra aliorum Scriptorum sententiam, contendere duos fuisse MINOES duásque ARIADNAS; quarum prima nupsit BACCHO, secunda verò à THESEO rapta fuit: sed (*y*) HOMERUS,

(*t*) Bochart. in Canaan. l. 1. c. 15.
(*v*) Athen. l. 13. p. 601.
(*x*) Plutarch. in Theseo.
(*y*) Homer. Iliad. N. & Ξ, & Odyss. Δ. & Τ.

Digitized by Google

CAP. I. HESIODUS, THUCYDIDES, HERODOTUS; & STRABO unicum agnoscunt MINOEM; atque HOMERUS eum facit filium JOVIS & EUROPÆ, fratrem RHADAMANTHI & SARPEDONIS, patrem DEUCALIONIS *Argonautæ*, avum IDOMENEI, qui *Trojano* bello interfuit, & Inferorum Legislatorem. Juxta HERODOTUM (z) MINOS & RHADAMANTHUS fuerunt filii EUROPÆ & ÆGEO coæquales: & (a) APOLLODORUS atque HYGINUS asserunt MINOEM patrem ANDROGEI, ARIADNÆ, & PHÆDRÆ fuisse filium JOVIS atque EUROPÆ, & fratrem RHADAMANTHI atque SARPEDONIS.

Subinnuit LUCIANUS (b) EUROPAM MINOIS matrem adoratam fuisse sub RHEÆ nomine, & figurâ mulieris insidentis currui, cui Leones juncti erant, manu tympanum gerentis, & capite *Coronam turritam*, ut ASTARTE & ISIS. *Cretenses* (c) olim ostendebant domum, in quâ RHEA degerat; & (d) APOLLONIUS *Rhodius* asserit SATURNUM, dum in *Olympo*, *Cretæ* monte, *Titanibus* imperitaret, & JUPITER à *Curetibus* in antro *Cretensi* aleretur, RHEAM decepisse, & ex PHILYRA CHIRONEM genuisse: quapropter SATURNUS *Cretensis*, & RHEA unâ tantùm Generatione seniores fuerunt quàm CHIRON, & idcirco non antiquiores quàm ASTERIUS & EUROPA MINOIS parentes, etenim CHIRON post *Argonautarum* expeditionem vitam produxit, & duo nepotes illius inter *Argonautas* fuerunt, atque EUROPA in *Cretam* venit centum, circiter, annis ante hanc expeditionem: discimus ex LUCIANO (e) *Cretenses* non solùm dicere JOVEM apud eos natum & mortuum fuisse, sed ejus Sepulchrum ostendere: quod ut videret PYTHAGORAS descendit in quoddam *Idæ* montis antrum, auctore PORPHYRIO (f) & CICERO, (g) qui numerat tres *Joves*, tertium

(z) Herodot. l. 1.
(a) Apollod. l. 3. c. 1. Hygin. Fab. 40. 41. 42. 178.
(b) Lucian de Deâ Syriâ.
(c) Diodor. l. 5. c. 4.
(d) Argonaut. l. 2. v. 1276.
(e) Lucian. de Sacrificiis.
(f) Porphyr. in vitâ Pythag.
(g) Cicero de Naturâ Deorum. l. 3.

Digitized by Google

tertium dicit fuisse *Cretensem*, SATURNI filium, cujus Tumulus ostendebatur in *Cretâ*: & Scholiastes CALLIMACHI (*b*) innuit tumulum hunc fuisse MINOIS; ejus verba sunt; Ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τῦ Μίνως ἐπιγέγραπλο, ΜΙΝΩΟC ΤΟΥ ΔΙΟC ΤΑΨΟC. τῷ χρόνῳ δὲ τῦ Μίνως ἀπηλείφθη ὥςε περιλειφθῆναι, ΔΙΟC ΤΑΨΟC. ἐκ τύτυ ὃν ἔχειν λέγυσι Κρῆτες τὸν τάφον τῦ Διὸς· *In Cretâ super sepulchro* MINOIS *scriptum erat* MINOIS JOVIS SEPULCRUM: *sed tempore deletum fuerat verbum* MINOIS, *ut supereſſet tantùm* JOVIS SEPULCHRUM; *& inde* Cretenses *vocaverunt illud Sepulchrum* JOVIS. Cùm SATURNUM diceret CICERO, qui *Latinus* erat, intelligebat SATURNUM sic à *Latinis* nuncupatum: etenim SATURNUS, cùm è Regno pulsus fuisset, è *Cretâ* in *Italiam* navigavit; quod Poetæ innuunt dum dicunt SATURNUM à JOVE præcipitem actum fuisse in *Tartarum*, scilicet, in *Mare*; &, quia in *Italiâ* latuit, *Latini* illum quidem SATURNUM, at *Italiam Saturniam*, atque *Latium*, & semet ipsi *Latinos* appellaverunt: Itaque (*i*) CYPRIANUS; *Antrum* JOVIS *in* Cretâ *visitur, & sepulchrum ejus ostenditur: & ab eo* SATURNUM *fugatum esse manifestum est: unde* Latium *de latebrâ ejus nomen accepit: hic litteras imprimere, hic signare nummos in* Italiâ *primus instituit, unde ærarium* SATURNI *vocatur; & rusticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens senex pingitur:* MINUTIUS FELIX autem SATURNUS Cretâ *profugus* Italiam *metu filii sævientis accesserat, &* JANI *susceptus hospitio, rudes illos homines & agrestes multa docuit, ut Græculus & politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere: itaque latebram suam, quòd tutò latuisset, vocari maluit* Latium *&* urbem Saturniam *de suo* nomine ** *Ejus filius* JUPITER Cretæ, *excluso parente, regnavit, illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum* JOVIS *visitur, & Sepulchrum ejus ostenditur, & ipsis Sacris suis humanitatis arguitur.* TERTULLIANUS verò (*k*); *Quantùm rerum argumenta docent,*

Chronologia Græcorum.

(*h*) Callim. Hym. 1. v. 8.
(*i*) Cyprian. de Idolorum vanitate.
(*k*) Tert. Apolog. c. 10.

CAP. I. *nusquam invenio fideliora quàm apud ipsam* Italiam, *in quâ* SATURNUS, *post multas expeditiones pòstque* Attica *bospitia, consedit exceptus à* JANO vel JANE, *ut Salii volunt. Mons, quem incoluerat,* Saturnius *dictus : civitas, quam depalaverat,* Saturnia *usque nunc est. Tota denique* Italia, *post* OEnotriam, Saturnia *cognominabatur. Ab ipso primùm tabulæ, & imagine signatus nummus; & inde ærario præsidet.* Ex eo quod SATURNUS in *Italiam* invexit artes litteras imprimendi, nummos signandi, arva colendi, instrumenta conficiendi, & urbes ædificandi, colligere potes, eum è *Cretâ* fugam arripuisse postquam *Phanicii* in *Europam* attulerant litteras & nummos signatos, artésque illas, quæ manu perficiuntur; & ex *Atticâ*, postquam CERES in *Græciam* agriculturam invexerat; fieri nequit igitur ut sit vetustior ASTERIO, EUROPA, & CADMO ejus fratre : &, ex eo quod *Italia* dicta fuit *OEnotria* antequàm diceretur *Saturnia*, cognoscere potes illum in *Italiam* appulisse post OENOTRUM, & ideo non fuisse antiquiorem filiis LYCAONIS. Primam *Græcorum* Coloniam in *Italiam* deduxit OENOTRUS, secundam SATURNUS, tertiam EVANDER; *Latini* verò nullum noverunt in *Italiâ* antiquiorem JANO & SATURNO: ergo OENOTRUS fuit JANUS *Latinorum*, & SATURNUS eodem tempore vixit, quo filii LYCAONIS, & adeò quo CELEUS, ERECHTHEUS, CERES, & ASTERIUS: etenim CERES eduxit TRIPTOLEMUM filium CELEI, regnante ERECHTHEO, & eum docuit agros colere, & triticum serere; ARCAS filius CALLISTUS, & LYCAONIS nepos à TRIPTOLEMO accepit rationem tritici serendi & panis conficiendi, idque docuit suos subditos; & PROCRIS ERECHTHEI filia confugit ad MINOEM filium ASTERII. In SATURNI navi ad *Italiam* provecti memoriam, *Latini* primùm pecuniam hinc ejus imagine, inde navi signaverunt. Docet (*l*) MACROBIUS, quòd SATURNO mortuo, JANUS ei aram posuit cum sacris cæremoniis tanquam Deo, & *Saturnalia* instituit, & quòd humana sacrificia illi fiebant; donec HERCULES per *Ita-*

(*l*) Macrob. Saturn. l. 1. c. 7.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Italiam agens boves GERYONIS hunc ritum abolevit. Humana ſacrificia ſatìs indicant JANUM eſſe è LYCAONIS familiâ; quod OENOTRO convenit. DIONYSIUS *Halicarnaſſenſis* docet inſuper, quòd OENOTRUS, nactus in illâ *Italiæ* orâ, quæ ad Solem cadentem vergit, regionem latè patentem & aptam paſcuis atque arationi, ſed maximâ ex parte deſertam, neque, ubi incolebatur, ſatìs magno hominum numero frequentem, quandam ejus partem à *Barbaris* purgavit, atque urbibus parvis & crebris ſuper montes extructis ornavit, qui mos ædificandi veteribus familiaris erat: hæc autem fuit urbium in *Italiâ* origo.

Refert PAUSANIAS, (*m*) quòd *Elii*, *valde in Antiquitatibus verſati*, *hanc fuiſſe Ludorum* Olympicorum *originem affirmabant*; *quòd nempe* SATURNUS *primùm regnavit*, *cui homines ſæculi aurei Templum* Olympiæ *condiderunt*; *atque*, *ſimul ac* JUPITER *natus fuit*, *ejus mater* RHEA *illum curæ* Dactilorum Idæorum *commiſit*, *qui* Dactyli *fuerunt quoque dicti* Curetes; *quòd deinde eorum quinque vocati* HERCULES, PORONIUS, EPIMEDES, JASIUS, *&* IDA *ex* Idâ, *monte* Cretæ *in* Elidem *deſcenderunt*; & HERCULES, *vocatus etiam* HERCULES *Idæus*, *omnium natu maximus*, *in belli memoriam*, *quod inter* SATURNUM & JOVEM *geſtum fuerat*, *certamen curſûs inſtituit*, *victoríſque præmium coronam oleaginam voluit eſſe*: atque ibi erexit aram JOVI *Olympio*, Ludóſque illos *Olympios* appellavit: & quòd *Elii* nonnulli dicebant *ibi* JOVEM *cum* SATURNO *de Regno contendiſſe*; *alii verò* HERCULEM Idæum *hos Ludos inſtituiſſe in memoriam victoriæ ab ipſis contra* Titanas *relatæ*: etenim, juxta (*o*) traditionem *Arcadum*, Gigantes cum Diis pugnaverunt in valle *Batho* prope *Alpheum* fluvium & fontem *Olympiadem*. Antequam (*p*) Regnum ASTERIUS capeſſeret, ejus pater TEUTAMUS ex *Olympiâ* in *Cretam* cum Coloniâ venit; &, cùm ASTERIUS in fugam ſeſe conjecit, ſuorum Amicorum non-

(*m*) Pauſan. l. 5. c. 7. vide etiam c. 13. 14 & l. 8. c. 2.
(*o*) Pauſan. l. 8. c. 29.
(*p*) Diodor. l. 5. pag. 183.

Digitized by Google

CAP. I. nonnulli se cum eo forsan in Patriæ solum receperunt ubi HERCULES *Idæus*, illos prosecutus, devicit: iidem *Elii* quoque dicebant, quòd CLYMENUS nepos HERCULIS *Idæi* quinquagesimo, circiter, anno, post DEUCALIONIS diluvium, è *Cretâ* veniens, hos rursum Ludos *Olympiæ* celebravit, & ibi in JUNONIS *Olympiæ*, ideſt, EUROPÆ honorem erexit aram unam, & unam quoque in HERCULIS hujus & ceterorum *Curetum* honorem; addit CLYMENUM hunc Regno potitum fuisse quousque ENDYMION illum pepulit; (*q*) qui hâc de causâ Ludos *Olympicos* iterum celebravit: quod idem pariter fecit PELOPS, expulso ÆTOLO filio ENDYMIONIS: idem HERCULES filius ALCMENÆ; idem ATREUS filius PELOPIS; idem OXILUS: fieri potest ut principio celebrati fuerint ob Triumphos, qui victorias sequi solebant; primò quidem ab HERCULE *Idæo* eò quòd SATURNUM atque *Titanas* devicerit: secundò à CLYMENO eò quòd Regnum in *Terrâ Curetum* fuerit adeptus: tertiò ab ENDYMIONE eò quòd CLYMENUM domuerit: deinde à PELOPE ob ÆTOLUM percussum: & ab HERCULE ob AUGIAM obtruncatum; atque ab ATREO ob repulsos *Heraclidas*; & denique ab OXILO ob *Heraclidarum* in *Peloponnesum* reditum. JUPITER ille, in cujus honorem instituti fuerunt, habuit Templum & aram *Olympiæ*, ubi celebrabantur, & unde dictus fuit JUPITER *Olympius*: erat autem *Olympia* urbs *Pisæ* contermina prope fluvium *Alpheum*.

In *Thaso* insulâ, (*r*) ubi CADMUS fratrem THASUM reliquit, *Phœnicii* Templum condiderunt HERCULI *Olympio*; huic, inquam, HERCULI, quem CICERO (*s*) facit ex *Dactylis Idæis*; *cui inferiæ afferunt.* Quando *Eleusi* CERERIS mysteria fuerunt instituta, alia pariter instituta fuerunt in *Samothraciâ* Insulâ in honorem ejus, filiæ, ac generi, qui, *Phœniciis* nominibus, dicebantur *Dii Cabiri* AXIEROS, AXIOKERSA, & AXIO-

(*q*) Pausan. l. 5. c. 8. 14.
(*r*) Herod. l. 2. c 44.
(*s*) Cicero de Naturâ Deorum. lib. 3.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum

AXIOKERSES, id est, magni Dii, CERES, PROSERPINA, & PLUTO; magna enim interceſſit neceſſitudo inter JASIUM (*t*) *Samothracem*, cujus ſoror CADMO nupſit, & CERERÈM; CADMUS autem & JASIUS ambo myſteriis hiſce fuerunt initiati. JASIUS fuit DARDANI frater, & uxorem duxit CYBELEM filiam MEONIS Regis *Phrygiæ*, ex quâ CORYBANTEM ſuſcepit; eo mortuo, DARDANUS, CYBELE, & CORYBAS in Phrygiam iverunt, ibíque myſteria matris Deorum attulerunt, & CYBELE quidem Deæ ſuum nomen dedit, at CORYBAS ſacerdotes ejus *Corybantes* vocavit; hæc DIODORUS; ſed DIONYSIUS (*v*) ait DARDANUM inſtituiſſe myſteria *Samothracia*, quæ CHRYSES ejus uxor in *Arcadiâ* didicerat; IDÆUMque DARDANI filium poſtea myſteria matris Deorum inſtituiſſe in *Phrygiâ*; hanc Deam *Phrygiam* vehi curru à Leonibus tracto, & caput ornatum habere coronâ turritâ, manúque tympanum gerere, quo pacto effingebatur *Phœnicia* Dea ASTARTE; & *Corybantes*, tanquam furore percitos, armatos ſaltare, dum ei ſacra faciebant, qui mos etiam fuit *Idæis Dactylis*; LUCIANUS (*x*) autem affirmat hanc eandem fuiſſe quam RHEAM *Cretenſem*, ſcilicet, EUROPAM MINOIS matrem: hoc modo *Phœnicii Græcis* & *Phrygiis* morem inter Deos referendi homines & mulieres poſt mortem tradiderunt; nam, nullum invenio mortuum à *Græcis* inter Deos adſcriptum antequam CADMUS & EUROPA è *Sidone* veniſſent.

Hinc cœpit *Græcis* ſolemne eſſe νεκύσιον, parentare, celebrare funera mortuorum parentum feſtivitatibus, invocationibus, & ſacrificiis oblatis eorum Manibus; erigere hominibus famâ notis Sepulchra magnifica ad inſtar Templorum cum aris & ſtatuis; & ibi eos colere palàm ſacrificiis & invocationibus. Quiſque ſuis majoribus honores hos reddere poterat; & *Græcæ* urbes ſic omnes illuſtres *Græcos* veneratæ ſunt; ut EUROPAM CADMI ſororem, ATYMNUM ejus fratrem, MINOEM & RHADAMAN-

(*t*) Diod. p. 223.
(*v*) Dionyſ. l. 1. p. 38. 42.
(*x*) Lucian. de ſaltatione.

Digitized by Google

CAP. I. nonnulli se cum eo forsan in Patriæ solum receperunt ubi HERCULES *Idæus*, illos prosecutus, devicit: iidem *Elii* quoque dicebant, quòd CLYMENUS nepos HERCULIS *Idæi* quinquagesimo, circiter, anno, post DEUCALIONIS diluvium, è *Cretâ* veniens, hos rursum Ludos *Olympiæ* celebravit, & ibi in JUNONIS *Olympiæ*, idest, EUROPÆ honorem erexit aram unam, & unam quoque in HERCULIS hujus & ceterorum *Curetum* honorem; addit CLYMENUM hunc Regno potitum fuisse quousque ENDYMION illum pepulit; (*q*) qui hâc de causâ Ludos *Olympicos* iterum celebravit: quod idem pariter fecit PELOPS, expulso ÆTOLO filio ENDYMIONIS: idem HERCULES filius ALCMENÆ; idem ATREUS filius PELOPIS; idem OXILUS: fieri potest ut principio celebrati fuerint ob Triumphos, qui victorias sequi solebant; primò quidem ab HERCULE *Idæo* eò quòd SATURNUM atque *Titanas* devicerit: secundò à CLYMENO eò quòd Regnum in *Terrâ Curetum* fuerit adeptus: tertiò ab ENDYMIONE eò quòd CLYMENUM domuerit: deinde à PELOPE ob ÆTOLUM percussum: & ab HERCULE ob AUGIAM obtruncatum; atque ab ATREO ob repulsos *Heraclidas*; & denique ab OXILO ob *Heraclidarum* in *Peloponnesum* reditum. JUPITER ille, in cujus honorem instituti fuerunt, habuit Templum & aram *Olympiæ*, ubi celebrabantur, & unde dictus fuit JUPITER *Olympius*: erat autem *Olympia* urbs *Pisæ* contermina prope fluvium *Alpheum*.

In *Thaso* insulâ, (*r*) ubi CADMUS fratrem THASUM reliquit, *Phœnicii* Templum condiderunt HERCULI *Olympio*; huic, inquam, HERCULI, quem CICERO (*s*) facit ex *Dactylis Idæis*; *cui inferiæ afferunt.* Quando *Eleusi* CERERIS mysteria fuerunt instituta, alia pariter instituta fuerunt in *Samothraciâ* Insulâ in honorem ejus, filiæ, ac generi, qui, *Phœniciis* nominibus, dicebantur *Dii Cabiri* AXIEROS, AXIOKERSA, & AXIO-

(*q*) Pausan. l. 5. c. 8. 14.
(*r*) Herod. l. 2. c. 44.
(*s*) Cicero de Naturâ Deorum. lib. 3.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum

AXIOKERSES, id eſt, magni Dii, CERES, PROSERPINA, & PLUTO; magna enim interceſſit neceſſitudo inter JASIUM (*t*) *Samothracem*, cujus ſoror CADMO nupſit, & CERERÈM; CADMUS autem & JASIUS ambo myſteriis hiſce fuerunt initiati. JASIUS fuit DARDANI frater, & uxorem duxit CYBELEM filiam MEONIS Regis *Phrygiæ*, ex quâ CORYBANTEM ſuſcepit; eo mortuo, DARDANUS, CYBELE, & CORYBAS in Phrygiam iverunt, ibíque myſteria matris Deorum attulerunt, & CYBELE quidem Deæ ſuum nomen dedit, at CORYBAS ſacerdotes ejus *Corybantes* vocavit; hæc DIODORUS; ſed DIONYSIUS (*v*) ait DARDANUM inſtituiſſe myſteria *Samothracia*, quæ CHRYSES ejus uxor in *Arcadiâ* didicerat; IDÆUMque DARDANI filium poſtea myſteria matris Deorum inſtituiſſe in *Phrygiâ*; hanc Deam *Phrygiam* vehi curru à Leonibus tracto, & caput ornatum habere coronâ turritâ, manúque tympanum gerere, quo pacto effingebatur *Phœnicia* Dea ASTARTE; & *Corybantes*, tanquam furore percitos, armatos ſaltare, dum ei ſacra faciebant, qui mos etiam fuit *Idæis Dactylis*; LUCIANUS (*x*) autem affirmat hanc eandem fuiſſe quam RHEAM *Cretenſem*, ſcilicet, EUROPAM MINOIS matrem: hoc modo *Phœnicii Græcis* & *Phrygiis* morem inter Deos referendi homines & mulieres poſt mortem tradiderunt; nam, nullum invenio mortuum à *Græcis* inter Deos adſcriptum antequam CADMUS & EUROPA è *Sidone* veniſſent.

Hinc cœpit *Græcis* ſolemne eſſe νεκύσιον, parentare, celebrare funera mortuorum parentum feſtivitatibus, invocationibus, & ſacrificiis oblatis eorum Manibus; erigere hominibus famâ notis Sepulchra magnifica ad inſtar Templorum cum aris & ſtatuis; & ibi eos colere palàm ſacrificiis & invocationibus. Quiſque ſuis majoribus honores hos reddere poterat; & *Græcæ* urbes ſic omnes illuſtres *Græcos* veneratæ ſunt; ut EUROPAM CADMI ſororem, ATYMNUM ejus fratrem, MINOEM & RHADAMANTHUM

(*t*) Diod. p. 223.
(*v*) Dionyſ. l. 1. p. 38. 42.
(*x*) Lucian. de ſaltatione.

Digitized by Google

CAP. I. THUM illius nepotes, ejuſdem filiam INUM, & INUS filium MELICERTAM, BACCHUM natum SEMELE CADMI filiâ, ARISTARCHUM maritum AUTONOES eodem prognatæ, JASIUM fratrem ejus uxoris HARMONIÆ; HERCULEM *Thebanum*, illiúſque matrem ALCMENAM; DANAEM ACRISII filiam; ÆSCULAPIUM & POLEMOCRATEM filios MACHAONIS; PANDIONEM & THESEUM Reges *Athenarum*, HYPPOLITUM THESEI filium, PANEM filium PENELOPES, PROSERPINAM, TRIPTOLEMUM, CELEUM, TROPHONIUM, CASTOREM, POLLUCEM, HELENAM, MENELAUM, AGAMEMNONEM, AMPHIARAUM, & hujus filium AMPHILOCHUM, HECTOREM & ALEXANDRAM PRIAMI filios, PHORONEUM, ORPHEUM, PROTESILAUM, ACHILLEM, & ejus matrem THETIDEM, AJACEM, ARCADEM, IDOMENEUM, MERIONEM, ÆACUM, MELAMPUM, BRITOMARTIM, ADRASTUM, JOLAUM, & alios quam-plurimos. Pluribus modis mortuos Diis annumerabant pro facultatibus, rerum ſtatu, & hominum meritis. Aliqui tantùm inter familiam privatim Diis accenſebantur, ut Dii domeſtici, vel *Dii Pænates*; aliis ponebantur publicè lapides ſepulchrales, qui pro aris eſſent, in quibus quotannis ſacrificia reparentur; aliis ædificabantur Sepulchra Domuum aut Templorum ſpeciem referentia; aliis inſtituebantur myſteria & ritus, decernebantur ſacrificia, feſta, initiationes, & ſeriem ſacerdotum, qui hæc in Templis perficerent, poſteríſque tranſmitterent. Fieri poteſt ut aræ erectæ fuerint in *Europâ* paulò ante CADMUM, quò ſacrificia veteri Deo vel Diis Coloniarum fierent; ſed Templorum initium ad SALOMONIS tempora referendum eſt: quandoquidem (*y*) ÆACUS ÆGINÆ filius, qui duabus Generationibus fuit ante bellum *Trojanum* à nonnullis numeratur inter primos, qui in *Græciâ* Templa ædificaverint. Circa idem tempus Oracula ex *Ægypto* in *Græciam* tranſiverunt æquè ac mos conficiendi ſtatuas cruribus illigatis, ad exemplum *Ægyptiorum* cadave-

(*y*) Arnob. adverſ. Gent. l. 6. p. 131.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

daverum aromatibus conditorum : etenim Idolorum cultus initium habuit in *Chaldæâ* & *Ægypto*, unde in *Phœniciam* vicináſque Regiones translatus fuit multo tempore antè quàm in *Europam* tranſmitteret; in *Græciam* verò illum propagârunt *Pelaſgi* ab Oraculis moniti. Regiones *Tigridi* & *Nilo* proximæ, cùm eſſent præter modum fertiles, primæ cœperunt ab humano genere habitari, & primæ in Regna coaluerunt ; quapropter ibi primò Reges & Reginæ poſt interitum adorari cœperunt : hinc Dii LABANI ; hinc Dii Deæque à *Canaanæis* adorati ſub nomine *Baalim* & *Aſtharoth*: hinc *Dæmones* aut *Genii*, quibus ſacra faciebant, & *Moloc* cui pueros, tempore MOSIS & *Judicum* immolabant. Civitates ſingulæ colebant Conditorem ſuum ſuóſque Reges, quorum cultum propagabant affinitatibus aut victoriis, & tandem *Phœnicii* atque *Ægyptii* in *Europam* morem mortuorum inter Deos referendorum invexerunt. Incolæ *Ægypti* inferioris Reges adorare cœperunt ante MOSEM, cui cultui ſecundum *Decalogi* præceptum adverſatur; cùm Paſtores inferiorem *Ægyptum* invaſiſſent, ſacra veterum *Ægyptiorum* cohibuerunt, & ſuoſmet Reges adorandos curaverunt : ac denique *Ægyptii* è *Copto* & *Thebaide*, ducibus MISPHRAGMUTHOSI & AMOSI, Paſtores ejecerunt, eorum ſacra aboleverunt, & ſuis Regibus & Optimatibus inter Deos adſcriptis, cultum duodecim ex illis in domitis Regionibus propagaverunt, & generaliorem reddiderunt quàm unquam antea fuiſſet cultus falſorum Deorum ab aliis Gentibus adoratorum; quapropter Dii illi vocati fuerunt Dii *magni majorum Gentium*. SESOSTRIS imperio ſuo *Thraciam* adjecit; & AMPHYCTION PROMETHEI filius duodecim Deos è *Thraciâ* in *Græciam* tranſportavit: hos ex *Ægypto* profectos docet HERODOTUS (*a*); & colligere licet ex nominibus urbium *Ægyptiarum* aliquibus ex hiſce Diis dicatarum, eos in *Ægypto* natos eſſe: *Ægyptii*, auctore DIODORO (*b*), dicere ſolebant, quòd, poſt eorum SATURNUM atque RHEAM, Regno potiti

 fuerant

(*a*) Herodot. l. 2. initio.
(*b*) Diodor. l. 1. p. 8.

Digitized by Google

CAP. I. fuerant JUPITER & JUNO; qui OSIRIDEM & ISIDEM genuerunt, ex quibus nati sunt ORUS & BUBASTES.

Ex hisce omnibus possumus intelligere, quòd, sicut *Ægyptii*, qui Reges suos inter Deos annumerabant, initium imperii sui apposuerunt Regnis Deorum & Heroum suorum, post quos primum hominum MENETEM Regnum obtinuisse dicebant; ita & *Cretensibus* fuerunt suorum Deorum & Heroum sæcula, & quatuor ea sæcula, quibus vixerant eorum Reges & Optimates Diis adscripti, ab ipsis dicta fuerunt, aureum, argenteum, æneum, & ferreum. HESIODUS (*b*) describens hæc quatuor Sæcula Deorum & Semideorum *Græciæ*, de iis loquitur tanquam de quatuor Generationibus hominum, quarum quæque finem habuit, quando homines tunc viventes consenuerunt & mortui sunt; quarti autem finem statuit eundem quem belli *Thebani Trojani*que: atque totidem intercessêre Generationes inter adventum *Phœnicierum*, *Curetúm* que cum CADMO & EUROPA in *Græciam*, atque *Trojæ* excidium. Ait APOLLONIUS RHODIUS, quòd *Argonautæ Cretam* advecti, ibi obtruncaverunt TALUM, hominem æneum ænei Sæculi, qui, superstes ex iis qui Sæculo æneo vixerant, locum illum tuebatur: TALUS habebatur filius MINOIS (*c*); igitur filii MINOIS vixerunt per Sæculum æneum, & MINOS Regno potitus est per Sæculum argenteum; Sæculum, inquam, argenteum *Græcorum*, quo cœperunt agros colere, & triticum ferere, & CERES, quæ illud eos docuit, floruit regnantibus CELEO, ERECHTHEO, & MINOE. Legimus apud Fabularum Scriptores ultimam mulierem, cum quâ JUPITER rem habuit, fuisse ALCMENAM; ideo videntur statuere Regnum JOVIS inter homines, videlicet Sæculum æneum, finem cœpisse cùm ALCMENA HERCULEM in utero gestaret; qui idcirco natus est circiter octavum aut decimum ROBOAMI annum, & tricesimum quartum annum, præter-propter, agebat sub tempus *Argonauticæ* expeditionis. CHIRON SATURNO natus

(*b*) Hesiod. opera. v. 108.
(*c*) Apollon. Argonaut. l. 4. v. 1643.

Digitized by Google

natus est ex PHILYRA aureo Sæculo, cùm JUPITER adhuc puer degeret in antro *Cretenſi*, ut ſupra dictum fuit; hoc accidit ASTERIO *Cretæ* Regnum tenente: igitur ASTERIUS *Cretæ* Rex fuit aureo Sæculo, & Sæculum argenteum initium duxit, dum CHIRON adhuc puer eſſet: Si CHIRON natus poneretur circiter triceſimum quintum DAVIDIS annum, natus inveniretur regnante ASTERIO, JOVE adhuc puero degente in antro *Cretenſi*, & agens annum octogeſimum octavum tempore expeditionis *Argonautarum*, quo Aſteriſcos invenit, quod naturæ vires patiuntur. Ergo aureum Sæculum cadit in ASTERII Regno, & argenteum in MINOIS dominatione; & facere hæc Sæcula multò longiora quàm vulgares Generationes, eſſet tribuere CHIRONI vitam multò longiorem, quàm ferant ſolitæ leges naturæ. Hæc fabula de quatuor Sæculis videtur conficta à *Curetibus* quarto Sæculo in memoriam quatuor priorum Sæculorum, quibus fuerunt in *Europâ*, tanquam in novo mundo; & in honorem *Europæ* conterraneæ, ejúſque mariti ASTERII, SATURNI *Latinorum*, atque ejuſdem filii MINOIS, JOVIS *Cretenſis*, ac nepotis DEUCALIONIS, qui Regnum tenuit ad *Argonautarum* expeditionem uſque, & qui aliquando inter hos Heroes recenſetur, atque pronepotis IDOMENEI, qui ad *Trojam* præliatus eſt. HESIODUS nos docet, quòd ipſe vivebat quinto Sæculo, ideſt, Sæculo ſtatim poſt *Trojæ* deſtructionem; igitur florebat viceſimo aut triceſimo quinto anno poſt eam; ſed & HOMERUS eodem, ferè, tempore vivebat; nam (*d*), aliquandiu cum MENTORE in *Ithacâ* Inſulâ vixit, ubi plura ab illo de ULYSSE didicit, cujus familiaris fuerat MENTOR. Jam HERODOTUS, antiquiſſimus Hiſtoricorum *Græcorum* etiam nunc extantium (*e*), affirmat HESIODUM & HOMERUM ſe ipſo quatercentis dumtaxat annis antiquiores fuiſſe; igitur ii viguerunt circiter annum decimum aut viceſimum ſupra centeſimum à SALOMONIS interitu; &, ſecundùm meam computationem, *Troja* capta fuit unâ Generatione antè.

Chronologia Græcorum.

(*d*) Vita Homeri Herodoto adſcripta.
(*e*) Herodot. l. 2.

Digitized by Google

CAP. I. Asserunt Mythologi NIOBEM PHORONEI filiam primam mulierem fuisse, cum quâ JUPITER consuevit, illúmque ex eâ suscepisse ARGUM, qui PHORONEO in Regnum *Argorum* successit, & nomen suum urbi tribuit: quapropter natus est ARGUS ineunte Sæculo argenteo; nisi fortè malis dicere Mythologos ASTERIUM intelligere cùm JOVEM dicunt; siquidem *Phœnicii* nomine JOVIS omnes Reges appellaverunt ex quo primùm in *Græciam* venerunt cum CADMO & EUROPA, ad illud usque tempus, quo SESOSTRIS *Græciam* invasit, & HERCULES natus est; sed præsertim illos ex quibus nati sunt MINOS, PELOPS, LACEDÆMON, ÆACUS, & PERSEUS.

Quatuor priora Sæcula venerunt post DEUCALIONIS diluvium; quem quidam dicunt fuisse filium PROMETHEI JAPETHO prognati & fratris ATLANTIS: sed hic fuit alter DEUCALION: quandoquidem JAPETHUS pater PROMETHEI, EPIMETHEI, & ATLANTIS, *Ægyptius* fuit & frater OSIRIDIS, & DEUCALIONIS diluvio posterior fuit duabus Generationibus.

Jam *Græcorum* Chronologiam perduxi ad illa tempora usque quibus litteræ fuerunt primùm usurpatæ, quibus primùm arva culta, & frumentum fatum, atque æs & ferrum in usum adducta fuerunt, quibus initium in *Europâ* habuerunt artes Fabrorum ferrariorum, lignariorum, Torno Opera sua conficientium, laterariorum, lapicidarum, & figulorum; quibus urbes vallo circumcludi, Templa exædificari, & Oracula in *Græciâ* celebrari cœperunt, quibus inventa est Ars navigandi, stellis iter monstrantibus & regentibus, atque adhibendi longas naves & velis instructas, & *Amphyctionum* consessus institutus; denique, usque ad prima *Græciæ* Sæcula, aureum, argenteum, æneum, & ferreum, & ad DEUCALIONIS diluvium, quod statim ante illorum initium accidit. Fieri nequit ut hæc Sæcula fuerint ante Metalla ista reperta & in usum adducta in *Græciâ*; quandoquidem ab illis nomen acceperunt: Diluvium OGYGIS accidisse non potest nisi unâ aut alterâ Generatione ante diluvium DEUCALIONIS aut non admodum ante; nam, apud gentes vagas, quales

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

quales tunc erant *Europæ* gentes, nulla poterat esse memoria rerum gestarum plusquam tribus aut quatuor Generationibus ante litteras primùm usurpatas: Expulsio Pastorum ex *Ægypto*, quæ primam dedit occasionem migrandi ex *Ægypto* in *Græciam*, ibíque domus & pagos construendi, vix antiquior est ELI & SAMUELE; siquidem ait MANETHO eos, coactos relinquere *Abarim* & ex *Ægypto* discedere, se per loca deserta recepisse in *Judæam* & *Jerosolymam* condidisse: Non credo, ut MANETHO, Pastores istos fuisse *Israelitas*, MOSE duce, sed potiùs *Canaanæos*, qui, cùm *Abarim* reliquerunt, sese *Philistæis* sibi proximis immiscuerunt; attamen illorum aliqui possunt auxilium tulisse DAVIDI & SALOMONI, dum *Jerosolymam* & Templum condiderunt.

Rex creatus fuit SAUL (*f*), ut *Israelem* è manibus *Philisteorum* illum opprimentium eriperet; & secundo, ex quo Regnum adiverat, anno, *Philistei* in campum contra eum descenderunt cum *triginta millibus curruum*, *sex millibus Equitum*, *& tantâ peditum multitudine*, *ut æquaret numerum arenæ quæ est in Maris littore*: equos *Canaanæi* habuerant ex *Ægypto*: tamen omnes *Ægypti* currus, quibus PHARAO persecutus est *Israelem*, fuerunt temporibus MOSIS sexcenti, (*Exod.* XIV. 7). Ex magnis copiis, quibus *Philistei* SAULEM adorti sunt, colligendum videtur Pastores nuper *Ægypto* digressos illis se socios addidisse; fieri potest ut Pastores devicti fuerint atque ejecti ex maximâ *Ægypti* parte, & in *Abari* conclusi à MISPHRAGMUTHOSI ELI ad vitæ suæ finem spectante; ut eorum nonnulli ad *Philistæos* confugerint, & eos contra *Israelem* fortiores reddiderint ultimo ELI anno; ut aliqui è *Philistæorum* regionibus *Sidonem* migraverint, & hinc in *Asiam minorem* & *Græciam* enavigârint; ut deinde, sub initium Regni SAULIS, Pastores illi, qui adhuc erant in *Ægypto* à TETHMOSI vel AMOSI filio MISPHRAGMUTHOSIS ex *Abari* pulsi fuerint, & ideo frequentes ad *Philistæos* convenerint; atque ut, eventibus his occa-

(*f*) I. Samu. IX. 16, & XIII. 5. 19. 20.

Digitized by Google

CAP. I. *Sicyone*: adfuit primo bello *Thebano*. Nonnulli JANISCUM & PHÆSTUM ponunt inter POLYBUM & ADRASTUM; ſed ſine ullâ certitudine.

Veriſimile eſt LELEGEM cum ſociis *Laconiam* adveniſſe ELI vivente, atque temporibus SAMUELIS Regnum reliquiſſe filiis MYLETI, EUROTÆ, CLESONTI, & POLYCAONI. MYLES piſtrinum ad triticum molendum confecit, & apud *Græcos* primus ejuſcemodi machinam excogitaſſe putatur; ſed ante TRIPTOLEMUM floruit, & videtur ex *Ægypto* triticum & artifices arceſſiſſe. EUROTAS MYLETIS frater, aut, juxta alios, filius, *Spartam* condidit, eique nomen fecit de nomine filiæ ſuæ SPARTÆ, quæ LACEDÆMONI nupſit & EURYDICEM peperit. CLESON fuit pater PYLÆ, qui SCIRONEM genuit; hìc duxit filiam PANDIONIS ERECHTHEO prognati, & de Regno contendit cum NISO PANDIONIS filio & ÆGEI fratre, quod ÆACUS NISO adjudicavit. POLYCAON *Meſſeniam* invaſit, quæ tunc ſolummodo pagos continebat, illi nomen dedit MESSENIS uxoris, & in eâ urbes ædificavit.

CECROPS è *Saide* urbe *Ægypti* primò *Cyprum*, & deinde *Atticam* invectus eſt: id accidere potuit SAMUELE vivente, per cujus vitam potuit ducere AGRAULEM filiam ACTÆI, & paulo poſt has nuptias in ACTÆI locum *Atticæ* Regnum ſuſcipere, illúdque relinquere CRANAO dum adhuc SAUL regnaret, aut cùm DAVID Regno frui inciperet: nam, diluvium DEUCALIONIS accidit CRANAO thronum occupante.

Eodem, præter-propter, quo PELASGUS, INACHUS, LELEX, & ACTÆUS, tempore vixit OGYGES: hic in *Bœotiâ* regnavit, & ſuorum ſubditorum pars fuerunt *Leleges*; & ab eo, vel ab ejus filio ELEUSINO condita fuit ELEUSIS, in *Atticâ*, ſcilicet ædificatæ fuerunt aliquot caſæ ex argillâ, quæ lapſu temporis in urbem creverunt. Scribit ACUSILAUS quòd PHORONEUS vixit ante OGYGEM, & quòd OGYGES floruit annis viginti ſupra mille ante primam Olympiadem, ut jam diximus. Sed ACUSILAUS erat *Argivus* & hæc fingebat ut dignitatis aliquid patriæ ſuæ adſciſceret. *Ogygias Græci* res dice-

Digitized by Google

dicebant cùm dicere volebant æquè antiquas ac prima rerum memoria, ad quæ tempora jam *Græcorum* Chronologiam perduximus. Fieri potest ut INACHUS fuerit ejusdem temporis ac OGYGES; sed ACUSILAUS & qui illum secuti sunt, hos septingentis annis antiquiores æquo fecerunt; quam computationem ut approbarent Chronologi, familias Regum *Argivorum* & *Sicyonensium* extenderunt, plures Principes coævos in Reges sibi succedentes mutaverunt, & familiæ Regum *Sicyoniorum* plures commentitios Reges insecuerunt. Chronologia Græcorum.

Plures INACHO fuerunt filii, qui in diversas *Peloponnesi* partes regnaverunt, & urbes condiderunt: ex his fuerunt, PHORONEUS qui condidit *Phoronicum*, cui postea nomen *Argi* ex ARGO PHORONEI nepote; ÆGIALEUS, qui ædificavit *Ægialeam*, deinde *Sicyonem* à SICYONE nepote ERECHTHEI; PHEGEUS, qui *Phegeam* extruxit, postea *Psophidem* è PSOPHIDE filiâ LYCAONIS: & hæ fuerunt, antiquissimæ *Peloponnesi* urbes: deinde SISYPHUS filius ÆOLI & nepos HELLENIS condidit *Ephyram*, postea *Corinthum*; & AETHLIUS filius ÆOLI *Elidem* extruxit; ante quem CECROPS ædificavit *Cecropiam*, *Athenarum* arcem; & LYCAON condidit *Lycosuram*, quæ habita fuit vetustissima *Arcadiæ* Urbs; ejus autem filii, qui saltem fuerunt viginti quatuor, singuli singulas Urbes extruxerunt, præter natu minimum dictum OENOTRUM, qui patre mortuo adolevit, & cum populo suo in *Italiam* enavigavit, ibique urbes condere instituit & evasit *Latinorum* JANUS. Plures etiam filii nepotesque PHORONEO fuerunt, qui in diversis locis regnaverunt, & novas Urbes ædificaverunt; inter hos fuerunt CAR, APIS, &c. HÆMON autem PELASGI filius Rex fuit *Hæmoniæ*, postea dictæ *Thessaliæ*, in quâ Urbes statuit. Hæc divisio & subdivisio vehementer confusam reddidit priorum *Peloponnesiacorum* Regnorum Historiam, & ansam præbuit jactantioribus *Græculis* ea faciendi multo antiquiora quàm reipsâ sunt. Sed ex omnibus supra memoratis computationibus conficitur *Græcos* primùm humaniores redditos fuisse, & didicisse morari in domibus atque Urbibus, ac primas & antiquissimas

Digitized by Google

CAP. I. Urbes *Europæ* conditas fuiſſe vix ante duas aut tres Generationes ante quàm CADMUS è *Sidone* in *Græciam* migravit ; & hiſce rebus anſam dediſſe perquàm probabile eſt expulſionem Paſtorum ex *Ægypto* temporibus ELI & SAMUELIS eorúmque frequentium adventum in *Græciam* : ſed difficile eſt rectè diſponere Genealogias & Chronologiam Sæculorum fabuloſorum *Græciæ* ; & hæc meliùs examinanda relinquo.

Ante quàm *Phœnicii* introduxiſſent ritum mortuos inter Deos recenſendi, *Græcis* erant in ſingulis urbibus Conventus Seniorum eas regentium, & locus, ubi Seniores & Populus Deum ſuum ſacrificiis colebant; &, ſi quando plures Urbes, communis ſalutis cauſâ, ſub communi Conventu coibant, in aliquâ ex Urbibus erat *Prytaneum* aut Curia, ubi Concilium & Populus certis temporibus conveniebant publicæ ſaluti conſulturi, communem Deum ſacrificiis veneraturi, & nundinas celebraturi: Urbes, in quibus conveniebatur, *Græcè* dicebantur δῆμοι ; Populi, *Communitates*, aut *Communitatis* Urbes ; atque, tempore labente, cùm plures ex hiſce δῆμοις communis ſalutis cauſâ ſe invicem junxerunt convenientes ſub uno Concilio, in aliquo ex iſtis δήμοις *Prytaneum* ſtatuerunt, ubi commune Concilium & Populus convenirent, conſilia caperent, adorarent, mercarentur, epularentur; &, quò tutior eſſet δῆμος ille, vallis undique circumcluſus erat & appellabatur, ἡ πόλις, civitas, urbs; & hæc, opinor, fuit origo Pagorum, Emporiorum, communium Conventuum, Templorum Veſtalium, Epularum, & Nundinarum in *Europâ*: *Prytaneum*, πυρὸς ταμεῖον, erat forum cum loco ad Dei cultum deſtinato, ubi ſuper Altare ignis perpetuus ad ſacrificandum aſſervabatur: ex verbo Ἑστία, quod ignem ſignificat, ortum eſt nomen *Veſtæ*, quam denique Populus in Deam convertit, & ſic factus eſt ignis adorator, ut erant antiqui *Perſæ* : cùm autem Concilia illa cum finitimis bellum gerebant, Ducem habebant, qui toti exercitui imperabat, & eorum Rex evaſit.

Sic à THUCYDIDE (*p*) diſcimus, quòd ſub CECROPE *& priſcis Regibus ad* THESEUM *uſque*, Attica *vicatim* habi-

(*p*) Thucyd. l. 2. p. 110. & Plutarch. in Theſeo.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

habitata semper fuit, & pagi singuli Magistratus suos sudque Pritanea *habebant; neque Regem consulebant nisi quando periculum imminebat; sed singuli seorsum rem suam publicam administrabant, & propria Concilia habebant, & etiam aliquando bella gerebant, ut* Eleusinii *cum* EUMOLPO *contra* ERECTHTHEUM: *sed* THESEUS, *vir prudens & potens, Regnum adeptus, ex aliis Urbibus Magistratus &* Prytanea *sustulit & omnes in unum* Athenarum *Concilium &* Prytaneum *coegit.* POLEMO à STRABONE (*q*) relatus, ait, quòd Attica *complectebatur* centum septuaginta δήμους, inter quos erat *Eleusis*: & PHILOCORUS (*r*) quòd, *cùm* Atticam *terrâ marique* Cares *&* Bœoti *divexarent, omnium primus* CECROPS *multitudinem*, (id est, centum septuaginta urbes,) *in duodecim civitates coegit, quarum nomina erant*, Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelia, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephissia, & Phalerus; *& quòd* THESEUS *duodecim hus civitates in unam, scilicet* Athenas, contraxit.

Neque Regni *Argivorum* origo multùm huic dissimilis est; quandoquidem in PAUSANIA (*s*) legimus, quòd PHORONEUS *filius* INACHI *primus in unam Rempublicam* Argivos *collegit, qui ad illud usque tempus dispersi fuerant, & ubicunque seorsum vitam egerant; locus autem, ubi primùm convenerunt, dictus fuit* Phoronicum, *Urbs* PHORONEI, & observat STRABO (*t*), quòd HOMERUS *non urbes sed regiones appellat omnes, (paucis exceptis,) eas quas in* Peloponneso *fuisse memorat, quia illarum singulæ pluribus* δήμοις, *aut liberis urbibus fœdere junctis constabant, ex quibus deinde nobiles urbes conditæ fuerunt & hominum frequentiâ celebratæ*: *sic* Argivi *ex quinque civitatibus* Mantinæam *in* Arcadiâ, *& ex novem* Tegeam *confecerunt*; *ex totidem constabat* Heræa *à* CLEOMBROTO *aut* CLEONYMO *condita*: *sic pariter* Ægium *ex septem vel octo oppidis coaluit*;

(*q*) Strabo l. 9. p. 396.
(*r*) Apud Strabonem l. 9. pag. 397.
(*s*) Paus. l. 2. c 15.
(*t*) Strabo l. 8. p. 337.

Digitized by Google

CAP. I. *ex ſeptem* Patræ; Dyme *ex octo*; *ſic denique* Elis *ex pluribus oppidis in unam civitatem convenientibus coorta eſt.*

Affirmat PAUSANIAS (*v*) *Arcadibus* primum hominem fuiſſe PELASGUM, eundémque primum in illos regnaviſſe; & *populum ignarum docuiſſe domos ædificare; quibus ſe ab æſtu, frigore, & pluviâ defenderent: tegmina ex pellibus conficere, & glandes fageas comedere pro herbis & radicibus aliquando noxiis*; ejúſque filium LYCAONEM antiquiſſimam *Græcarum* Urbium condidiſſe. Aſſerit etiam, quòd, LELEGE vivente, *Lacedæmonii* diſperſi vicatim degebant. Igitur *Græci* domos & pagos ædificare cœperunt viventibus PELASGO patre LYCAONIS, & LELEGE patre MYLETIS; ideſt, duabus aut tribus Generationibus ante diluvium DEUCALIONIS & CADMI adventum; hactenus (*x*) in ſilvis & ſpeluncis habitaverant. Primæ domus ex argillâ fuerunt, donec fratres EURYALUS & HYPERBIUS eos docuerunt argillam in lateres durare, & hoc pacto ad ædificandum uſurpare. Viventibus OGYGE, PELASGO, ÆZEO, INACHO, & LELEGE, cœperunt ex argillâ domos & pagos condere, quod facere docti fuerant à DOXIO filio COELI; cogere autem pagos in δήμους, & δήμους in civitates cœperunt viventibus LYCAONE, PHORONEO, ÆGIALEO, PHEGEO, EUROTA, MYLETE, POLYCAONE, & CECROPE.

Quando OENOTRUS filius LYCAONIS in *Italiam* Coloniam duxit, *nactus eſt* (*y*) *regionem maximâ ex parte deſertam; ac ne illam quidem, quæ incolebatur, magno hominum numero frequentatam; &, quâdam ejus parte à Barbaris purgatâ, urbes parvas & crebras in montibus condidit*, ut ſupra diximus: Urbes iſtæ vallorum munimento carebant; ſed, cùm Colonia creviſſet, & locus eam deficere cœpiſſet, Coloni, *gente* Siculâ *expulſâ, multas urbes mœnibus cinxerunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt totum illum agrum, quem amnes duo*, Liris &

(*v*) Pauſan. l. 8. c. 1. 2.
(*x*) Plin. l. 7. c. 56.
(*y*) Dionyſ. l. 1. p. 10.

Digitized by Google

& Tiberis *terminant*; intelligendum autem est has Urbes habuisse sua Concilia & *Prytanea* more *Græcorum*; siquidem ex DIONYSIO (z) discimus, quòd novum *Romæ* Regnum, quale ROMULUS reliquit, constabat triginta Curiis aut Coetibus in triginta urbes distributis, quarum singulæ sacrum ignem in Curiæ *Prytaneo* adservabant, ubi Senatores ad Sacra perficienda, more *Græcorum*, conveniebant: *At* NUMA, *Regno potitus, proprios Curiarum ignes suo loco non movit; sed unum ignem omnibus communem erexit* Romæ: *Roma* igitur ante NUMAM Civitas completa non erat. Chronologia Græcorum.

Arte navigandi eò perductâ, ut *Phœnicii* littora deserere inciperent, & per *Mare Mediterraneum*, astris iter regentibus, vela facere; probabile est eos detexisse Insulas *Maris Mediterranei*, &, commercii gratiâ, in *Græciam* usque navigâsse; idque factum fuisse, non multò ante quàm JO filia INACHI ex *Argis* raperetur. *Cares* primùm *Græciam* piraticis excursionibus infestam habuerunt; & propterea MINOS EUROPÆ filius magnam Classem instruxit & Colonias deduxit: etenim DIODORUS (*a*) refert ex Insulis *Cycladibus* illas, quæ minùs absunt à *Cretâ*, principiò desertas & incultas fuisse; sed MINOEM, cui magna Classis erat, plures Colonias è *Cretâ* deduxisse, & ex iis Insulis nonnullas cultoribus auxisse; & nominatim, *Carpathum* Insulam primam à MINOIS militibus occupatam fuisse: *Syme* deserta & inhabitata jacuit ad TRIOPEM usque, qui illuc cum Coloniâ sub CHTHONIO profectus est: *Strongyle* aut *Naxus* priùs à *Thracibus* habitata fuit vivente BOREA paulò ante expeditionem *Argonautarum*: *Samos* deserta primùm erat, & tantummodò multis terriculosis belluis frequentata, donec MACAREUS homines in eam, ut in *Chium Coum*que invexit: *Lesbos* solitaria & inculta fuit, quousque navibus illuc XANTUS cum Coloniâ profectus est; *Tenedos* deserta fuit ad TENETEM usque, qui paulo ante bellum *Trojanum* à *Troade* in eam devectus est:

(z) Dionys. l. 2. p. 126.
(*a*) Diodor. l. 5. p. 224. 225. 240.

Digitized by Google

CAP. I. est: ARISTÆUS, qui uxorem duxit AUTONOEM CADMI filiam, Coloniam deduxit è *Thebis* in *Cæam*, Insulam antè inhabitatam: *Rhodus* Insula priùs dicebatur *Ophiusa*, quia serpentibus plena erat ante quàm PHORBAS *Argivus* Princeps illam petivit & serpentes destruxit; quod accidit SALOMONIS Regno ad finem vergente; & in cujus rei memoriam delineatus fuit in Cœlis in constellatione *Ophiulchi*. Ex eo, quod hæ & aliæ plures Insulæ detectæ fuerunt, ortus est rumor de earum è Mari emersione. *In* Asiâ Delos *emersit*, & Hiera, & Anaphe, & Rhodus; ait (*b*) AMMIANUS: & PLINIUS (*c*); *Claræ jampridem Insulæ*, Delos & Rhodos *memoriæ produntur enatæ*; *postea minores*, *ultra* Melon Anaphe, *inter* Lemnum & Hellespontum Nea, *inter* Lebedum & Teon Halone, &c.

Pariter, DIODORUS (*d*), inquit septem Insulas dictas *Æolias* inter *Italiam* & *Siciliam* desertas fuisse & habitatoribus destitutas, donec LIPARUS & ÆOLUS, ex Italiâ profecti paulo ante bellum *Trojanum*, eas coluerunt: & *Melitam* atque *Gaulum* vel *Gaudum* ultra *Siciliam* principio à *Phœniciis* frequentatas fuisse: idem refert de *Maderâ* ultrà *freta*: scribit HOMERUS ULYSSEM inveniisse *Ogygiam* Insulam nemoribus obductam & habitatam à solâ CALYPSO ejúsque pediseequis, quæ in speluncâ, cùm domibus carerent, ævum degebant; neque credi potest *Britanniam* & *Hyberniam* cultas fuisse antequàm freta transmitti cœperint.

Sicani crediti sunt primi *Siciliam* habitâsse: illi condiderunt super montes pagulos aut oppidula; & singula oppida proprios Reges habuerunt; & sic in Regionem se extendebant antequàm sibimet ipsi latiora Regna sub communi Rege conficerent. Docet PHILISTUS (*e*) *eos in Siciliam translatos ab oris* Sicani *fluvii* Hispaniarum; & DIONYSIUS (*f*) Sicanos *esse gentem* Hispanam, *qui*, *à* Liguribus *fugati suas sedes in Siciliâ posuerant*. Intelligit

(*b*) Ammian l. 17. c. 7.
(*c*) Plin. l. 2 c. 87.
(*d*) Diodor. l. 5. p. 202. 204.
(*e*) Apud Diodor. l. 5. p. 201.
(*f*) Dionys. l. 1. p. 17.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

Intelligit *Ligures*, qui HERCULI (*g*) ex expeditione in GERIONEM *Hiſpanum* revertenti, & per Alpes ex *Galliis* in *Italiam* transjicere conanti, reſtiterunt. Eo anno HERCULES in *Italiam* penetravit, & multas Gentes imperio ſubjecit, ac Urbem *Crotonam* condidit; & poſt (*b*) hyemem, cùm navalis exercitus ex *Erythrâ Hiſpaniæ* veniſſet, in *Siciliam* transjecit, & ibi *Sicanos* reliquit: nam, *viros ab urbibus devictis abſtractos ſecum ad militiam per aliquod temporis ſpatium ducebat, &, poſt fidelem operam in bellis conficiendis ſibi alacriter navatam, in agro armis parto eos collocabat.* Hic erat *Ægyptius* HERCULES, qui claſſem ingentem habebat, & SALOMONE vivente ad fretum uſque navigavit, ubi, ut ſolebat, Columnas poſuit, & GERYONEM domuit, ac deinde per *Italiam* & *Siciliam* in *Ægyptum* reverſus eſt; quem veteres *Galli* quidem OGMIUM, *Ægyptii* verò NILUM (*i*) dixerunt: Nam, *Erythra* & Regio in quâ GERION degebat, erant extra fretum. HERCULES iſte, juxta DIONYSIUM, (*k*) EVANDRO coæqualis fuit.

Ii, qui primi *Cretam* coluerunt, auctore DIODORO (*l*), dicti fuerunt *Eteocretenſes*; ſed unde venerint, & quomodo in *Cretam* tranſvecti fuerint non docent Hiſtoriæ; deinde è *Græciâ* illuc navibus ivit *Pelaſgorum* Colonia; & paulò poſt TEUTAMUS avus MINOIS illuc ex *Laconiâ* & ex agro *Olympiæ* in *Peloponneſo* Coloniam *Dorienſium* deduxit: hæ diverſæ Coloniæ diverſis linguis utebantur, frugibus, quas Terra ſponte ferebat, veſcebantur, & ſub antris & tuguriis tranquillam vitam agebant, quoad inſtrumenta ferrea inventa fuerunt ſub ASTERIO filio TEUTHAMI; atque tandem in unum Regnum unámque gentem à MINOE compulſæ fuerunt: hic iis primus leges dedit, plures Urbes & naves extruxit, agriculturam & ſationem introduxit, atque eo vivente *Curetes* in *Cretâ* & *Peloponneſo*

(*g*) Dionyſ. l. 1. pag. 33. 34.
(*h*) Dionyſ. ibidem.
(*i*) Ptol. Hæphæſt. l 2.
(*k*) Dionyſ. l. 1. pag. 34.
(*l*) Diodor. l. 5. p. 230.

Digitized by Google

CAP. I. Amicos patris ſui devicerunt. *Curetes* (*m*) puerorum ſanguine SATURNUM placabant, &, ſecundùm BOCHARTUM (*n*), erant gente *Philiſtæi*: EUSEBIUS autem ait *Cretam* nomen duxiſſe à CRETE *Curetum* uno, qui JOVEM aluit: ſed, quæcunque demum fuerit hujus Inſulæ origo, ea videtur culta à Coloniis, quæ, ad ASTERIUM & MINOEM uſque, diverſis linguis uſæ ſunt, ante quos duabus tantummodo aut tribus Generationibus illuc appuliſſe poſſunt; ſed non antea, quandoquidem nondum illa Maria navibus erant frequentata.

Non multo priùs *Phœnicii Cyprum* Inſulam detexerant: ſiquidem ERASTOSTHENES (*o*) docet, quòd *principiò* Cyprus *adeò nemoribus obducta fuit, ut coli nullo pacto poſſet, quæ primum cæciderunt, ut æs & argentum liquefacerent, & deinde, cùm tutè* Mediterraneum Mare *navigare cœpiſſent*, ideſt, ſtatim à *Trojano* bello, *ut naves & claſſes totas conficerent: perſpicientes autem ne ſic quidem nemora deſtrui poſſe, copiam cuique fecerunt cædendi quantum nemoris liberet & ſibi vindicandi ſolum illud, quod ita fuiſſet arboribus ſpoliatum.* Neque minùs *Europa* principio ſilvis abundabat, quarum unâ, quæ *Hercynia* nuncupabatur, magna *Germaniæ* pars occupabatur, ſiquidem JULII CÆSARIS temporibus in latum patebat toto novem dierum itinere, & quadraginta & amplius in longum: attamen *Europæi* nemora cædere cœperant hominibus locum facturi, ex quo ferrea inſtrumenta, vivente ASTERIO, uſurpata ſunt.

Omnia hæc ſunt veſtigia priorum Coloniarum, quæ navibus in *Europam* ejúſque Inſulas appulerunt: *Europa* videtur antea parum habitata à *Scythis* JAPHETI poſteris, qui è ſeptentrionalibus *Ponti Euxini* littoribus venerant, errare ſoliti, domibus carentes, ſeſe ab imbribus & belluis, virgultis & cavernis, defendentes: hujus generis fuerunt antra *Idæ* montis, in quibus MINOS

(*m*) Iſter apud Porphyr. abſt. l. 2. ſect. 56.
(*n*) Bochart Canaan. l. 1. c. 15.
(*o*) Apud. Strab. l. 14. p. 684.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

MINOS eductus & sepultus fuit; spelunca CACI & *Italæ Catacombæ* prope *Romam* & *Neapolim*, quæ posterioribus temporibus in sepulchreta conversæ fuerunt; *Syringes*, & plures aliæ *Cryptæ* quæ in clivis montium *Ægyptiorum* reperiuntur; specus *Troglodytarum* inter *Ægyptum* & *Mare Rubrum*; antra *Phauruſiorum* in *Africâ* de quibus meminit STRABO (*p*); specus, senticeta, rupes, & loca excelsa ac subterranea, ubi *Israelitæ* se *Philistæorum* metu condebant sub SAULE (1. *Samuel.* XIII. 6). Sed nulla supereſt nunc Historia, quæ doceat quomodo tunc genus humanum vitam tolerabat.

Antiquitates *Libyæ* non multo vetustiores sunt antiquitatibus *Europæ*: ait enim DIODORUS (*q*), quòd URANUS pater HYPERIONIS & avus HELII atque SELENES, scilicet AMMON SESACI pater, *fuit primus totius hujus Regionis Rex, & populum, antea vagari ſolitum, in urbibus degere adegit*: HERODOTUS (*r*) autem inquit totam *Mediam* per κώμας, urbes mœnibus destitutas, habitatam fuisse donec ab *Assyriis* desciscceret, quod accidit anno ducentesimo sexagesimo septimo, circiter, post SALOMONIS interitum; & post hanc rebellionem sibi Regem creavisse, & *Ecbatanam* condidisse muris circumdatam, ubi Rex consideret; ea fuit prima urbs, quam illi mœniis circumsæpirent; anno, circiter, septuagesimo secundo post SALOMONIS mortem BENHADAD Rex *Syriæ* (*s*) habuit duos & triginta Reges in exercitu, quem contra ACHABUM duxit: & quando JOSUE *Canaan* Regionem subjecit, singulæ *Canaanæorum* Urbes proprio Rege gaudebant, ut Urbes *Europæ* antequàm aliæ alias in potestatem redegissent; ex his autem Regibus unus ADONIBEZECUS Rex *Bezeci* paulò ante septuaginta alios Reges domuerat (*Judic.* 1. 7). Itaque Urbes extrui ceptaverunt in illis Regionibus non multis ætatibus ante JOSUEM; quandoquidem Patriarchæ vagabantur & in tabernaculis vitam duce-

R 2

(*p*) Strabo l. 17. p. 828.
(*q*) Diodor. l. 3. pag. 132.
(*r*) Herod. l. 1.
(*s*) Reg. l. XX. 16.

Digitized by Google

CAP. I. ducebant greges paſtum agentes ubicunque libuerat, quoniam paſcua *Phœniciæ* non omnino dominis peculiaribus, ob hominum exiguum numerum, diſtributa erant. Primis regionibus tunc temporis habitatis tam pauci fuerunt Incolæ, ut quatuor Reges (*t*) ex oris *Sennaar* & *Elam* profecti invadere & expilare potuerint Gentes *Rephaim*, accolas agri *Moab*, *Ammon*, *Edom*, & Regna *Sodomæ*, *Gomorræ*, *Adamæ*, atque *Seboim*; attamen ABRAHAMUS eos proſecutus cum tercentis & duodeviginti viris illos devicit; neque majores copias ABRAHAMUS & reliqui Reges cogere potuerant. Adeò habitatoribus infrequens erat *Ægyptus* ante MOSEM natum, ut PHARAO de *Iſraelitis* loquens diceret (*v*), *Videtis populum filiorum Iſraelis nos numero & robore anteire*: &, ne nimium augerentur & fortes evaderent, juſſit ut pueri mergerentur.

Hæc ſunt veſtigia Terræ ab humano genere impleri incipientis paulo ante ABRAHAMI tempora; ſic ea pagis occupari cœpit & oppidis atque urbibus, quæ in Regna, principiò minuſcula, deinde majora, concreverunt, donec ortæ ſunt Monarchiæ *Ægypti*, *Aſſyriæ*, *Babyloniæ*, *Mediæ*, *Perſidis*, *Græciæ*, & *Romæ*, quæ priora magna Imperia cis *Indiam* fuerunt. Quintus à PHALEG fuit ABRAHAMUS; & totum hominum genus ſimul in *Chaldæâ* ſub NOE & filiis ejus ad PHALEG uſque vixerunt: hactenus omnibus unus ſermo, una Reſpublica, una Religio: deinde Terram partiti ſunt, fortaſſe NIMBRODI rebellione diſturbati, & coacti deſerere Turris *Babelis* ædificationem: hinc verò per Regiones, quæ cuique obtigerant, diffuſi ſunt ſecum afferentes leges, mores, & ſacra, quæ ab incunabulis didicerant, & quibus gubernati fuerant à NOE & ejus filiis ac nepotibus: hæ leges traditione delatæ fuerunt ad ABRAHAMUM, MELCHISEDECUM, JOBUM, & horum coævos; & earum nonnullæ ſervatæ ab Judicibus orientalium Regionum: itaque dicit JOBUS, (*x*) quòd

(*t*) Geneſ. XIV. Deuter. II. 9. 12. 19. --- 22.
(*v*) Exod. I. 9. 12.
(*x*) Job. XXXI. 11.

Digitized by Google

Chronologia Græcorum.

quòd adulterium eſt *crimen exſecrandum*, *quinimo ſcelus à Judicibus puniendum* : & de Idololatriâ (y) inquit; *Si Solem, cùm fulget, conſpexi, aut Lunam, dum Lucem adipiſcitur, & cor occulto gaudio ſubſultavit, aut manum oſculatum eſt os meum, quod pariter eſſet ſcelus à Judicibus coercendum; etenim id eſſet deſciſcere à Deo, qui in excelſis eſt.* Cùm de his rebus nulla fuerit controverſia inter JOBUM & ejus Amicos, cenſeri poteſt eos cum aliis illarum Regionum Incolis eandem Religionem coluiſſe. MELCHISEDECHUS fuit Sacerdos Dei altiſſimi, & ultrò decimas illi perſolvit ABRAHAMUS, quod vix invitus feciſſet, niſi unam eandémque Religionem ambo ſecuti fuiſſent. Eidem addicti principio *Chanaanæi* pariter fuiſſe videntur, & in eâ manſiſſe uſque ad mortem NOIS, & ABRAHAMI tempora: nam, *Jeroſolyma* (z) antiquitùs nuncupabatur *Jebus* & ejus Incolæ *Jebuſæi*, qui MELCHISEDECHO Rege ſimul & Sacerdote utebantur; igitur gentes iſtæ poſt MELCHISEDECHUM mortuum ſeſe ad falſos Deos colendos converterunt, quod etiam fecere poſteri ISMAELIS, ESAU, MOABI, AMMONIS, & ABRAHAMI ex CETURA: quin & *Iſraelitæ* ipſi multùm ad hanc rebellionem proclives fuerunt: & fieri poteſt ut THARES ex *Ur Chaldæorum* digreſſus adiret *Haran* petens Regiones *Canaanæorum*, & deinde ABRAHAMUS *Haran* deſeruerit & in *Canaanæorum* Regiones venerit ideo ut vitarent cultum falſorum Numinum, qui temporibus illis in *Chaldæâ* initium duxit, & inde quoquoverſùm erupit; nondum tamen in *Canaanæam* penetraverat. Plures ex legibus & præceptis, in quibus tota primæva Religio verſabatur, leguntur in JOBI libro Cap. I. Verſ. 5; & Cap. XXXI.; hujus generis ſunt, *Deum non blaſphemare*; *Solem, Lunam non colere*; *hominem non obtruncare*; *non furari*; *non mœchari*; *divitiis non confidere*; *inopes & pupillos non opprimere*; *exſecrationibus boſtes non proſequi*; *eorum infortuniis non lætari, amicè in quemquam agere*; *boſpitalitatem exercere*; *miſericordem ſe præbere*:

(y) Job. XXXI. 26.
(z) Chron. XI. 4. 5. Judic. I. 21. II. Samuel. V. 6.

Digitized by Google

CAP. I. *here*; *opem ferre pauperibus & egenis*; *Judices agnoscere.* Ecce morum disciplinam & Religionem primis sæculis vigentem, quam adhucdum *Judæi Præcepta filiorum* NOIS appellant; Ecce Religionem MOSIS & Prophetarum, quam duo summa præcepta complectuntur; nempe, *dilige Dominum Deum tuum toto corde, totâ animâ, totâ mente*; *dilige Proximum tuum tanquam temetipsum*; Ecce Religionem à MOSE præscriptam tum peregrino incircumciso, qui erat intra portas *Israelis*, tum *Israelitis* ipsis: Ecce primigeniam *Judæorum*, *Christianorúmque* Religionem, quæ debet esse constans omnium gentium Religio, cùm tota tendat ad honorem Dei & hominum utilitatem: & MOSES præterea jussit, ut misericordia Brutis etiam impertiretur, ita ut neque *sanguis eorum in escam cederet*, *neque caro iis viventibus & adhuc sanguine plenis avelleretur*; *neque sanguinis causâ necarentur aut suffocarentur*; *sed*, *si cibi gratiâ obtruncarentur*, *sanguis diffluere & in terrâ dilabi sineretur*, (Genes. IX. 4. & Levitic. XVII. 12. 13.) Hæc Lex MOSE antiquior est, siquidem data fuit NOI ejúsque filiis multò ante ABRAHAMUM; quapropter Apostoli & Seniores in Concilio *Jerosolymæ* coacto, dum Gentiles à circumcisione & MOSIS legibus immunes renuntiarent, eximiam habuerunt legem, quâ cavetur *ne quis sanguine aut animantibus suffocatis vescatur*, tanquam antiquissimam, & cui Deus subjecerat non solos ABRAHAMI filios, sed Gentes omnes, quæ simul in *Sennaar* sub NOE degebant; & ejusdem generis ea lex est, quâ homines vetantur *edere quidquid Idolis aut falsis Diis oblatum fuerat*, *& scortari.* Igitur *credere Mundum formatum & uno summo Deo eum regente*; *illum diligere & colere*; *parentes honore prosequi*; *proximos tanquam nosmetipsos amare*; *& in Bruta non sævire*, Religio est omnium antiquissima: & exordium Litterarum, Agriculturæ, Navigationis, Musices, Artium & Scientiarum, Metallorum, Fabrorum ferrariorum & lignariorum, Domuum & Urbium in *Europâ* vetustius non est temporibus HELI & SAMUELIS atque DAVIDIS; ante quos Terra tam paucis hominibus culta erat, & tam nemoribus impedita, ut Genus humanum non adeò vetustius esse possit quàm in Sacris Litteris legimus.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
VETERUM REGNORUM
EMENDATA.

CAPUT II.

De Ægypti Imperio.

ÆGYPTII antiquitùs magnum & diuturnum Imperium ſub Regibus AMMONE, OSIRIDE, BACCHO, SESOSTRI, HERCULE, MEMNONE, &c. ſe habuiſſe jactabant, quod ad Orientales quidem plagas, *Indiis*, ad Occidentales autem *Oceano Atlantico* finiebatur, &, gloriarum atque jactantiæ pleni, illud aliquod annorum millibus Mundo vetuſtius fecerunt: jam *Ægypti* Chronologiam, conferendo res *Ægyptiacas* cum rebus *Græcis* & *Hebræis* eodem tempore geſtis, corrigere & emendare tentemus.

Duas mulieres adamavit VENEREM & ARIADNAM ille gentium domitor BACCHUS: VENUS fuerat amaſia ANCHISÆ & CINYRÆ atque mater ÆNEÆ; qui omnes ad *Trojanam* cladem uſque vitam produxerunt: & qui ex BACCHO & ARIADNA prognati ſunt, inter *Argonautas* fuerunt, ut ſupra fuit oſtenſum: quocirca magnus BACCHUS unâ tantummodo Generatione floruit ante *Argonautarum* expeditionem. BACCHUS

Digitized by Google

CAP. II. CHUS iſte (*a*) Mari potens fuit Victor, Orientem verſus, ad *Indias* uſque progreſſus eſt, unde triumphans redivit; exercitum ultra *Helleſpontum* tranſvexit; *Thraciam* Imperio ſuo adjecit, ubi muſicem, poeſim, & ſaltationem introduxit; LYCURGUM *Thraciæ* Regem, & PENTHEUM CADMI nepotem obtruncavit; THAROPI Regnum LYCURGI dedit, & OEAGRO THAROPIS filio unam ex ſuis Cantatricibus, quam *Græci* CALLIOPEM dixerunt; ex OEAGRO & CALLIOPE natus eſt ORPHEUS, qui cum *Argonautis* navigavit: quocirca BACCHUS hic vixit eodem tempore, quo SESOSTRIS; & cùm uterque fuerit Rex *Ægypti*, Mari potens, Regnorum debellator magnus, ad *Indias* & *Thraciam* uſque victorias protulerit, BACCHUS & SESOSTRIS unus idémque Vir fuerint neceſſe eſt.

Veteres *Græci*, qui de Diis fabulas commenti ſunt, narraverunt Iō filiam INACHI, raptam & in *Ægyptum* abductam, evaſiſſe ISIDEM *Ægyptiorum*; atque APIM filium PHORONEI poſt mortem factum fuiſſe Deum SERAPIM: nonnulli etiam affirmant EPAPHUM fuiſſe filium IUS. SERAPIS & EPAPHUS iidem ſunt ac OSIRIS; quapropter ISIS & OSIRIS, ex veterum *Græcorum*, qui fabulas de Diis effinxerunt, ſententiâ, non vixerunt pluſquàm duabus vel tribus Generationibus ante expeditionem *Argonautarum*. DICÆARCHUS, ut refert Scholiaſtes APOLLONII, (*b*) eos facit duabus Generationibus antiquiores SESOSTRI; ait enim, quòd, poſt ORUM filium OSIRIDIS & ISIDIS, Regno potitus eſt SESONCHOSIS. Secutus videtur ſententiam Incolarum *Naxi*, qui aſſeruerunt BACCHUM fuiſſe duabus Generationibus ante THESEUM, & qui idcirco duos MINOES duáſque ARIADNAS commenti fuerunt; nam, in eo conſentit omnis Antiquitas, quòd BACCHUM & OSIRIM unum eundémque Regem *Ægypti* fuiſſe confitetur: neque *Græci* neque Ægyptii in hoc diſſentiunt; atque nonnulli ex veteribus Fabularum ſcriptoribus, ut EUMOLPUS & ORPHEUS (*c*), OSIRIDI nomen

(*a*) Vide Hermippum apud Athenæum. l. 1.
(*b*) Argon. l. 4. v. 272. (*c*) Diodor. l. 1. p. 7.

Digitized by Google

nomen DIONYSI & SIRII tribuerunt. Rex totius *Ægypti* fuit OSIRIS & magnus populorum domitor, & *Helleſpontum* vivente TRIPTOLEMO transjecit, *Thraciam* in poteſtatem redegit, & ibi LYCURGUM obtruncavit; quapropter ejus expeditio cum magni BACCHI expeditione coincidit. OSIRIS, BACCHUS, & SESOSTRIS eodem ferè tempore vixerunt, &, ſecundùm Hiſtoricos, omnes fuere totius *Ægypti* Reges, THEBÆ urbs eorum Regni princeps fuit, omnes hanc urbem ornaverunt, & fuerunt terrâ marîque potentes; omnes domuerunt multas Gentes, Regiones *Aſiæ* ad *Indias* uſque ſibi ſubjecerunt; omnes *Helleſpontum* tranſmiſerunt, & in hoc Mari ferè copias ſuas amiſerunt; omnes *Thraciam* imperio ſuo adjecerunt, & eam victoriarum finem eſſe volentes inde in *Ægyptum* reverſi ſunt; omnes in Regionibus devictis columnas cum inſcriptionibus poſuerunt; unde conficitur hos omnes fuiſſe unum eundémque Regem *Ægypti*, qui à SESACO differre non poteſt. In totam *Ægyptum*, (cùm totam dico intelligo etiam *Thebaidem*, *Æthiopiam*, *& Libyam*) unus Rex dominatus primùm eſt poſt expulſionem Paſtorum, qui in inferiorem *Ægyptum* regnaverunt; & SESACUS primus *Syriam*, *Indias*, *Aſiam minorem*, *& Thraciam* domuit; atque Sacræ Litteræ nullum admittunt *Ægyptium*, qui ante Regem hunc *Palæſtinam* ſubegerit. De Imperio Ægyptiorum.

THYMÆTES, (*d*) qui eodem, quo ORPHEUS, tempore vixit, & de BACCHI geſtis antiquiſſimo ſermone & litteris ſcripſit carmen dictum *Phrygium*, affirmat in BACCHI exercitu fuiſſe *Libyas* mulieres, & inter eas MINERVAM natam prope *Tritonem Libyæ* fluvium, & BACCHUM hominibus, MINERVAM autem fœminis imperitaviſſe. Hanc DIODORUS (*e*) appellat MYRINAM, & fuiſſe dicit *Libycarum* Amazonum Reginam, & narrat quòd ea domuit *Atlantides* & *Gorgones*; & deinde fœdus fecit cum ORO filio ISIDIS, quem ob id ipſum pater OSIRIS vel BACCHUS ad illam miſerat; ac, cùm per *Ægyptum*

(*d*) Apud Diodor. l. 3. p. 140.
(*e*) Diodor. l. 3. p. 131. 132.

Digitized by Google

CAP. II. transiviſſet, *Arabes*, *Syrios*, *Cilicéſque* ſubjecit, atque *Phrygiam*, videlicet in BACCHI exercitu, ad Mare *Mediterraneum* uſque tranſmeavit; ſed in *Europam* veniens interfecta fuit unà cum multis mulieribus ſuis à *Thracibus* & *Scythis*, quorum duces erant SIPYLUS *Scytha*, & MOPSUS *Thrax*, quem LYCURGUS *Thraciæ* Rex in exſilium miſerat. Hic eſt LYCURGUS ille, qui obſtitit BACCHO *Helleſpontum* transfretare volenti, & paulò poſt ab eo devictus fuit & obtruncatus; ſed poſtea BACCHUS repulſus fuit à *Græcis* duce PERSEO, qui plures ex ejus mulieribus interemerunt, auctore PAUSANIA, (*f*) & ſocios habebant *Scythas* & *Thraces* ſub SIPYLO atque MOPSO: clades hæc & rebellio fratris DANAI in *Ægypto* finem victoriis ejus impoſuerunt: & domum repetens homines ſuos partim reliquit in *Colchide* & ad *Caucaſum* montem ſub ÆETE & PROMETHEO; mulieres autem circa *Thermodontis* oras non longè à *Colchide* ſub novis Reginis MARTHESIA & LAMPETO: quandoquidem DIODORUS (*g*) verba faciens de *Amazonibus*, quæ ad *Thermodontem* confederant, ait eas initio *Libyam* coluiſſe & dominatas eſſe in *Atlantides*, atque, finitimos invadendo, Regiones ad *Europam* uſque ſibi ſubjeciſſe: & AMMIANUS (*h*) narrat veteres *Amazones*, cùm per multas Gentes ſibi viam feciſſent, *Athenienſibus* bellum intuliſſe, & magnâ cæde acceptâ prope *Thermodontem* ſe recepiſſe: JUSTINUS (*i*) autem, quòd primùm, (intelligit quò primùm ad *Thermodonta* venerunt,) his *Amazonibus* fuerunt duæ Reginæ, quæ genitas ſe MARTE prædicabant; & quòd hæ, majore parte *Europæ* ſubactâ, *Aſiæ* quoque nonnullas civitates occupavêre, regnante ſcilicet MINERVA, atque deinde partem Exercitûs cum ingenti prædâ domum dimiſerunt ſub novis Reginis ſupra memoratis; & quòd poſtea, cùm & MARPESIA Regina fuiſſet interfecta, in hujus locum ejus filia ORITHYA Regno ſucceſſit, poſt quam PENTHESILEA Regno potita eſt; & quòd

(*f*) Pauſan. l. 2. c. 20. p. 155.
(*g*) Diodor. l. 3. p. 130. & Schol. Apollonii l. 2.
(*h*) Ammian. l. 22. c. 8.
(*i*) Lib. 2 c. 4.

Digitized by Google

quòd THESEUS cœpit & uxorem duxit * ANTIOPAM sororem ORITHYÆ. *Amazonibus* bellum intulit HERCULES; & *Amazones Trojano* bello interfuerunt, ORITHYA & PENTHESILEA Regnum tenentibus. Quapropter *Amazones* in *Europâ* atque *Asiâ* prima bella gesserunt, & juxta amnem *Thermodonta* consederunt unâ dumtaxat Generatione ante facinora HERCULIS & THESEI; duabus autem ante bellum *Trojanum*: atque ita eodem tempore, quo accidit SESOSTRIS expeditio. Cùm verò belligeraverint viventibus ISIDE & ORO ejus filio, & fuerint pars Copiarum OSIRIDIS aut BACCHI; hinc aliud oritur argumentum; cur OSIRIDEM & BACCHUM coævos faciamus, & hosce tres ad unum SESACUM redigamus. De Imperio Ægyptiorum.

Inter JOVIS filios OSIRIDEM & BACCHUM *Græci* recensent; apud *Ægyptios* autem JUPITER dicitur AMMON. MANETHO in undecimâ & duodecimâ ex *Dynastiis* suis, (ut asserunt AFRICANUS atque EUSEBIUS, quatuor hos *Ægypti* Reges unum post alium Regno potitos fuisse dicit, scilicet, AMMENEMEM, GESONGESEM vel SESONCHORIM filium AMMENEMIS, AMMENEMEM qui ab Eunuchis suis interfectus fuit, & SESOSTRIS qui sibi totam *Asiam* & *Europæ* partem subjecit: *Gesongesem* & *Sesonchorim* mendosè scripsit pro *Sesonchosi*; atque horum quatuor Regum duo primi, AMMENEMES, & SESONCHOSIS, iidem sunt qui duo postremi, AMMENEMES, & SESOSTRIS, videlicet, AMMON, & SESACUS: quandoquidem docet DIODORUS (*k*) OSYRIDEM *Thebis* condidisse magnificum Templum in honorem parentum suorum JOVIS & JUNONIS, & alia duo in honorem JOVIS, alterum quidem latius in honorem JOVIS URANII, alterum angustius in honorem patris sui JOVIS AMMONIS, qui in urbe illâ regnaverat: & THYMÆTES (*l*) supra memoratus, qui eodem, quo ORPHEUS, tempore vixit, disertis verbis scribit patrem BACCHI fuisse AMMONEM Regem, qui dominatus fuerat

* HIPPOLITEM ait JUSTINUS.

(*k*) Diodor. l. 1. p 9

(*l*) Apud Diodor. l. 3. p. 141.

Digitized by Google

CAP. II. rat in *Libyæ* partem, id est, Regem *Ægypti*, qui ditione tenuerat illam *Libyæ* partem, quæ antiquitùs *Ammonia* fuit nuncupata. STEPHANUS ait (*m*) Πασα ἡ Λιβυὴ ὕτως ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος. *Tota* Libya *dicebatur antiquitùs* Ammonia *ab* AMMONE: hic est ille Rex *Ægypti*, è cujus nomine *Thebis* accessit nomen *No-Ammon* vel *Ammon-No*, urbs AMMONIS; illam *Græci* dixerunt *Diospolim*, urbem JOVIS AMMONIS: eam SESOSTRIS eximiis ædificiis ornavit, & dixit ex patris nomine: ab eodem Rege (*n*) fluvius dictus *Ammon*, populi vocati *Ammonii*, & (*o*) promontorium *Ammonium* in *Arabiâ felice* nomina sua duxerunt.

Inferior *Ægypti* pars, cùm quotannis à *Nilo* inundaretur, vix habitata fuit ante triticum inventum, quod eam utilem reddidit: Rex autem ille, qui eam hoc invento primus Incolis auxit, fortasse Rex urbis *Mesir*, ubi postea *Memphis* condita fuit, videtur post mortem adoratus fuisse à suis subditis sub Bovis aut Vituli specie pro merito illo; nam, hæc urbs, quæ sita erat in loco ad Incolis implendam inferiorem *Ægyptum* aptissimo, & quæ duabus partibus duas *Nili* ripas occupantibus constabat, videtur nomen *Misraim* Conditori & populo præbuisse; nisi malis nomen hoc referre duobus populis, quorum alter supra, alter intra *Delta* degebat: & sic se habuisse puto inferiorem *Ægyptum*, donec domita fuit à Pastoribus vel *Phæniciis*, qui JOSUEM fugiebant, & qui deinde ab *Æthiopibus* devicti sese in *Africam* & alia loca receperunt; etenim apud eos memoriâ prodebatur nonnullos ex illis *Africam* petiisse; quod confirmat AUGUSTINUS (*p*) asserens *Africanam* plebem, interrogatam quid esset, respondere solitam, sumus *Chanani*, id est, *Canaanæi*. En ejus verba: *Interrogati Rustici nostri, quid sint, Punicè respondentes* Chanani, *corruptâ scilicet voce sicut in talibus solet, quid aliud respondent quàm Chanaanæi?* PROCOPIUS (*q*) etiam verba facit de colum-

(*m*) Stephan in Ἀμμώνια.
(*n*) Plin l. 6. c. 18.
(*o*) Ptol. l. 6. c. 7.
(*p*) Augustin. in expos. Epist. ad Roman. sub initio.
(*q*) Procopius de bello Vandal. l. 2, c. 10.

Digitized by Google

lumnis duabus ſitis in eâ parte *Africæ*, quæ ad Occidentem vergit, in quibus erant Inſcriptiones teſtantes populum illum eſſe è gente *Canaanæorum* qui JOSUEM fugerant: & EUSEBIUS (r) docet *Canaaneos* illos, qui fugati fuerant à filiis *Iſraelis* in *Africâ Tripolim* condidiſſe; & *Gemara Jeroſolymæ* (s) *Gergeſæos* JOSUEM fugientes in *Africam* deveniſſe: illorum fugam refert PROCOPIUS his verbis: De Imperio Ægyptiorum.

ἐπεὶ δὲ ἡμᾶς ὁ τῆς ἱστορίας λόγος ἐντεῦθεν ἤγαγεν· ἐπάναγκες εἶναι ἄνωθεν, ὅθεν τε τὰ Μαυρουσίων ἔθνη ἐς Λιβύην ἦλθε, καὶ ὅπως κατέστη. Ἐπειδὴ Ἑβραῖοι ἐξ Αἰγύπτου ἀνεχώρησαν, καὶ ἄγχι τῶν παλαιστίνης ὁρίων ἐγένοντο· Μωσῆς μὲν σοφὸς ἀνὴρ, ὃς αὐτοὺς τῆς ὁδοῦ ἡγήσατο, θνήσκει· διαδέχεται δὲ τὴν ἡγεμονίαν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ παῖς· ὃς ἐς τε τὴν παλαιστίνην τὸν λεὼν τοῦτον εἰσήγαγε· καὶ ἀρετὴν ἐν τῷ πολέμῳ κρείσσω ἢ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν ἐπιδείξάμενος, τὴν χώραν ἔσχε· καὶ τὰ ἔθνη ἄπαντα καταστρεψάμενος, τὰς πόλεις εὐπετῶς παρεσκευάσατο ἀνίκητος τε παντὶ ἔπεσιν εἶδοξεν εἶναι· τοῦτο δὲ ἡ ἐπιθαλασσία χώρα, ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων, φοινίκη ξύμπασα ὠνομάσθη· βασιλεὺς δὲ εἷς τὸ παλαιὸν ἐφέστηκεν, ὥσπερ ἅπασιν ὡμολόγηται, ὃς φοινίκων τὰ ἀρχαιότατα ἀναγράψας· ἐνταῦθ' ὠκηνται ἔθνη πολυανθρωποτάτα, Γεργεσαῖοί τε καὶ Γεβουσαῖοι, καὶ ἄλλα ἄττα ὀνόματα ἔχοντα ὅς δὴ αὐτὰ ἡ τῶν Ἑβραίων ἱστορία καλεῖ· οὗτος, ὁ λαὸς ἐπεὶ ἄμαχόν τι χρῆμα τὸν ἐπιλύτην στρατηγὸν εἶδον· ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων ἐξαναστάντες π' Αἰγύπτου ὁμοῦ ὅσης ἐχώρησαν. ἔνθα χῶρόν τε δένα σφίσιν ἱκανὸν ἐνοικήσασθαι εὑρόντες, ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ πολυανθρωπία ἐκ παλαιοῦ ἦν· ἐς Λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν Ἡρακλείους ἔσχον, ἐνθαῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται.

Quando ad Mauros nos hiſtoria deducit, congruens eſt nos exponere unde orta gens in Africâ ſedes fixerit. Quo tempore egreſſi Ægypto Hebræi jam prope Paleſtinæ fines venerant, mortuus ibi MOSES, *vir ſapiens, dux itineris, Succeſſor imperii factus* JESUS NAVÆ *filius intra Paleſtinam duxit popularium agmen; & virtute uſus ſupra humanum modum terram occupavit, Gentibúſque exciſis urbes ditionis ſuæ fecit, & invicti famam tulit. Maritima ora, quæ à Sidone ad Ægypti limitem extenditur, nomen habet Phœnices. Rex unus* (Hebræis) *imperabat ut omnes, qui res Phœnicias, ſcripſere conſentiunt. In eo tractu numeroſæ gentes erant, Gergeſæi, Jebuſæi, quibúſque aliis nominibus Hebræorum annales memorant. Hi homines, ut impares ſe venienti Im-*

(r) Euſebius Chron. l. 1. p. 11.
(s) Gemara ad tit. Shebijth. cap. 6.

Digitized by Google

CAP. II. *peratori vidère, derelicto patriæ ſolo ad finitimam primùm venere Ægyptum, ſed ibi capacem tantæ multitudinis locum non reperientes, erat enim Ægyptus ab antiquo fœcunda populis, in Africam profecti, multis conditis urbibus, omnem eam,* HERCULIS *columnas uſque, obtinuerunt : ubi ad meam ætatem, ſermone Phœnicio utentes, habitabant.* Ex oratione, & ſummâ paupertate *Maurorum*, quas PROCOPIUS etiam deſcribit, & ex eorum ignorantiâ negotiationis & rerum nauticarum intelligere licet eos ex *Canaanæis* ortos fuiſſe & *Africam* coluiſſe antequàm *Tyrii* mercatores eò delati fuerunt. Hi *Canaanæi*, ex Oriente venientes, tentoria ſua magnâ frequentiâ in Inferiore *Ægypto* tetenderunt TIMAO Regnum obtinente, ut MANETHO (*t*) ſcribit; & facilè Regione illâ potiti ſunt, ubi, munito *Peluſio*, cui tunc erat nomen *Abari*, Regnum fundaverunt, & in eam dominati ſunt ſub propriis Regibus SALATI, BÆONE, APACHNA, APOPHI, JANIA, ASSI, & aliis ſerie continuâ. Interea ſuperior *Ægyptus*, quæ dicebatur *Thebais*, &, ſecundùm HERODOTUM (*v*), *Ægyptus*, & in Sacris Litteris *Pathros* Regio, ſub aliis Regibus erat, degentibus fortaſſe *Copto*, *Thebis*, *Thi*, *Syene* (*x*), *Pathro*, *Elephantide*, *Heracleopoli*, *Meſir*, & in aliis magnis urbibus, quouſque aut ſe mutuò domuerunt, aut ab *Æthiopibus* in poteſtatem redacti fuerunt: nam, tunc temporis civitates magnæ fiebant, cùm Imperii alicujus ſedes erant : ſed, procedente tempore, unus ex his Regibus ceteros omnes domuit, & Paſtores longo bello proſecutus eſt, qui tandem ſub MISPHRAGMUTHOSI, & hujus filio AMOSI, qui dictus quoque fuit TETHMOSIS, TUTHMOSIS, & THOMOSIS, ex *Ægypto* pulſi fuerunt, & coacti fugâ evadere in *Africam*, *Syriam*, & alia loca: ſic *Ægyptus* tota in unum coaluit Imperium, quod poſtea in ſanè magnum crevit ſub proximis Regibus AMMONE & SESACO. Victor ille Populus Deos Paſtorum, quos devicerat & ex-

(*t*) Manetho apud Joſeph cont. Appion. l. 1. p. 1039.
(*v*) Herodot. l. 2.
(*x*) Jerem. XLIV. 1. Ezech. XXIX. 14.

Digitized by Google

expulerat, non coluit, ſed eorum Religionem, quâ homines immolabantur, abolevit, (y) &, more tunc ſolemni, proprios Reges inter Deos retulit, qui novum *Ægyptiorum* Regnum fundaverant, Imperii Hiſtoriam inchoans à Regnis & facinoribus Deorum & Heroum ſuorum: hinc eorum Dii AMMON & RHEA, vel URANUS & TITÆA; OSYRIS & ISIS; ORUS & BUBASTE; & TOTHUS, qui fuit illis à ſecretis; & Duces HERCULES & PAN; & Claſſibus Præfectus JAPETUS; NEPTUNUS, aut TYPHON, omnes *Thebani* fuerunt & poſt Paſtorum expulſionem floruerunt. HOMERUS *Thebas* in *Æthiopiâ* ſtatuit, atque *Æthiopes* prodebant (z) *Ægyptios* eſſe Coloniam ab OSIRIDE *Æthiopiâ Ægyptum* deductam, & hinc factum eſſe ut plures leges in *Ægypto* uſurpatæ eædem eſſent quæ *Æthiopum*; *Ægyptiós*que ab *Æthiopibus* accepiſſe morem Regum ſuorum inter Deos recenſendorum. De Imperio Ægyptiorum.

Quando JOSEPHI fratres apud eum in *Ægypto* morati ſunt, unâ menſâ ſeorſum ipſi uſi ſunt, alterâ JOSEPHUS, alterâ denique *Ægyptii* ad epulas vocati, *nam, Ægyptiis non licebat panem cum* Hæbræis *comedere; id enim Ægyptiis abominandum erat* (Geneſ. XLIII. 32.). *Ægyptii* iſti, qui JOSEPHI convivio interfuerunt, erant ex PHARAONIS Aulicis; igitur Rex ille & ejus Aulici tunc temporis non erant Paſtores, ſed *Ægyptii* germani; & *Ægyptii* iſti panem edere cum Hebræis eidémque menſæ accumbere abominabantur; ac de *Ægyptiis* & iis qui eidem Regi parebant paulò infra dicitur, quòd *omnes Paſtores Ægyptii abominantur:* quapropter tunc in *Ægyptum Ægyptii* non Paſtores dominabantur.

Poſtquàm JACOB & ejus filii in *Ægyptum* deſcenderunt, JOSEPHUS vixit ſeptuaginta annos, & ſemper *Ægyptiis* Regibus gratioſus fuit: anno autem ſexageſimo quarto poſt JOSEPHI mortem MOSES jam natus erat; & inter Jo-

(y) Manetho apud Porphyrium περὶ ἀποχῆς· l. 1. ſect. 55. & Euſeb. Præp. l. 4. c. 16. pag. 155.

(z) Diodor. l. 3. pag. 101.

Digitized by Google

CAP. II. JOSEPHI mortem ac MOSIS nativitatem *surrexit novus Rex in Ægyptum, qui* JOSEPHUM *non noverat*, (Exod. I. 8.). Sed neque Rex hic *Ægypti* ex Paſtoribus erat; etenim vocatus fuit *Pharao*, (Exod. I. 11. 22.); & MOSES dixit ejus ſucceſſori, quòd, ſi populus *Iſraelis* immolaret victimas in terrâ *Ægypti*, *immolaret abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos*, & Ægyptii Iſraelem *lapidibus obruerent*, (Exod. VIII. 26.), id eſt, immolarent oves aut boves contra *Ægyptiorum* Religionem. Igitur Paſtores in *Ægyptum* dominati non ſunt, dum ibi moratus eſt *Iſrael*; ſed, aut ex *Ægypto* pulſi fuerant antequàm illuc *Iſrael* adventaret, aut in *Ægyptum* ingreſſi ſunt poſtquàm MOSES illinc *Iſraelem* eduxit; quod poſtremum verum eſſe debet, ſi, ut MANETHO affirmat, ex *Ægypto* pulſi fuerunt paulò antequàm SALOMONIS Templum conderetur.

Ait DIODORUS (*a*) in quadrageſimo ex libris ſuis, quòd *olim fuerat in Ægypto magna vis advenarum ex variis gentibus, qui peregrinis ritibus & cæremoniis Deos ſuos venerabantur, quapropter ex Ægypto pulſi fuerunt, & poſt magnos labores ſub* DANAO, CADMO, *& aliis eximiis Ducibus in* Græciam *& alia loca venerunt; ſed plerique* Judæam *petierunt, quæ Regio non longè abeſt ab* Ægypto, *& tunc deſerta erat & incolis deſtituta, Duce* MOSE *quodam prudenti & forti viro, qui, Regionis potitus, inter cetera* Jeroſolymam *ac Templum condidit.* DIODORUM hìc fallit *Iſraelitarum* origo, ut antea MANETHONEM fefellerat; confundit enim *Iſraelitarum* fugam in deſertum Duce MOSE, cum Paſtorum fugâ in *Phœniciam* & *Africam* ſub MISPHRAGMUTHOSI & ejus filio AMOSI; & neſcit *Judæam* à *Canaanæis* habitatam fuiſſe antequàm MOSES illuc iret: ſed, quidquid ſit, innuit Paſtores ex *Ægypto* pulſos fuiſſe ab AMOSI paulò antequàm *Jeroſolyma* Templúmque conderentur, & poſt multos labores eorum nonnullos ſub CADMO & aliis Ducibus in *Græciam* & alia loca veniſſe, ſed plures in *Phœni-*

(*a*) Diodor. apud Photium in Bibliotheca.

Digitized by Google

Phœniciâ prope *Ægyptum* conſediſſe. Quocirca credere poſſumus, quòd Paſtores, cùm pulſi fuiſſent à Regibus *Thebaidis*, effecerunt, ut tanta eſſet *Philiſtæorum* multitudo regnante SAULE, & ut tot Coloniæ tunc ex *Ægypto* & *Phœniciâ* in *Græciam* deducerentur à tot Ducibus; tales fuerunt LELEX, INACHUS, PELASGUS, ÆZEUS, CECROPS, ÆGIALEUS, CADMUS, PHOENIX, MEMBLIARIUS, ATYMNUS, ABAS, ERECHTHEUS, PETEOS, PHORBAS, temporibus ELI, SAMUELIS, SAULIS, & DAVIDIS; quorum nonnulli ELI vivente fugerunt MISPHRAGMUTHOSIM, qui partem inferioris *Ægypti* ſibi ſubjecerat; alii coacti ab AMOSI, qui in ejus locum ſucceſſerat, ſeſe receperunt in *Phœniciam* & *Arabiam Petræam* & ſe veteribus incolis immiſcuerunt; at, paulò poſt devicti à DAVIDE, eum & *Philiſtæos Mare* fugerunt, ac ſub CADMO & aliis Ducibus venerunt in *Aſiam Minorem*, *Græciam*, & *Libyam* quæſitum novas ſedes, ibíque civitates condiderunt, Regna fundaverunt, & morem colendi mortuos introduxerunt: nonnulli ex iis, qui in *Judæâ* manſerunt, fieri poteſt ut opem tulerint DAVIDI & SALOMONI *Jeroſolymam* ac Templum ædificantibus. Inter peregrinos ritus, quibus advenæ Deos ſuos in *Ægypto* colebant, erant humana ſacrificia; quandoquidem AMOSIS hunc morem *Heliopoli* abolevit; quapropter advenæ illi erant *Canaanæi* qui JOSUEM fugerant, etenim *Canaanæi* dabant ſemen ſuum, hoc eſt, filios ſuos *Moloch*, & *urebant filios & filias igne in Deorum ſuorum honorem*, (Deuter. XII. 31.): MANETHO eos *Phœnicios* peregrinos appellat. De Imperio Ægyptiorum.

Poſtquàm AMOSIS Paſtores exegit & ſuper totam *Ægyptum* extendit dominationem ſuam, ejus filius & ſucceſſor AMMENEMES aut AMMON plures alias Regiones ſibi ſubjiciens jecit fundamenta Imperii *Ægyptiaci*; nam, opem ferente juvene filio SESOSTRI, quem inter venationes & alios labores eduxerat, domuit *Arabiam*, *Trogloditicam*, & *Libyam*; & ex eo *Libya* fuit antiquitus *Ammonia* vocata; atque, poſt ejus mortem, in Templis ei dicatis *Thebis*, *Ammoniæ*, & *Meroe* in *Æthiopiâ*,

Digitized by Google

CAP. II. conſtituta fuerunt Oracula in illius honorem, & populus adactus ad eum adorandum tanquam Deum in illa agentem: hæc autem ſunt antiquiſſima Oracula, de quibus Hiſtoria mentionem faciat: in hac re *Græci* ſunt *Ægyptios* imitati, quandoquidem antiquiſſimum (*b*) *Græciæ* oraculum eſt *Dodonæum*, quod conſtitutum fuit ab *Ægyptiâ* muliere ad exemplum Oraculi JOVIS AMMONIS, quod *Thebis* erat.

Vivente AMMONE multitudo *Edomitarum* DAVIDEM fugiens, in *Ægyptum* ſe contulit, ut jam diximus, cum Rege HADAD penè puero; illuc ſecum adduxerunt rei nauticæ peritiam; & hi videntur anſam *Ægyptiis* præbuiſſe conſtituendæ Claſſis in *Mare Rubro* prope *Coptum*; quod potuit HADAD PHARAONEM conciliare; nam, *Madianitæ* & *Iſmaelitæ*, qui *Rubri Maris* oras prope *Montem Horeb* ad *Edomitarum* meridiem incolebant, mercatores erant etiam tempore JACOBI Patriarchæ, (Geneſ. XXXVII. 28. 36), & eorum commercio *Madianitæ* auro abundabant vivente MOSE, (Num. XXXI. 50, 51, 52.), & Judicibus *Iſraelem* regentibus, quia *Iſmaelitæ* erant, (Judic. VIII. 24.). Quapropter his temporibus mercatura eorum divitias augebat; merces ſuas ope Camelorum per *Petram*, *Rhinocoluram* & inde, in *Ægyptum* advectabant: quæ negotiatio tandem ad DAVIDEM pervenit, cùm *Edomitas* devicit & adeptus eſt portus ad *Mare rubrum* ſitos & nuncupatos *Eloth* & *Ezion-Geber*, ut colligere licet ex tercentis Talentis auri ex *Ophir*, quæ DAVID Templo donavit; (1. Chron. XXIX. 4.). Cùm autem *Ægyptii* telas conficere noſſent, circa hæc tempora cœperunt conſtruere longa navigia velis inſtructa, in portubus ſuis ſiti ad Maria prope *Coptum*, &, ab *Edomitis* edocti, tunc inceperunt Stellarum ſitus & anni ſolaris diuturnitatem obſervare, ut quovis tempore Stellarum poſitiones noſcere poſſent, & ſemper iis viam monſtrantibus navigare quanquam littora non aſpicerent: hinc initium traxerunt Aſtronomia & Ars navigandi; etenim huc uſque littora remis legerant rotundis navigiis onerariis, quæ priùs in illo Mari non admodum profundo ABRAHAMI poſteri excogitaverant: hi ex Inſulâ in Inſulam tranſmeabant

(*b*) Herodot. l. 2. inter-

Digitized by Google

interdiu viam regentes conſpectu Inſularum ipſarum, noctu verò aliquorum Aſtrorum. Vetus illorum annus erat Luni-ſolaris, à NOE ad omnes ſuos Poſteros ad illa tempora uſque tranſmiſſus, conſtans duodecim menſibus, quorum quiſque triginta dies continebat, juxta illorum calendarium, cui calendari anno exeunti quinque dies tunc addiderunt, & hoc pacto Solarem annum ex duodecim menſibus & quinque diebus, ſive ex tercentis ſexaginta quinque diebus, confecerunt. De Imperio Ægyptiorum.

Finxerunt veteres *Ægyptii* (*c*) RHEAM ſui copiam SATURNO clam feciſſe, & SOLEM exoraviſſe ut ea parere non poſſet neque in aliquo menſium neque in anno; MERCURIUM autem talis luſiſſe cum LUNA, &, cùm viciſſet, abſtuliſſe ſeptuageſimam ſecundam partem ſingulorum dierum anni Lunaris, ex hiſce partibus quinque dies conflaviſſe, quos addidit anno tercentis ſexaginta diebus conſtanti, ut in his parere poſſet; *Ægyptiosque* dies iſtos celebrare tanquam natalitios quinque filiorum RHEÆ, OSIRIDIS, ORI ſenioris, TYPHONIS, ISIDIS, & NEPTHES conjugis TYPHONIS: quapropter, ex priſcorum *Ægyptiorum* ſententiâ, quinque dies illi additi fuerunt anno Luni-ſolari calendari Regnum obtinentibus SATURNO & RHEA, quibus OSIRIS, ISIS, & TYPHON prognati fuerunt, ideſt, regnantibus AMMONE & TITÆA Titanum parentibus; videlicet per ultimam medietatem Regni *Davidici*, quando *Titanes* iſti nati ſunt, & ideo non multo poſtquàm *Edomitæ* à DAVIDE fugati *Ægyptum* petierunt: ſed, cùm nondum Solſtitia determinata eſſent, initium novi hujus anni ſtatui non poteſt in Vernum Æquinoctium incidiſſe ante Regnum AMENOPHIS, qui in ORI junioris, filii OSIRIDIS & ISIDIS, locum ſucceſſit.

Neque à veriſimile alienum eſt *Edomitas* DAVIDEM in *Ægyptum* fugientes cum puero ſuo Rege HADAD illuc litteras advexiſſe; nam tunc litteræ in uſum erant apud ABRAHAMI poſteros in *Arabiâ Petræâ* & in oris *Maris Rubri*, cùm ibi Lex à MOSE multo antea ſcripta fuiſſet in libro & in lapideis tabulis: ſiquidem MOSES, qui duxerat filiam Principis *Madian* & cum eo degerat

(*c*) Plutarch. de Iſide, p. 355. Diodor. l. 1. pag. 9.

Digitized by Google

CAP. II. quadraginta annos, litteras à *Madianitis* didicit: & JOBUS; qui vivebat (*d*) inter *Edomitas* eorum finitimos, loquitur de caracteribus verba exprimentibus, tanquam tunc usurpatis, (Job. XIX. 23, 24.;) nullum autem adest exemplum litterarum ante DAVIDEM adhibitarum ab aliquâ Gente, præter ABRAHAMI posteros. *Ægyptii* eas inventas fuisse dicebant à THOTHO, qui OSIRIDI fuit à secretis; igitur illæ usurpari cœperunt in *Ægypto* vivente THOTHO, videlicet, paulo post *Edomitarum* à DAVIDE pulsorum fugam, aut circiter tempus, quo CADMUS eas in *Europam* invexit.

Docet HELLADIUS (*e*) Virum, cui nomen OES, qui visus fuit in *Mare Rubro* caudatus ut piscis, (hoc pacto Nautæ pingebantur), docuisse Astronomiam & litteras: HYGINUS (*f*) autem EUHADNEM, qui Mare in *Chaldæam* profectus est, primum omnium *Chaldæos* Astrologiam docuisse; dicere vult Astronomiam: & ALEXANDER *Polybistor* ex BEROSO (*g*) OANNEM *Chaldæos* docuisse Litteras, Mathesim, Artes, Agriculturam, socialem vitam in Civitatibus, & Templorum constructionem; atque plures hujuscemodi viros illuc unum post alium venisse. Nomina *Oes*, *Euhadnes*, & *Oannes* videntur in unum recidere, licèt pauliſper per corruptionem diversa; & hoc nomen generatim tributum videtur pluribus Nautis illuc passim profectis, qui idcirco erant negotiatores hæc Maria Mercaturæ causâ frequentantes, aut etiam hostes fugientes: itaque Litteræ, Astronomia, Architectura, & Agricultura *Chaldæam* Mare fuerunt invectæ, & quidem à Nautis *Sinum Persicum* adeuntibus, & *Chaldæam* passim adventitantibus, postquam omnia hæc usurpata fuerant in Regionibus illis unde proficiscebantur, & idcirco viventibus AMMONE & SESACO, DAVIDE & SALOMONE, atque illorum successoribus, aut non multo antè. *Chaldæi* quidem fecerunt OAN-

(*d*) Augustin de Civit. Dei. l. 18. c. 47.
(*e*) Apud Photium, c 279.
(*f*) Fabul. 274.
(*g*) Apud Euseb. Chron.

Digitized by Google

OANNEM antiquiorem Diluvio XISUTHRI; sed *Ægyptii* non minùs antiquum fecerunt OSIRIDEM; ego verò eos pono coæquales. De Imperio Ægyptiorum.

Non ex colore suo nomen ducit *Mare Rubrum*, sed ex *Edom* & *Erythrâ*, nominibus ESAU tributis, quæ *rubrum* significant: & nonnulli (*b*) affirmant Regem ERYTHRAM, sibi volentes ESAU, excogitavisse *Rates*, quibus illud *Mare* navigabatur, & sepultum fuisse in quâdam ex ejus Insulis non longè à *Sinu Persico*: unde conficitur *Edomitas* hoc *Mare* peragravisse à tempore ESAU; & nihil necesse est antiquissimum *Oannem* fuisse antiquiorem. Antea fuerunt navigiola in fluminibus, qualia fuerunt ea, quibus Patriarchæ per *Euphratem* & *Jordanem* vecti sunt, atque primæ Gentes per plura alia flumina, ut Regiones incolis donarent, novas sedes quærerent, & mutuò suos agros invaderent: atque ad horum navigiolorum exemplum fieri potest ut ISMAEL & MADIAN filii ABRAHAMI, & ESAU ejus ex filio nepos construxerint majores rates, quibus ad Insulas *Maris Rubri* transjicerent nova loca quæsituri, & gradatim didicerint illud Mare transfretare ad *Sinum Persicum* usque; nam ipsum *Mare Mediterraneum* vel vivente JACOBO navigiis celebrabatur, (Genes. XLIX. 13. Judic. V. 17.); sed probabile est mercatores illud Mare frequentantes non proclives fuisse ad detegendas Artes & Scientias suas, ex quibus totus negotiorum successus pendebat: quocirca videtur Litteras, Astronomiam, & Artem lignariam inventas fuisse à Mercatoribus *Mare Rubrum* incolentibus, ut merces describerent, rationes subducerent, noctu Stellarum ope navigia dirigerent, & illa constituerent; eásque propagatas fuisse ex *Arabiâ Petræâ* in *Ægyptum*, *Chaldæam*, *Syriam*, *Asiam Minorem*, & *Europam*, ferè uno eodémque tempore, illo scilicet, quo DAVID hos mercatores devicit & dissipavit; nullum enim litterarum vestigium ante DAVIDEM, nisi inter ABRAHAMI posteritatem; nullum Astronomiæ antequàm *Ægyptii* operam illi navârunt sub AMMONE & SESACO,

(*b*) Plin. l. 6. c 23. 28. & l. 7. c. 56.

Digitized by Google

CAP. II. præter conſtellationes, de quibus meminit JOBUS, qui degebat in *Arabiâ Petræâ* inter mercatores; nullum Artis lignariæ aut rectæ Tecthonices, antequàm SALOMON miſit ad HIRAMUM Regem *Tyri* petitum hujus generis Fabros dicens, quòd *nullus erat in* Iſrael, *qui tam affabrè ac* Sidonii *ſciret ligna cædere.*

Diſcimus ex DIODORO, (*i*) quòd *plures Colonias* Ægyptii *ex* Ægypto *in alias Regiones deduxerunt; & quòd* BELUS *filius* NEPTUNI *&* LIBYÆ *hinc* Babylonem *Colonias duxit, & ad* Euphratem *conſedit, inſtituens Sacerdotes immunes à vectigalibus & publicis ſumptibus, more* Ægyptiorum, *qui Sacerdotes dicti fuerunt* Chaldæi, *& qui,* Ægyptio *more, Stellas obſervabant*: & PAUSANIAS (*k*) ait, *quòd* BELUS Babyloniorum *nomen accepit à* BELO Ægyptiorum *filio* LIBYÆ: item APOLLODORUS (*l*) *quòd* BELUS *filius* NEPTUNI *&* LIBYÆ, *atque Rex* Ægypti *fuit pater* ÆGYPTI *&* DANAI, hoc eſt, AMMONIS: dicit pariter, *quòd* BUSIRIS *filius* NEPTUNI *&* LISIANASSÆ (LIBYANASSÆ) *filiæ* EPAPHI *fuit Rex* Ægypti: EUSEBIUS autem hunc Regem appellat BUSIRIDEM *filium* NEPTUNI *&* LIBIÆ EPAPHO *prognatæ.* Hinc appareret recentiores *Ægyptios* feciſſe duos BELOS, alterum quidem patrem OSIRIDIS, ISIDIS, atque NEPTUNI; alterum verò filium NEPTUNI & patrem ÆGYPTI ac DANAI; inde orta eſt ſententia populi *Naxi* opinantis duos fuiſſe MINOES, duáſque ARIADNAS, inter quos duæ Generationes interceſſerant, quam nos jam confutavimus. Pater ÆGYPTI & DANAI fuit etiam pater OSIRIDIS, ISIDIS, & TYPHONIS; TYPHON autem non fuit avus NEPTUNI, ſed ipſe NEPTUNUS.

SESOSTRIS, inter arduos labores à patre AMMONE eductus, bella geſſit principio ſub patre; & fuit *Ægyptiorum* Heros vel HERCULES, dum pater Regnum obtinuit, & poſtea eorum Rex: ſub patre, adhuc adoleſcens, invaſit & ſubjecit *Trogloditicam,*

(*i*) Diodor. l. 1. pag. 17.
(*k*) Pauſan. l. 4. c. 23.
(*l*) Apollodor. l. 2. c. 1.

Digitized by Google

cam, & hoc pacto adeptus est portum ad *Mare Rubrum* prope *Coptum* in *Ægypto*: atque deinde invasit *Æthiopiam*, &, meridiem versùs, Regiones domuit ad illam usque, quæ Cinamomum fert: &, cùm pater ejus, opitulantibus *Edomitis*, Classem in *Mare Rubro* paravisset, navigare aggressus est, *Arabiæ Felicis* littora legit, venit in *Sinum Persicum* & ultra, & in his Regionibus Columnas statuit, cum inscriptionibus, quibus victoriæ suæ dinumerabantur; unam præsertim *Diræ*, quod promontorium est in freto *Rubri Maris*, non longè ab *Æthiopiâ*, duásque in *Indiâ* super duos montes ad ostia fluvii *Gangis*: sic (*m*) DIONYSIUS: De Imperio Ægyptiorum.

Ἐνθά τε καὶ στῆλαι Θηβαιγενέος Διονύσου
Ἑστᾶσιν πυμάτοισι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο,
Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν· ἔνθά τε Γάγγης
Λευκὸν ὕδωρ Νυσσαῖον ἐπὶ πλαταμῶνα κυλίνδει·

Ubi etiam num Columnæ Thebis geniti BACCHI
Stant extremi juxta fluxum Oceani
Indorum ultimis in montibus: ubi & Ganges
Claram aquam Nissæam ad planitiem devolvit.

Post hæc invasit *Lybiam*, & in *Afros* clavis usus est, ideo clavam manu tenens pingitur: ita HYGINUS (*n*); Afri & Ægyptii *primùm fustibus dimicaverunt*, *postea* BELUS NEPTUNI *filius gladio belligeratus est*, *unde bellum dictum est*: &, post domitam *Lybiam*, unde sibi *Ægyptus* Equos paravit, & SALOMONI ac sociis suppeditare valuit, SESOSTRIS Classem ornavit in *Mare Mediterraneo*, occidentem versùs progressus est secundùm *Africæ* littora, omnésque Regiones illas ad *Oceanum*, & *Erythræam* aut *Gades* Insulam *Hispaniæ* lustravit; ut MACROBIUS (*o*) PANYASIM & PHERECIDEM secutus docet; ubi GERIONEM devicit, & ad *freti* ostia notissimas Columnas erexit. *Ve-*

(*m*) Dionys. in Perie. v. 623.
(*n*) Fab. 275.
(*o*) Saturnal. l. 5. c. 21.

Digitized by Google

CAP. II. (*p*) *Venit ad occasum mundique extrema.* SESOSTRIS.

Deinde per *Hispanias* & occidentales *Galliarum* & *Italiæ* plagas reversus est cum GERIONIS gregibus, Classe eum sequente per Maria propinqua, & in *Siciliâ* reliquit *Sicanos*, quos populos ex *Hispaniâ* eduxerat: cùm deinde mortuus esset pater ejus, SESOSTRIS in illius honorem Templa condidit in Regionibus à se devictis; unde factum est ut JUPITER AMMON in *Ammoniâ*, *Æthiopiâ*, *Arabiâ*, & etiam *Indiis* adoraretur, juxta (*q*) Poetam

Quamvis Æthiopum populis, Arabúmque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit JUPITER AMMON.

Duos tantùm Deos venerabantur *Arabes*, COELUM, aliter dictum OURANUM aut JOVEM URANIUM, & BACCHUM; qui erant AMMON & SESACUS, ut diximus; pariter Incolæ *Merois* supra *Ægyptum* (*r*) nullos Deos, præter JOVEM & BACCHUM colebant, & JOVIS Oraculum habebant: qui duo Dii fuerunt, si loqui velimus ut *Ægyptii*, JUPITER AMMON & OSIRIS.

Tandem, SESOSTRIS, quinto ROBOAMI anno, ex *Ægypto* profectus est cum ingentibus copiis *Libyorum*, *Trogloditarum*, & *Æthiopum*, atque Templum compilavit, *Judæam* servam fecit, & victor decurrit, primò, Orientem versùs, ad *Indias*, quas invasit, deinde, versùs Occidentem, ad *Thraciam* usque; *illi enim dederat Deus Regna Regionum*, (II. Chron. XII. 2. 3. 8.). In (*s*) hac expeditione novem annos consumpsit, & omnes Regiones à se devictas Columnis inscriptis auxit, quarum nonnullæ tempore HERODOTI adhuc erant in *Syriâ* superstites.

Comi-

(*p*) Lucan. l. 10.
(*q*) Lucan. l. 9.
(*r*) Herodot. l. 1.
(*s*) Diodor. l. 1. p. 35. Herodot. l. 2. c. 102. 103. 106.

Digitized by Google

Comitem habuit filium ORUM vel APOLLINEM cum pluribus fœminis muſicis, quæ *Muſæ* fuerunt nuncupatæ, & quarum una, nomine CALLIOPE, mater fuit ORPHEI *Argonautæ*: atque duo cacumina *Parnaſſi* montis, quæ valde ſublimia erant, dicata fuerunt (*t*), alterum quidem BACCHO huic, alterum verò filio ſuo APOLLINI: quapropter (*v*) LUCANUS; De Imperio Ægyptiorum.

.... *Parnaſſus gemino petit æthera colle*
Mons Phœbo Bromioque ſacer.....

Decimo quarto ROBOAMI anno regreſſus eſt in *Ægyptum*, relictis, ÆETE quidem in *Colchide*, & nepote PROMETHEO ad *Caucaſum* montem cum exercitûs parte, quò à devictis Regionibus *Scythas* arceret. APOLLONIUS *Rhodius* (*x*) & ejus Scholiaſtes ajunt, quòd SESONCHOSIS Rex totius *Ægypti*, ſcilicet SESACUS, invadens totam *Aſiam* & magnam *Europæ* partem, incolis auxit plures Civitates quas cœperat; & quòd *Æa* Metropolis *Colchidis ex eo tempore ſtetit ob* Ægyptiorum eorum *poſteros ab illo ibi relictorum, & quòd bi ſervaverunt columnas aut tabulas, in quibus omnia intervalla & limites Maris & Terræ deſcripta erant ad illorum utilitatem qui aliquò proficiſci debebant.* Quapropter hæ Tabulæ initium Geographiæ dederunt.

Simul ac domum reverſus eſt SESOSTRIS (*y*) *Ægyptum* dimetitus eſt *Ægyptiis*; unde Ars arvorum dimetiendorum & Geometria ortæ ſunt: & (*z*) JAMBLICUS *Ægypti*, diſtributionem atque Geometriæ principium refert ad Sæculum Deorum *Ægyptiorum*. Diviſit etiam (*a*) SESOSTRIS *Ægyptum* in triginta ſex *Nomos* vel Regiones, & ſingula canalia à *Nilo* ad

(*t*) Pauſ. l. 10. Suidas in Παρνάσσιοι.
(*v*) Lucan. l. 5.
(*x*) Argonaut. l. 4. v. 272.
(*y*) Herodot. l. 2. c. 109.
(*z*) In vitâ Pythag. c. 19.
(*a*) Diodor. l. 1. pag. 36.

Digitized by Google

CAP. II. ſingulas cujuſque *Nomi* præcipuas Urbes excavavit, &, ex terrâ quam ſic effodit, conſtruendos curavit aggeres, quibus Urbes ſuperſtruerentur; quarum ſingulas Templo ornavit, quo *Nomus* Deos veneraretur, atque in Templis Oracula conſtituit, quorum nonnulla vel HERODOTI tempore ſupererant; quo pacto *Ægyptii* ſingulorum *Nomorum* ad id adducti fuerunt ut colerent magnos Viros, qui floruerant in imperio, quibus *Nomus*, Urbs, & Dei Templum ſive Sepulchrum dicata erant: quandoquidem cuique Templo erat proprius Deus, erant proprii ritus, erant annua feſta, ad quæ Senatus & omnis populus illius *Nomi* ſtato tempore conveniebat, ut ſacris operam daret, publicis *Nomi* rebus conſuleret, jus diceret, & nundinas celebraret: SESACUS autem & ejus Uxor ſub OSIRIDIS & ISIDIS nomine per totam *Ægyptum* adorabantur; cùm verò SESACUS, *Nilum* utiliorem redditurus, ab illo ad præcipuas *Ægypti* Civitates canalia effodiſſet; ei fluvius ille dicatus fuit, & tributa illius nomina, *Ægyptus*, *Siris*, *Nilus*. Docet DIONYSIUS (*b*) *Nilum* ab *Æthiopibus* dictum fuiſſe *Sirim*, *Nilum* autem ab Incolis *Sienes*. Verbum *Nilus* factum eſt à *Nabal*, quod ſonat Torrentem. Legimus apud DIODORUM (*c*) NILUM fuiſſe Regem, qui *Ægyptum* canalibus cavavit, quò fluvius utilior evaderet: Sacræ Litteræ appellant illum *Schichor* aut *Sihor*, unde *Græci* finxerunt nomina SIRIM, SIRIUM, SER-APIM, O-SIRIM; PLUTARCHUS (*d*) tamen affirmat *Ægyptios* vix intelligere poſſe quid ſibi vellet littera O, quam *Græci* verbo SIRIS præponebant.

Jam aperui originem *Nomorum Ægyptiacorum*, cultuum, Templorúmque, quibus ſinguli *Nomi* gaudebant, atque Urbium ibi à Diis conditarum & ab eorum nominibus appellatarum: hinc ait DIODORUS (*e*), quòd *ex omnibus Provinciis, in quas Terra diſtributa eſt, ſola* Ægyptus *plures habet Civitates* à

(*b*) Dionyſ. de ſitu Orbis.
(*c*) Diodor. l. 1. p. 39.
(*d*) Plutarch. de Iſide & Oſiride.
(*e*) Diodor. l. 1. pag. 8.

Digitized by Google

à veteribus Diis ædificatas, ut à JOVE, SOLE, HERMETE, APOLLINE, PANE, EILITHYIA, *& pluribus aliis*: & LUCIANUS, (*f*) *Assyrius* qui *Phœniciam* & *Ægyptum* lustravit, dicit quòd *Templa* Ægyptia *erant valde antiqua*; *neque minùs* Phœnicia, *quæ* CINYRAS *condiderat*; Assyria *verò ferè æquè antiqua, sed non omnino*: unde patet Imperium *Assyrium* ortum esse post *Ægyptiacum*, ut in Sacris Libris perhibetur; & Templa, *Ægypti* tunc superantia, erant ea ipsa, quæ SESOSTRIS condiderat circiter tempus illud, quo CINYRAS, BENHADAD, & HIRAMUS Templa in *Phœniciâ* & *Cypro* ædificaverunt. Hoc non fuit primum Idololatriæ principium, sed solummodo moris extruendorum in eorum, qui nova Regna fundaverant, honorem Templorum antiquiora multo magnificentiâ vincentium; siquidem priora Templa erant peranguſta; De Imperio Ægyptiorum.

Jupiter anguſtâ vix totus ſtabat in æde.

ait OVIDIUS, (Fastor. l. 1.). Principiò Aræ sine Templis erigebantur, qui mos in *Persîde* vel post HERODOTUM adhuc vigebat: *Phœnicii* habuerunt Aras cum exiguis domubus, quò commodiùs victimis vescerentur; & hæc loca excelsa vocaverunt: hujus generis fuit locus excelsus, in quo SAMUEL SAULEM allocutus est; Domus DAGONIS in *Azoto*, in quâ *Philistæi* Arcam reposuerunt; Domus BAAL, in quâ JEHU Prophetas BAALIS trucidavit; & excelsa *Canaanæorum* loca, quæ *Israel* à MOSE jussus fuit destruere: ille quidem jussit (*g*) *Israelem* destruere Aras, Idola, loca excelsa, & Lucos *Canaanæorum*, sed nullam de Templis mentionem facit, quæ tunc si qua fuissent, silentio profectò non præteriisset. Nullam magnificorum Templorum memoriam ante SALOMONEM invenio: tunc in novis Regnis Sepulchra adinstar sumptuosorum Templorum ædificari coepta sunt in Conditorum honorem; qualia HIRAMUS *Tyri*, SESACUS in totâ *Ægypto*, & *Damasci* BENHADAD extruxerunt.

V 2 Etenim,

(*f*) Lucian. de Deâ Syriâ.
(*g*) Exod. XXXIV. 13. Num. XXXIII. 52. Deuteron. VII. 5. & XII. 3.

Digitized by Google

CAP. II. Etenim, postquam DAVID (*h*) cæciderat HADAD-EZERUM Regem *Zobæ*, & interemerat *Syrios Damascenos*, qui ei suppetias tulerant, REZON *filius* ELIADÆ *Dominum suum* HADAD-EZERUM *deseruit, contra quem milites coegit, & factus est manûs illius Dux atque* Damasci *in* Syriam *regnavit* : ipse dicitur HEZION in I. Reg. XV. 18; atque ejus Successores, de quibus historia loquitur, fuerunt TABRIMON, HADAD sive BENHADAD, BENHADAD II., HAZAEL, BENHADAD III. **, & REZIN filius TABEÆ : *Syria* incidit in *Ægyptiorum* ditionem sub TABRIMONE, & sub BENHADAD I. in libertatem se vindicavit; deinde à BENHADAD III. ad ultimum REZIM *Israeli* subjecta fuit : & nono anno, ex quo HOSEA *Judæ* Regnum susceperat, TEGLATH-PHALASSARUS Rex *Assyriæ* domuit *Syrios* & finem eorum Regno imposuit : Jam à JOSEPHO (*i*) discimus, quòd, *vel eo vivente* Syrii ADAR, *ideſt*, HADAD vel BENHADAD, & HAZAELEM, *qui in ejus locum successerat, tanquam Deos venerabantur ob beneficia quæ fuerant impertiti, & Templa, quibus* Damascum *ornaverant*; *nam*, ait ille, *quotidie in horum Regum honorem festa celebrant, & eos antiquissimos jactant, nescientes illos recentes esse, & non plusquàm centum annis supra mille ante nos vixisse.* Hi Reges magnifica sibimet ipsi sepulchra condidisse, & in illis adorati videntur. Horum duorum Regum primum DAMASCUM appellat JUSTINUS (*k*); ait enim, *nomen urbi à* DAMASCO *Rege inditum*; *in cujus honorem* Syrii *Sepulchrum* ARATHIS *uxoris ejus pro Templo coluêre.*

Aliud exemplum ex *Byblo* Regno desumemus. Dum (*l*) adhuc *Cretæ* Regno potirerur MINOS, ejus frater RHADAMANTHUS, ut Colonias ex *Cretâ* in *Græcas* Insulas deducebat, eásque Ducibus dabat, *Iemnum* tradidit THOÆ vel THEIÆ vel THOANTI, qui pater erat HYPSIPYLES & metalla con-

(*h*) II. Sam. VIII. 10. & II. Reg. XI. 23.
(*i*) Antiq. l. 9. c. 2.
(*k*) Justin l. 36.
(*l*) Diodor. l. 5. pag. 238.

Digitized by Google

conflabat, & qui ideo erat discipulus *Idæorum Dactylorum*, &, fortasse, *Phœnicius*; quandoquidem *Idæi Dactyli*, *Telchines*, & *Corybantes* Artes & Scientias, quas callebant, ex *Phœnicia* deduxerant; SUIDAS (*m*) autem eum asserit prognatum è genere PHARNACIS Regis *Cypri*; & APOLLODORUS (*n*) eum facit filium SANDOCHI *Syri*; atque APOLLONIUS *Rhodius* (*o*) narrat quòd HYPSIPYLE *dono dedit* JASONI *vestem purpuream*, *quam* Gratiæ BACCHO *fecerant*, *qui eam tradidit filio* THOANTI *patri* HYPSIPYLES *&* Lemni *Regi*: THOAS duxit CALYCOPIDEM (*p*) matrem ÆNEÆ & filiam OTREI Regis *Phrygiæ*, & quia citharæ peritissimus erat, vocatus fuit *Cinyras*, & dictus APOLLINI vel ORO gratissimus. Hujus Uxorem adamavit magnus BACCHUS, qui, cum eâ deprehensus, Virum vino placavit, & negotium composuit eum faciens Regem *Bybli* & *Cypri*; deinde cum exercitu transjecit *Hellespontum* & *Thraciam* sibi subjecit: ad hæc respiciunt Poetæ dum fingunt VULCANUM è Cœlo in *Lemnum* Insulam cecidisse, à BACCHO (*q*) fuisse vino placatum & in Cœlum reductum: è *Cretensium* Deorum Cœlo cecidit, quando è *Cretâ Lemnum* metalla conflatum venit; & in Cœlum rediit, quando fuit à BACCHO Rex *Cypri & Bybli* constitutus: ibi ad ultimam usque senectutem regnavit, siquidem ad belli *Trojani* tempora vitam produxit, & ditissimus evasit; atque, post Uxoris CALYCOPIDIS interitum (*r*), ei Templa *Paphi* & *Amathunte* in *Cypro*, & *Bybli* in *Syriâ* ædificavit, & Sacerdotes constituit cum sacris Ritibus & lascivis *Orgiis*; hinc illa evasit *Dea Cypria*, & *Dea Syria*, &, ex Templis in ejus honorem erectis in his & aliis locis, vocata etiam fuit *Paphia*, *Amathusia*, *Byblia*, *Cytherea*, *Sala-*

De Imperio Ægyptiorum.

(*m*) Suidas in Σαρδανάπαλος.
(*n*) Apollod. l. 3.
(*o*) Argonaut. l. 4. v. 424., & l. 1. v 621.
(*p*) Homer. Odyss. Θ. v. 268. 292. & Hymn. 1. 2. in Vener. & Hesiod. Theogon. v. 192.
(*q*) Pausanias l. 1. c 20.
(*r*) Clem. Alex. Admon. ad Gent p 10. Apollodor. l. 3. c. 13. Pindar. Pyth. Ode 2. Hesych. in Κινυράδαι. Steph. in Ἀμαθοῦς. Strabo l. 16 p. 755.

Digitized by Google

CAP. II. *Salaminia*, *Cnida*, *Erycina*, *Idalia*; TACITUS Historiarum l 2. c. 3. ait, *Fama tradit à* CINYRA *sacratum vetustissimum* Paphiæ VENERIS *Templum*, *Deamque ipsam conceptam Mari huc appulsam.* Ex eo, quòd è *Phrygiâ* in *Cytheram* Insulam vela fecerat, & hinc in *Cyprum* regnatum venerat, dicta fuit à *Cypriis* nata è Maris spumâ, & picta navigans in conchâ marinâ. CINYRAS pariter inter Deos retulit filium GINGRIM sub ADONIDIS nomine; &, quia *Ægyptios* armis auxerat, probabile videtur illum ab Amicis *Ægptiis* Diis accensitum, & vocatum BAAL CANAAN, aut VULCANUM; etenim VULCANUS præcipuè ab *Ægyptiis* cultus fuit, &, secundùm HOMERUM, fuit Rex, & quidem *Lemni*: Artium inventor fuit CINYRAS (*s*), & æs in *Cypro* detexit; & excogitavit fabrorum malleum, incudem, forcipes, & polubrum: fabros adhibuit ad arma & alia instrumenta ænea ac ferrea conficienda, atque unus fuit Rex Historiis ob fabrilem peritiam celebratus, in *Lemnum* dominatus est, & uxorem VENEREM habuit; quæ omnia VULCANO mirum in modum accommodantur: insuper, *Ægyptii* circa tempus, quo CINYRAS mortuus est, videlicet, AMENOPHI Regnum obtinente, sumptuosissimum Templum *Memphi* in VULCANI honorem condiderunt, & prope illud, aliud angustius in honorem VENERIS *Hospitæ*; non *Ægyptiæ* mulieris, sed alienigenæ; non HELENÆ, sed VENERIS uxoris VULCANI: quandoquidem ait (*t*) HERODOTUS, quòd Regio, quæ erat circa Templum habitabatur à *Phœniciis Tyriis*; & (*v*), quòd CAMBYSES, cùm in hoc Templum *Memphi* ingressus esset, multùm VULCANI statuam, quòd parva erat, derisit; *etenim*, ait ille, *hoc simulachrum valde simile est Diis illis*, *quos* Phœnicii *dicunt* Patæcos, *& quos*, *Pygmæis similli-mos*, *in navium puppibus circumducunt*: & BOCHARTUS (*x*) ait, de hac VENERE *Hospitâ* verba faciens, *Phœniciam* VENEREM *in* Ægypto *pro peregrinâ habitam.*

Cum

(*s*) Clem. Alexandr. Admon. ad Gent. p. 21. Plin. l. 7. c. 56.
(*t*) Herodot l 2.
(*v*) Herodot l 3. c. 37.
(*x*) Bochart. Canaan. l. 1. c. 4.

Digitized by Google

Cum *Ægyptii*, *Phœnicii*, atque *Syrii*, qui tunc temporis Reges & Optimates ſuos Diis accenſebant, in *Aſiam Minorem* & *Græciam* proficiſcerentur, has Gentes ad id adduxerunt ut idem facerent, quemadmodum ſuperiùs oſtenſum fuit. Litteris hieroglyphicis tunc utebantur *Thebani* & *Æthiopes*; quod ſcriptionis genus ante MOSEM in inferiori *Ægypto* vulgatum fuiſſe videtur; hinc enim ortus eſt mos venerandorum Deorum ſub variis volucrum, ferarum, & piſcium formis, quod ne fieret vetuit ſecundum Decalogi præceptum. Hæc emblematica ſcribendi ratio præbuit anſam *Thebanis* & *Æthiopibus*, qui temporibus SAMUELIS, DAVIDIS, SALOMONIS, & ROBOAMI *Ægyptum* & circumfuſas Gentes in poteſtatem redegerunt & magnum Imperium conſtituerunt, effingendi Reges & Optimates, quorum ductu inimicos fregerant, non eorum nomina litteris mandando, ſed varias hieroglyphicas figuras exſculpendo; Exempli gratiâ, pingendo AMMONEM cum cornibus Arietis, exprimere volentes Regem, qui Libyam, Regionem Arietibus affluentem, ſubegerat; hujus patrem AMOSIM cum falce, quia Rex ille inferiorem *Ægyptum* tritici feracem domuerat; ejuſdem filium OSIRIM ſub ſpecie Bovis, quia Gentes à ſe devictas Bobus terram colere docuerat; BACCHUS taurina cornua ob eandem rationem geſtabat, racemos autem, quòd vitem ſerere docuerat, atque Tigri inſidebat, quòd *Indias* devicerat. ORUS filius OSIRIDIS Citharam manu tenebat, quia fuerat eximius Citharœdus; Aquila, cui JUPITER inſidebat, dominationis ſublimitatem, & fulmen, quo armatus erat, ejuſdem in bello præſtantiam indicabant; Duæ Turtures, quæ VENERIS currui junctæ erant, hujus Deæ amores & laſciviam exprimebant; Tridente NEPTUNI, hunc fuiſſe Præfectum tripartitæ claſſi monſtrabatur; ÆGEON, Gigas habens quinquaginta capita & centum manus, deſignabat NEPTUNUM & Claſſiarios ſuos in navigio quinquaginta remis inſtructo; TOTHUS pingebatur capite canino, eóque alato, alatis pariter pedibus, & manu gerens CADUCEUM, cui duo Serpentes erant circumvoluti, quò ſic innuetur hom vafer & Legatus, qui duos populos diſſidentes compoſuerat; De Imperio Ægyptiorum.

Digitized by Google

CAP. II. rat; PAN habebat Calamos & pedes caprinos, quia Calamos inflare & saltare gaudebat; HERCULI autem addebantur Columnæ & clava, quia Columnas in devictis Regionibus statuebat, & clavâ in *Libyos* pugnavit: hic est HERCULES ille, qui, auctore (*y*) EUDOXO, occisus fuit à TYPHONE; &, secundùm PTOLOMÆUM (*z*) HEPHÆSTIONEM, dicebatur *Nilus*, atque in *Hispaniâ* GERIONEM cum tribus filiis superavit, ac notissimas Columnas ad *freti* fauces erexit: etenim DIODORUS numerans tres HERCULES, *Ægyptium*, *Tyrium*, & ALCMENÆ filium (*a*) ait quòd *antiquissimus apud* Ægyptios *floruit*, *& cùm magnam Terræ partem Imperio suo subdidisset*, *in* Africâ *Columnas statuit*: & VASÆUS (*b*), quòd OSYRIS, qui dictus quoque fuit DIONYSIUS, *venit in* Hispaniam, *&* GERIONEM *devicit*, *atque primus Icolorum cultum in* Hispaniam *invexit*: Refert STRABO (*c*) quòd *Æthiopes* dicti *Megabares* clavis depugnare solebant; atque *Græcorum* (*d*) nonnulli morem hunc ad *Trojanum* bellum usque retinuerunt. Nunc, ex hac hieroglyphicâ scribendi ratione factum est ut, cùm SESOSTRIS *Ægyptum* in *Nomos* distribuit, eximii Viri, quibus *Nomi* dicati fuerunt, in Sepulchris aut Templis, quæ *Nomi* in eorum honorem habebant, repræsentati fuerint variis hieroglyphicis; puta, *Bove*, *Fele*, *Cane*, *Simio*, *Caprâ*, *Leone*, *Scarabæo*, *Ichneumone*, *Crocodilo*, *Hippopotamo*, *Oxyrincho*, *Ibi*, *Corvo*, *Accipitre*, *Porro*; & à *Nomis* sub his speciebus culti fuerunt.

Retulerunt (*e*) *Atlantides*, Gens montem *Atlantem* colens, & ab *Ægyptiis* sub AMMONE devicta, quòd URANUS primus in eos regnavit, & ex ferinâ vitæ ratione ad humaniorem illos traduxit, atque docuit pagos & civitates colere, ac servare & edere fruges; & quòd ipse in maximam Mundi partem dominatus est,

(*y*) Apud Athenæum l. 9. p. 392.
(*z*) Ptol. l. 2.
(*a*) Diodor. l. 3. p. 145.
(*b*) Vas. Chron. Hisp. c. 10.
(*c*) Strabo l. 16. p. 776.
(*d*) Homerus.
(*e*) Diodor. l. 3. pag. 132. 133.

Digitized by Google

eſt, & ex TITÆA Uxore duodeviginti filios procreavit, inter quos fuerunt HYPERION & BASILEA parentes HELII atque SELENES; quòd fratres HYPERIONIS eum de medio ſuſtulerunt, ejúſque filium HELIUM, Veterum PHAETONTEM in *Nilo* merſerunt, & Regnum inter ſe partiti ſunt; cujus ea pars, quæ ad Oceanum erat, ſorte contigit ATLANTI, ex quo ipſi *Atlantides* denominati fuerunt. URANUS, vel JUPITER *Uranius*, HYPERION, BASILEA, HELIUS, atque SELENE ſunt, opinor, JUPITER AMMON, OSIRIS, ISIS, ORUS, atque BUBASTE; & diviſio Regni HYPERIONIS inter *Titanes* ejus fratres, mihi eſt diviſio Terræ inter Deos, de quâ SOLON in Poemate ſuo meminit. De Imperio Ægyptiorum.

Siquidem SOLON, poſtquàm *Ægyptum* luſtraverat, & Sacerdotes *Saidis* de Antiquitatibus eorum allocutus eſt, de iis quæ didicerat Poema ſcripſit, cui ultimam manum imponere non potuit; Poema hoc (*f*) in PLATONIS manus incidit, qui ab eo refert ad Freti oſtia prope Columnas HERCULIS fuiſſe Inſulam nuncupatam *Atlantidem*, cujus Incolæ novem millibus annis ante SOLONEM dominati fuerant in *Lybiam* ad *Ægyptum* uſque, & in *Europam* ad Mare *Tyrrhenum*; &, cùm copias omnes ſuas in unum coegiſſent, ſeſe conjecerunt in *Ægyptum*, in *Græciam*, & regiones omnes, quæ intra Columnas HERCULIS continebantur; ſed *Athenienſes* & alii *Græci* iis reſtiterunt atque illos repulerunt, quo pacto Gentes reliquæ, nondum domitæ, ſervatæ fuerunt: Refert etiam tunc temporis Deos, cùm Regionibus ſubjiciendis finem impoſuiſſent, inter ſe Terram partitos fuiſſe, in partes inæquales, & ſibimet Templa & Sacra inſtituiſſe; Inſulam verò *Atlantidem* ſortitò NEPTUNO contigiſſe, qui in eam totam, (cujus pars dicebatur *Gadir*,) conſtituit Regem ATLANTEM filium ſuum natu maximum; *atque horum bellorum Hiſtoriam meminiſſe de* CECROPE, ERECHTHEO, ERICHTHONIO, *& nonnullis aliis, qui ante* THESEUM *vixerant, & de Mulieribus, quæ Viris concurrere fuerant auſæ & de veſte*

(*f*) Plato in Timæo & Critia.

Digitized by Google

CAP. II. *veſte & ſtatuâ* MINERVÆ ; *quandoquidem tunc bellica* ſtudia *erant Viris & Mulieribus communia.* Hæc omnia manifeſtò demonſtrant Deos hoſce fuiſſe illos , qui deinde dicti ſunt *Dii magni majorum Gentium* , & vixiſſe inter CECROPEM & THESEUM ; atque in eo Poemate deſcripta fuiſſe bella , quæ SESOSTRIS cum fratre NEPTUNO geſſit Terrâ Marique in Gentes, ac repulſionem quam à *Græcis* paſſus eſt, & poſteriorem *Ægypti* invaſionem à NEPTUNO factam. Ibi pariter legebatur quomodo SESOSTRIS Duces inter ſe Regiones ab illo domitas partiti fuerunt , (ut longo pòſt tempore fecerunt Duces ALEXANDRI Magni,) & ſibi Templa , Sacerdotes , & Sacra conſtituerunt , & in cauſâ fuerunt cur Gentes illos jam mortuos , tanquam Deos , venerarentur; & quòd *Gadir* aut *Gades* Inſula cum totâ *Libiâ* in partem obtigit illi, qui, poſt interitum, ſub NEPTUNI nomine inter Deos fuit relatus. Quapropter hæc, ſecundùm SOLONEM, acciderunt tempore NEPTUNI patris ATLANTIS; docet autem HOMERUS, quòd ſtatim poſt excidium *Trojæ* ULYSSES convenit CALYPSUM filiam ATLANTIS in Inſulâ *Ogygiâ* , fortaſſe *Gadir* ; idcirco hæc facta ſunt duabus tantummodo Generationibus ante bellum *Trojanum.* Hic eſt NEPTUNUS ille , qui cum APOLLINE aut ORO, Regnum obtinente LAOMEDONTE, PRIAMI patre, *Trojam* vallo munivit, & in *Græciâ* reliquit plures Nothos, quorum nonnulli inter *Argonautas* fuerunt; quapropter unâ tantùm Generatione floruit ante *Argonautarum* expeditionem , & idcirco circiter quatercentos annos antequàm SOLON *Ægyptum* petivit. Sed *Ægyptii* Sacerdotes per hos quatercentos annos ita Deorum ſuorum hiſtorias & antiquitates amplificârunt , ut eos quidem facerent totis novem annorum millibus SOLONE antiquiores, Inſulam verò *Atlantidem Aſiâ* & *Africâ* ſimul ſumptis majorem & populo refertiſſimam ; cùm autem hæc tanta Inſula , SOLONE vivente, nuſquam appareret, illam in Mare cum omnibus Incolis demerſam fuiſſe contenderunt : tanta fuit jactantia Sacerdotum *Ægyptiorum* antiquitates ſuas extollentium.

Affir-

Digitized by Google

Affirmaverunt *Cretenſes* (*g*) NEPTUNUM *primum Claſſem ernaviſſe, cujus imperium à* patre SATURNO *impetraverat; binc poſteri hæc recolentes* NEPTUNUM *Mari præeſſe dixerunt, & Nautæ ſacrificiis coluerunt.* Ipſi quoque tribuitur inventio (*b*) magnarum navium velis inſtructarum. Adoratus fuit in *Africâ*, ut HERODOTUS (*i*) auctor eſt, & ideò in eam regnavit; ſiquidem ATLAS, ejus filius natu maximus, non ſolùm in *Atlantidem* Inſulam dominatus eſt, ſed etiam Rex fuit maximæ partis *Africæ*, & ſuum nomen tribuit populis dictis *Atlantiis*, monti *Atlanti*, & Oceano *Atlantico.* Pleræque Regiones & Promontoria, ac quæcunque Mari proxima ſunt & ab eo alluuntur, nomine *Neptyos* (*j*) ab *Ægyptiis* vocabantur; atque BOCHARTUS & ARIAS MONTANUS in littoribus *Marmoricæ* & *Cyrenes* locant *Naphtbuhim*, Gentem è *Mizraim* oriundam, (Geneſ. X. 13.;) & hinc NEPTUNUS & ejus Uxor NEPTYS nomina fortaſſe deduxerunt; quandoquidem, *Neptunus*, *Neptys*, & *Naphtbuhim* ſignificant Regem, Reginam, & Incolas orarum littoralium. Aſſerunt *Græci* JAPETUM fuiſſe patrem ATLANTIS; & BOCHARTUS ex eâdem origine JAPETUM & NEPTUNUM deducit. Hujus filius ATLAS ab antiquis fabulis celebratur, quòd Diis *Ægyptiis* bellum intulerit: ſic, LUCIANUS (*k*) ait *Corinthum*, fabularum plenam, narrare ſolitam bellum SOLIS & NEPTUNI, hoc eſt, APOLLINIS & PYTHONIS, aut ORI & TYPHONIS: ſic AGATHARCIDES (*l*) retulit quomodo *Ægyptii* Dii Gigantes effugerunt, donec *Titanes* advenientes illis ſalutem, fugato NEPTUNO, attulerunt: ſic pariter apud HYGINUM (*m*) legitur bellum inter Deos *Ægypti* & *Titanes*, Duce ATLANT. *Titanes*

De Imperio Ægyptiorum.

X 2

(*g*) Apud Diodor. l. 5. pag. 233.
(*h*) Pamphus apud Pauſan. l. 7. c. 21.
(*i*) Herodot. l. 2. c. 50.
(*j*) Plutarch. in Iſide.
(*k*) Lucian. de Saltatione.
(*l*) Agathar. apud Photium.
(*m*) Hygin. Fab. 150.

Digitized by Google

CAP. II. *nes* erant TITÆÆ posteri, quorum alii, Duce HERCULE, Diis suppetias tulerunt; alteri, Ducibus NEPTUNO & ATLANTE contra eos depugnaverunt: *quâ de causâ*, inquit PLUTARCHUS (*n*) *Sacerdotes* Ægyptii *Mare abominantur, & nullo* NEPTUNUM *honore prosequuntur.* HERCULES hic mihi est Dux copiarum ex *Thebaide* & *Æthiopiâ*, quas Dii, sive magni Viri *Ægyptii* in auxilium appellaverunt contra Gigantes, aut magnos Viros *Libyos*, qui OSIRIDEM interfecerant, & *Ægyptum* invaserant: etenim à DIODORO (*o*) discimus, quòd *quando* OSIRIS *Terram domiturus profectus est, cognatum* HERCULEM *præfecit copiis suis per totum Imperium, &* ANTÆO Libyam & Æthiopiam *regendas commisit.* ANTÆUS dominatus est in totam *Africam* ad Oceanum *Atlanticum* usque, & *Tingim* aut *Tingierem* condidit. PINDARUS (*p*) affirmat eum regnavisse *Isaræ*, quæ est civitas *Libyæ*, ubi postea *Cirene* fuit ædificata; ipse *Ægyptum* & *Thebaidem* invasit; siquidem HERCULES & *Ægyptii* illum devicerunt prope *Antæam* sive *Antæopolim*, urbem *Thebaidis*; atque DIODORUS (*q*) auctor est *hanc civitatem nomen duxisse ab* ANTÆO, *quem* HERCULES, *temporibus* OSIRIDIS *interfecit.* Pluries illum cæcidit HERCULES; & semper is fortior rediit ob novos delectus, quos à *Libyâ*, Terrâ ejus matre, deducebat; sed tandem HERCULES hos novos delectus occupavit, & illum denique necavit. Dum hæc bella ardebant, HERCULES *Libyum* mundum ANTÆO abstulit, & ATLANTEM poma aurea, pro Regno *Africano* tributum, solvere coegit. ANTÆUS & ATLAS fuerunt ambo NEPTUNO prognati; ambo in totam *Libyam* & in *Africam* à monte *Atlante* & *Mare Mediterraneo* ad *Oceanum* usque dominati sunt; ambo *Ægyptum* invaserunt, & in HERCULEM præliati sunt in bellis Deorum; quocirca ambo sunt unus idémque Vir duobus diversis nominibus insignitus; quin etiam nomen

(*n*) Plutarch. in Iside.
(*o*) Diodor l. 1. pag. 10.
(*p*) Pindar. Pyth. Ode 9.
(*q*) Diodor. l. 1. pag. 18.

Digitized by Google

men *Atlantis* in casibus obliquis compositus videtur ex nomine *Antæi* & aliquo alio verbo, (fortasse *Atal*, quod verbum sonat *maledictum*) ipsi præposito. OVIDIUS respicit ad *Ægyptum*, quam ANTÆUS invasit, dum introducit HERCULEM dicentem De Imperio Ægyptiorum.

..... Sævóque alimenta Parentis
Antæo eripui; .....

hoc bellum tandem compositum fuit interventu MERCURII, qui, in hujus rei memoriam, dictus fuit inter se conciliavisse duos serpentes concertantes, interjecto Caduceo suo.

Hactenus de antiquis *Ægypti*, *Libyæ*, & *Græciæ* rebus à SOLONE descriptis.

Mythologia *Cretensium* in nonnullis differt à Mythologiâ *Ægypti* & *Libyæ*; nam, juxta *Cretensium* Mythologiam, CÆLUIS & TERRA, aut URANUS & TITÆA genuerunt SATUNUM & RHEAM; atque SATURNO & RHEA prognati fuerunt JUPITER & JUNO; sed HYPERION, JAPETUS, & *Titanes* fuerunt unâ Generatione antiquiores quàm JUPITER; SATURNUS autem à filio JOVE fuit è Regno pulsus & excisus; quæ fabula in *Ægypti* Mythologiâ locum non habet.

Dum SESACUS Regnum obtinebat, JEROBOAMUS, qui *Ægypto* subditus erat, Deos *Ægyptios* in *Dan* & *Bethel* adorandos curavit; & *Israel vero Deo*, *Sacerdotibus docentibus*, *atque lege orbatus erat*: *& tunc temporis pax non erat euntibus & redeuntibus*, *sed magnæ vexationes erant super omnibus Incolis Regionum*; *& Gens destruebatur à Gente*, *atque Civitas à Civitate*; *siquidem Deus illas omnibus adversitatibus exagitandas tradiderat* : (II. Chron. XV. 3. 5. 6.). Sed quinto ASÆ anno, Regio *Judæ* bello expers evasit, & deinde pacem obtinuit per decem annos; & ASA abstulit altaria Deorum extraneorum, Simulacra diffregit, & condidit Urbes *Judæ* circumclausas vallis, turribus, portis, & repagulis, cùm undique tranquillus esset; & paravit Exercitum ex quingentis octoginta millibus hominum constantem, quo obviam ivit anno Regni sui decimo quinto ZERAH *Æthiopi*, qui in eum ducebat decies centena

Digitized by Google

CAP. II. tena millia *Æthiopum* & *Libyorum*: *Libyi* per *Ægyptum* transiverant; quapropter tunc ZERAH in *Ægyptum* dominabatur, congressi sunt in *Mareshah* prope *Geraram* inter *Ægyptum* & *Judæam*, ubi tantâ clade affectus fuit ZERAH, ut nunquam res suas restituere potuerit. Ex his omnibus conficere posse mihi videor OSIRIDEM obtruncatum fuisse quinto ASÆ anno, & deinde *Ægyptum* bellis civilibus impeditam fuisse, cùm invasa fuerit à *Libyis*, & aliquandiu propugnata ab *Æthiopibus*; at post decem annos invasa ab iisdem *Æthiopibus*, qui de medio sustulerunt ORUM, filium & successorem OSIRIDIS, in *Nilo* mersum, & Regno potiti fuerunt. Hæc civilia *Ægypti* bella in causâ fuerunt, cur *Judæ* Regio pace decenni frueretur. Sanè diu Regnum obtinuit OSIRIS vel SESOSTRIS, annos octo supra quadraginta, secundùm MANETHONEM; &, si hanc computationem admittamus, Regnum inivit anno SALOMONIS decimo septimo, circiter; & ORUS ejus filius mersus fuit decimoquinto ASÆ anno: nam, apud PLINIUM (r) legimus, *Ægyptiorum bellis attrita est Æthiopia, vicissim imperitando serviendóque, clara & potens etiam usque ad Trojana bella* MEMNONE *regnante.* Ad SESOSTRIM usque *Ægypto* servivit *Æthiopia*, non autem diutius, quandoquidem affirmat HERODOTUS (s) quòd *ille unus Imperio* Æthiopiæ *potitus est*: postea sese in libertatem vindicaverunt *Æthiopes*, & decem annis post sibi *Ægyptum*, & *Libyam* sub ZERAH & AMENOPHI subjecerunt.

Postquam ASA, devicto ZERAH, nihil sibi ab *Ægipto* metuendum superesse perspexit, totum populum coegit, & ex manubiis sacra fecit, atque, jurejurando se obstringens ad Dominum quærendum, fœderi accessit, &, pro vasibus à SESACO sublatis, *posuit in domo Domini quæ tum pater ejus, tum ipse polliciti erant, argentum aurum, & vasa.* (Chron. XV.),

ZERAH ita strato, ut res accisas reficere nequiret, populus (t) inferioris *Ægypti* ab *Æthiopibus* descivit, & in auxilium

(r) Plin. l. 6. c. 29.
(s) Herodot. l. 2. c. 110.
(t) Manetho apud Josephum contra Appionem.

Digitized by Google

lium ducenta *Judæorum* & *Canaanæorum* millia advocavit; ac, Duce quodam OSARSIPHO, *Ægyptio* Sacerdote, quem MANETHO vocat USORTHONUM, OSORCHONUM, OSORCHORUM, & HERCULEM *Ægyptium*, coegit *Æthiopes*, quos tunc MEMNON regebat, seſe recipere *Memphi*: atque tunc MEMNON in novum alveum *Nilum* derivavit, pontem ſuper eum fluvium conſtruxit & munivit, ac deinde in *Æthiopiam* reverſus eſt: ſed tredecim annis pòſt ipſe & filius RAMESSES adhuc juvenis cum Exercitu ex *Æthiopiâ* venerunt, inferiorem *Ægyptum* ſubmiſerunt, & *Judæos* atque *Phœnicios* pepulerunt; quod facinus *Ægyptii* Scriptores, & qui illos ſecuti ſunt, dicunt ſecundam Paſtorum expulſionem, & OSARSIPHUM fuiſſe MOSEM ipſum arbitrantur. De Imperio Ægyptiorum.

Formoſiſſimus juvenis TITHONUS, frater PRIAMI natu major, in *Æthiopiam* ivit adductus cum pluribus aliis captivis à SESOSTRI; & *Græci* ante HESIODUM finxerunt MEMNONEM hujus filium fuiſſe: quocirca MEMNON, juxta veterum horum *Græcorum* ſententiam, unâ Generatione poſt TITHONUM floruit, & natus erat poſtquam SESOSTRIS in *Ægyptum* regreſſus fuerat, puta, ſexdecim ſive viginti annis poſt SALOMONIS interitum. Dictus fuit diutius vixiſſe; quapropter fieri poteſt, ut obierit nonaginta quinque poſt SALOMONEM annis: hujus mater, quam ÆSCHILUS CISSIAM appellat, vocata fuit (*v*), in ſtatuâ ei poſitâ in *Ægypto*, filia, uxor, & mater Regum; igitur MEMNON fuit Regis filius; unde probabile eſt ZERAH, in cujus locum Regno *Æthiopiæ* ſucceſſit, ejus patrem fuiſſe.

Convenit inter Hiſtoricos (*x*) MENETEM ſtatim à Diis *Ægypti* Regem fuiſſe, fluvium in novum alveum deduxiſſe, ei pontem impoſuiſſe, *Memphim* condidiſſe, & ſumptuoſum VULCANO Templum ædificaviſſe. Statuit *Memphim* è conſpectu loci illius, ubi nunc eſt urbs, quam vulgò *magnum Cairum* dicunt,

(*v*) Diodor l. 1. pag. 31.
(*x*) Herodot. l. 2.

Digitized by Google

CAP. II. cunt, & quam *Arabes* Hiſtoriarum Scriptores *Meſir* appellant! condidit dumtaxat ædes ipſas VULCANO ſacras, &, qui in ejus locum ſucceſſerunt, RAMESSES aut RHAMPSINITUS, MOERIS, ASYCHIS, & PSAMMITICUS, occidentalem, ſeptemtrionalem, orientalem, & meridionalem porticus extruxerunt. PSAMMITICUS, qui ultimam hujus Templi porticum condidit, ad Regnum pervenit tercentis annis poſt ZERAH ab ASA devictum; & veriſimile non eſt pluſquam tercentos annos in uno Templo exædificando tritos fuiſſe, neque MOERIM in totam *Ægyptum* dominatum eſſe ante quàm Paſtores exigerentur. Ultimi Deorum *Ægyptiacorum* fuerunt ORUS, ejus mater ISIS, ſoror BUBASTE, THOTHUS à ſecretis, & avunculus TYPHON; Rex autem ille, qui poſt horum interitum Regnum adeptus eſt, qui fluvium alveo novo donavit, pontem confecit, & *Memphim* atque VULCANI Templum ædificavit, fuit MEMNON vel AMENOPHIS, ab Ægyptiis dictus AMENOPH: idcirco hic eſt MENES ipſe: non enim admodum inter ſe diſcrepant, nomina *Amenoph*, *Menoph*, & *Menes*; & ex AMENOPH Civitas *Memphis* condita à MENETE dicta fuit ab *Ægyptiis Moph*, *Noph*, *Menoph*, aut *Menuf*, quomodo etiam nunc ab *Arabibus* Hiſtoricis nuncupatur: neceſſitas illius loci muniendi contra OSARSIPHUM anſam præbuit illius fabricandæ.

Dum inferior *Ægyptus* ſub OSARSIPHO rebellionem facit, & dum AMENOPHIS in *Æthiopiam* ſe recipit, *Ægyptus* magnis turbis diſtrahebatur, quamobrem *Græci* navem *Argum* extruxerunt, & eâ florentiſſimos quoſque *Græcos* ad ÆETAM in *Colchide* miſerunt & ad plures alios Regulos littorales oras Ponti *Euxini* & *Maris Mediterranei* colentes; hæc navis facta fuit ad exemplum *Ægyptii* navigii quinquaginta remis inſtructi, quo DANAUS & ejus quinquaginta filiæ paucis annis antea ex *Ægypto* in *Græciam* confugerant: & hæc fuit prima longa navis velis munita à *Græcis* fabricata. Navigationem ſic perficere, & *Græciæ* florem ad plures Optimates littora Ponti *Euxini* & *Maris Mediterranei* obtinentes mittere, cœptum erat tanti momenti, ut perfici

Digitized by Google

perfici nequiverit ſine conſenſu Regum & Rerumpublicarum *Græciæ*, quinimo fortaſſe, ſine *Amphictyonum* approbatione; nam id fiebat Oraculo jubente. *Amphictyones* ſingulis ſex menſibus conveniebant conſulturi publicis negotiis ad *Græciæ* utilitatem pertinentibus; quocirca hanc expeditionem non ignorabant, & fieri poteſt, ut *Argonautas* ad Reges illos miſerint legatos, &, ut conſilium ſuum celarent, fabulam velleris aurei confinxerint, quæ referebatur ad navigium, quo vectus fuerat PHRIXUS, & cujus inſigne erat Aries aureus: & à veroſimile alienum non eſt illis propoſitum fuiſſe Reges illos docere de *Ægypti* turbis, & de irruptione *Æthiopum* & *Iſraelitarum*, atque eos ſuadere occaſionem raperent, ab *Ægyptiis* deſciſcerent, ſeſe in libertatem aſſererent, & cum *Græciâ* fœdus ferirent: quandoquidem *Argonautæ* (*y*) terreſtri itinere *Colchidis* Regnum transjecerunt, in *Armeniam* profecti ſunt, & deinde per *Armeniam* ad *Mediam* uſque penetrârunt, quod facere non potuiſſent, niſi amicitiâ juncti fuiſſent populis per quos medios tranſiverunt: pariter inviſerunt LAOMEDONTEM Regem *Trojanorum*, PHINEUM Regem *Thracum*, CYZICUM Regem *Dolionum*, LYCUM Regem *Mariandynorum*, oras *Miſiæ*, & *Tauricæ Cherſoneſi*, Gentes ad *Tanaim* degentes, & quæ propè *Byzantium* erant, & littora *Epiri*, *Corſicæ*, *Melitæ*, *Italiæ*, *Sardiniæ*, *Siciliæ*, & oras illas *Galliarum*, quæ ſunt ad Mare *Mediterraneum*; atque hinc in *Africam* (*z*) transfretaverunt, & EURIPYLUM Regem *Cyrenes* conſuluerunt: & STRABO docet (*a*) quòd *in* Armeniâ, *&* Media, *& Regionibus proximis erant frequentia monumenta expeditionis* JASONIS; *ut etiam prope* Sinopem, *& ejus littora*, *ac* Propontidem, Helleſpontum, *&* Mediterraneum: negotia ad Rempublicam ſpectantia ſola potuerunt ſuadere ut *Græcorum* florentiſſimi ad tot Reges legati mitterentur: hæ Gentes ab *Ægyptis* domitæ fuerant; ſed poſt hanc expeditionem nuſpiam legimus eas adhuc *Ægypto* ſubjectas eſſe.

De Imperio Ægyptiorum.

(*y*) Strabo l. 1. p. 48.
(*z*) Pindar. Pyth. Ode 4.
(*a*) Strabo l. 1. p. 21. 45. 46.

Digitized by Google

CAP. II. Principiò *Ægyptii* (*b*) Terræ frugibus vescebantur, & quidem parcè, ab animantibus abstinebant, & ideo Pastores exsecrabantur. MENES eos docuit lectos & mensas ornare sumptuosis stragulis, & iis viam aperuit ad vivendi rationem luxu, deliciis, & voluptatibus affluentem; &, circiter centum annos post ejus mortem, GNEPHACTUS, unus ex illius Successoribus, diris illum prosecutus est, &, *Ægyptiorum* luxum cohibiturus, imprecationes istas in Templo JOVIS *Thebis* descriptas poni curavit, quo facto minùs *Ægyptii* MENETEM venerati sunt.

Reges *Ægyptii*, qui Pastores expulerunt, & in eorum locum successerunt, regnârunt, opinor, primùm *Copto*, deinde *Thebis*, & denique *Memphi*. Mihi quidem *Coptum* coluerunt MISPHRAGMUTHOSIS & AMOSIS sive THOMOSIS, qui Pastores pepulit, morem immolandorum hominum, qui iis fuerat, aboluit, & linguam *Copticam* atque nomen Αἴγυπτος (*Ægyptus*) omnibus Regionibus à se domitis communicavit. Deinde *Thebæ* fuerunt regia Civitas AMMONIS, à quo dicta fuit *No-Ammon*, & Regiones, quas ad Orientem *Ægypti* in potestatem redegit, sub *Ammoni* nomine venerunt. Post eum in eâdem Urbe *Thebis* manserunt OSIRIS, ORUS, MENES vel AMENOPHIS, & RAMESSES: *Memphis* autem & sua miracula nondum in *Græciâ* celebrata erant, quandoquidem HOMERUS, qui *Thebas* magnificat, tanquam suo tempore maximè florentes, nullam de *Memphi* mentionem facit. Postquam MENES hanc civitatem condidit, MOERIS, qui in RAMESSIS locum successit, eam ornavit, & caput Imperii sui fecit; quod accidit duabus, circiter, Generationibus post *Trojanum* bellum. CINYRAS, videlicet, VULCANUS ille, cui VENUS nupsit, & qui, sub *Ægypti* Regibus, in *Cyprum* & *Phœniciæ* partem dominatus est, & his Regibus arma fecit, usque ad bellum *Trojanum* vitam produxit. Fieri potest, ut, eo mortuo, MENES sive MEMNON illum inter Deos retulerit, & notissimum Templum fundaverit

(b) Diodor. l. 1. p. 29.

Digitized by Google

daverit in eâdem Civitate, quo adorandus erat; ſed mortuus eſt antequam ultimam ei manum impoſuit. In planitie (c) quâdam, non longè à *Memphi* ſunt plures exiguæ Pyramides, conſtructæ, ut traditum eſt, à VENEPHE aut ENEPHE; ego verò ſuſpicor nomina *Venephes* aut *Enephes* per corruptionem poſita fuiſſe pro nominibus *Menephes* vel *Amenophis*, litteris A M ferè deletis in nonnullis veteribus ſcriptis: etenim ad harum Pyramidum exemplum aliæ multo majores conditæ fuerunt à poſterioribus Regibus, MOERI, & qui in ejus locum ſucceſſerunt. Planities, in quâ fabricatæ fuerant, erat urbis illius cœmeterium, ut oſtendunt cadavera aromatibus condita ibi reperta; quapropter Pyramides erant Sepulchra & Monumenta Regum & Optimatum ejus civitatis: his & ſimilibus ædificiis civitas famâ celebrata fuit paulò poſt HOMERUM; qui ideò RAMESSE Regnum obtinente florebat. De Imperio Ægyptiorum.

Hiſtoricorum nunc exiſtentium & de *Ægypti* Antiquitatibus verba facientium vetuſtiſſimus eſt (d) HERODOTUS, qui ea, quæ ſcripſit, ab *Ægyptiis* Sacerdotibus acceperat: DIODORUS autem, qui poſt illum quaſi quatercentis annis ſcripſit, & qui pariter, quæ retulit, *Ægyptiis* Sacerdotibus debebat, multos ponit ignotos Reges inter eos, quos HERODOTUS ſibi ſerie continuâ ſucceſſiſſe deſcribit. Igitur Sacerdotes *Ægypti*, qui vixerunt inter HERODOTI & DIODORI tempora falſâ gloriæ ſpecie decepti valde numerum Regum ſuorum auxerunt: &, quod fecerunt poſt HERODOTUM, ante eum jam facere cœperant; quandoquidem ipſe docet Sacerdotes illos ex eorum libris ei retuliſſe nomina tercentorum triginta Regum, qui poſt MENETEM Regnum adepti fuerant, & nullum memorabile facinus patraverant, præter NITOCRIM & MOERIM eorum poſtremum. Regia omnium illorum civitas fuerant *Thebæ*, ad MOERIM uſque, qui ſedem Imperii è *Thebis Memphim* tranſtulit. Poſt MOERIM iſtum recenſet SESOSTRIM, PHERONTEM, PROTEUM

(c) Manetho.
(d) Herodot. l. 2.

Digitized by Google

CAP. II. TEUM, RHAMPSINITUM, CHEOPEM, CEPHRENEM, MYCERINUM, ASYCHIM, ANYSIM, SABACONEM, ANYSIM alterum, SETHONEM; duodecim Reges coævos, PSAMMITICHUM, NECHUM, PSAMMIM, APRIEM, AMASIM, & PSAMMENITUM. *Ægyptii* ante SOLONIS dies eorum Imperium jam à novem annorum millibus ſtare affirmaverant; poſtea verò HERODOTO recenſuerunt ſeriem tercentorum triginta Regum, quorum quiſque per totam Generationem Regnum obtinuerat, quod nos reducit ad undecim annorum millia ante SESOSTRIM: ſed Reges, qui diu ante SESOSTRIM, Regno potiti ſunt, fieri poteſt, ut dominati fuerint in plura minuta Regna in diverſis *Ægypti* partibus, antequam eorum Monarchia ſuboriretur; & ideo ante HELI & SAMUELIS tempora; quocirca nunc conſiderandi non veniunt; quin etiam hæc nomina multiplicata fortaſſe per corruptionem fuerunt; & horum nonnulli, ut ATHOTHES ſive THOTHUS, qui fuit OSIRIDI à ſecretis; TOSORTHRUS vel ÆSCULAPIUS, medicus, qui primus lapides quadratos ad ædificia adhibuit; & THUORUS aut POLYBUS, maritus ALCANDRÆ, fuerunt dumtaxat Optimates *Ægypti*. Si, HERODOTUM ſecuti, nomina Regum illorum, qui nihil memoriâ dignum fecerunt, omittamus, & rationem tantummodo eorum habeamus, quorum geſta referuntur, & qui reliquerunt luculenta Regnorum ſuorum monumenta, qualia ſunt Templa, Statuæ, Pyramides, Obeliſci, & Palatia iis dicata aut tributa, hi Reges ritè in ordinem diſpoſiti nobis ſufficient omnes, aut ſaltem ferè omnes eos, qui in *Ægyptum*, à Paſtoribus expulſis & Imperio fundato ad *Ægyptum* à CAMBYSE in poteſtate redactam, dominati fuerunt: ſiquidem SESOSTRIS *Ægyptum* gubernavit in Deorum *Ægyptiacorum* ætate, cùm ſub OSIRIDIS, HERCULIS, & BACCHI nominibus, ut ſupra diximus, fuerit inter Deos recenſitus; quapropter poſt eum ſtatuendi ſunt MENES, NITOCRIS, & MOERIS; ſtatim à Diis Regno potiti ſunt MENES, & ejus filius RAMESSES; igitur poſt RAMESSEM ad Regnum NITOCRIS & MOERIS pervenerunt: MOERIS ſtatim ante CHEOPEM poſitus

ter

Digitized by Google

ter invenitur in Dynastiis Regum Ægyptiorum scriptis ab ERATOSTHENE, & semel in illis, quas MANETHO concinnavit; in iisdem Dynastiis NITOCRIS locatur post eos, qui tres magnas Pyramides condiderunt; &, HERODOTO auctore, ejus frater ante eam Regnum tenuit, interemptus fuit, & illa mortem hanc ulta est; &, secundùm SYNCELLUM, ea tertiam magnam Pyramidem extruxit; Pyramidum verò Conditores *Memphi* regnaverunt, ergo post MOERIM. Ex his rebus conficitur Reges *Ægyptios*, ab HERODOTO memoratos, in hunc ordinem esse disponendos; SESOSTRIS, PHERON, PROTEUS, MENES, RHAMPSINITUS, MOERIS, CHEOPS, CEPHREN, MYCERINUS, NITOCRIS, ASICHIS, ANISIS, SABACON, ANYSIS alter, SETHON, duodecim Reges coæquales, PSAMMITICHUS, NECHUS, PSAMMIS, APRIES, AMASIS, PSAMMENITUS. De Imperio Ægyptiorum.

Asserit HERODOTUS PHERONTEM filium & Successorem SESOSTRIS fuisse. Sub ORI nomine Diis annumeratus fuit.

PROTEUS erat inferioris *Ægypti* Rex, quando PARIS illuc navigavit; ideſt, circa belli *Trojani* finem, juxta HERODOTUM (*e*): tunc temporis AMENOPHIS erat Rex *Ægypti* & *Æthiopiæ*: sed fieri potest ut, eo absente, PROTEUS sub eo gubernaverit aliquam inferioris *Ægypti* partem; nam, HOMERUS littoralem sedem PROTEO tribuit, eúmque facit marinum Deum, & vocat NEPTUNI famulum: & HERODOTUS docet illum in mediâ plebe natum ad dignitates evectum fuisse, ac *Proteum* fuisse nomen ejus in *Græcam* linguam translatum, & hoc nomen *græcè* sonare tantummodo Principem vel Præsidem. Hic PHERONTI, & ei RHAMPSINITUS succesſit, auctore HERODOTO; quapropter vixit eodem tempore, quo AMENOPHIS.

Regnum AMENOPHIS adeptus est statim post ORUM & ISIDEM Deorum ultimos; principiò dominatus est in totam *Ægyptum*, deinde in *Memphim* & superiorem *Ægypti* partem,

(*e*) Herodot. l. 2.

Digitized by Google

CAP. II. tandem, devicto OSARSIPHO qui ab eo defciverat, rurfus evafit totius *Ægypti* Rex, circiter quinquageſimum primum annum poſt SALOMONIS interitum. Hic *Memphim* ædificavit, Deos *Ægyptios* adorari juſſit, condidit domum regiam *Abydi*, ac *Memnoniam Thi*, & *Suſæ*, atque *Memphi* magnificum VULCANI Templum; jam lapides quadrati in ædificiis adhiberi cœperant à TOSORTHRO vel ÆSCULAPIO *Ægypti*: is, nomine corrupto, nuncupatus fuit MENES, MINES, MINÆUS, MINEUS, MINIES, MNEVIS, ENEPHES, VENEPHES, PHAMENOPHIS, OSYMANTHYAS, OSIMANDES, ISMANDES, IMANDES, MEMNOM, ARMINON.

In AMENOPHIS locum ſucceſſit ejus filius ab HERODOTO vocatus RHAMPSINITUS, & ab aliis, RAMPSES, RAMISES, RAMESES, RAMESSES, (*f*) RAMESTES, RHAMPSES, REMPHIS. In Obeliſco, quem Rex hic *Heliopoli* ſtatuerat, & quem CONSTANTIUS Imperator *Romam* miſit, legebatur inſcriptio, explanata ab HERMAPIONE, Sacerdote *Ægyptio*, docens hunc Regem diu vixiſſe, & in magnam Terræ partem dominatum fuiſſe: & STRABO, (*g*) teſtis oculatus, auctor eſt, quòd in Regum *Ægyptiorum* monumentis, ſupra *Memnonium*, erant Obeliſci aucti inſcriptionibus notantibus illorum Regum divitias, & dominationem, quæ *Scythiam*, *Bactrianam*, *Indiam*, & *Ioniam* pertingebat: TACITUS (*h*) autem refert ex inſcriptione, quam CÆSAR GERMANICUS *Thebis* vidit, & quam Sacerdotes *Ægyptii* fuerunt interpretati, Regem hunc RAMESSEM habuiſſe exercitum ex ſeptingentis hominum millibus conſtantem, *& cum eo* Libyâ, Æthiopiâ, Mediſque, & Perſis, & Bactriano, *ac* Scythiâ *potitum*, *quaſque terras* Suri, Armentique, *& contigui* Cappadoces *colunt*, *inde* Bithynum, *hinc* Lycium *ad Mare imperio tenuiſſe*. Igitur nondum orta erat *Aſſyriæ* Monarchia. Hic Rex fuit admodum avarus, & magnus

(*f*) Ammian. l. 17. c. 4.
(*g*) Strabo. l. 17. pag. 817.
(*h*) Tacit. Annal. l. 2. c. 60.

Digitized by Google

gnus vectigalium & tributorum quæsitor, ac unus ex ditissimis *Ægypti* Regibus: Occidentalem Templi VULCANO dicati porticum extruxit. De Imperio Ægyptiorum.

MOERIS, qui RAMESSIS divitias hæres adeptus est, majori magnificentiâ condidit ejusdem Templi porticum septentrionalem, & Lacum MOERIS excavavit, in quo medio duas magnas Pyramides lateritias posuit; &, ut servari posset *Ægypti* divisio, quæ partibus æqualibus inter milites facta fuerat, librum scripsit de Agrorum mensurâ, unde Geometria initium duxit. Dictus etiam fuit MARIS, MYRIS, MERES, MARRES, SMARRES, &, majore corruptione, mutatâ litterâ M in A, T, B, Σ, ΥΧ, Λ, &c, AYRES, TYRIS, BYIRES, SORIS, UCHOREUS, LACHARES, LABARIS, &c.

DIODORUS (*i*) ponit UCHOREUM inter OSYMANDUAM, & MYRIM, idest, inter AMENOPHIM & MOERIM & asserit eum *Memphim* condidisse, & mirè communivisse validissimo terræ vallo, & fossâ latâ & profundâ, quam *Nilus* aquâ replebat, ibique confecisse vastum & profundum Lacum, quo reciperetur aqua, cùm *Nilus* exundaret, illámque civitatem regiis domibus ornavisse; atque *Memphim* fuisse in loco adeò commodo & apto, ut illorum, qui post eum regnaverunt, plerique *Memphim Thebis* anteferrent, unde hæ decrescere cœperunt, *Memphis* autem crevit, donec ALEXANDER *Macedoniæ* Rex *Alexandriam* extruxit. Magna ista UCHOREI & MOERIS opera idem ingenium redolent; & certè debentur uni eidémque Regi qui, per nominis corruptionem, in duos divisus fuit, ut jam diximus; nam, profectò Lacus UCHOREI idem est qui MOERIS.

Ad exemplum duarum lateritiarum Pyramidum, quas MOERIS condiderat, tres proximi Reges, CHEOPS, CEPHREN, & MYCERINUS tres magnas Pyramides *Memphi* constituerunt; quocirca in eâ Civitate regnaverunt. CHEOPS Templa, quæ in *Nomis* erant, clausit, & Deos *Ægyptios* adorari vetuit, eâ mente

(*i*) Diodor. l. 1. pag. 32.

Digitized by Google

CAP. II. te proculdubiò, ut ipse post mortem adoraretur. Nuncupatus etiam fuit CHEMBIS, CHEMMIS, CHEMNIS, PHIOPS, APATHUS, APAPPUS, SUPHIS, SAOPHIS, SYPHOAS, SYPHAOSIS, SOIPHIS, SYPHURIS, ANOIPHIS, ANOISIS. Extruxit altissimam trium ingentium Pyramidum proximarum; secundam verò ejus frater CEPHREN aut CERPHERES; atque tertiam filius MYCERINUS: postremus hic Rex clementiâ & justitiâ celebris fuit, filiæ cadaver in Bovis statuâ ponendum curavit, & jussit ut quotidie odoribus coleretur: vocatus etiam fuit CHERES, CHERINUS, BICHERES, MONCHERES, MENCHERES. Diem ultimum obiit antequam tertia Pyramis perficeretur, cui ultimam manum imposuit NITOCRIS hujus soror, quæ in ejus locum Regno successit.

Deinde Regni habenas ASYCHIS suscepit: hic VULCANI Templum ornavit sumptuosâ porticu ad Orientem spectante, & inter parvas Pyramides unam majorem erexit è lateribus confictis limo extracto è MOERIS Lacu. Atque hi sunt Reges, qui *Memphi* regnaverunt, & hanc Civitatem ornandam curaverunt; quousque *Æthiopes*, *Assyrii*, & aliæ Gentes rebellaverunt; & *Ægyptus* amisit Regiones omnes remotas, quibus imperabat, & rursus in plura parva Regna fuit discissa.

Horum Regnorum unius sedes fuit, arbitror, *Memphis* sub GNEPHACTO, & ejus filio atque successore BOCCHORI. AFRICANUS appellat BOCCHORIM *Saitem*, sed tunc temporis *Sais* aliis Regibus gaudebat. GNEPHACTUS, pariter dictus NEOCHABIS & TECHNATIS, ob luxum diris MENETEM devovit, & imprecationes suas *Thebis* in JOVIS Templo describendas curavit: *Thebis* ergo regnavit. BOCCHORIS autem in feri Bovis statuâ posuit Deum MNEVIM, qui *Heliopoli* colebatur. Alterius horum Regnorum sedes erat *Anysis* aut *Hanes* (Isa. XXX. 4,) sub Rege ANYSI vel AMOSI; tertii erat *Sais* sub STEPHANATE, NECHEPSO & NECHO: ac quarti *Tanis* sive *Zoan* sub PETUBASTE, OSORCHONE, & PSAMNI. At *Ægyptus*, cùm his divisionibus infirmior facta fuisset,

Digitized by Google

fuiſſet, invaſa & domita fuit ab *Æthiopibus* uſis Duce SABACONE, qui BOCCHORIM & NECHUM interemit, ANYSIM verò fugavit. Olympiadum initium cecidit in PETUBASTIS Regno; & *Æra* NABONASSARI in viceſimum ſecundum BOCCHORIS annum, juxta AFRICANUM; quapropter *Ægyptus* dividi cœpit in plura Regna ante Olympiadas; ſed non pluſquam duobus Regnis ante illas. De Imperio Ægyptiorum.

Poſtquam Aſtronomiæ opera navari cœpta fuit, navigationis cauſâ, & poſtquam *Ægyptii* per Heliacos ſtellarum ortus & occaſus longitudinem anni ſolaris ad tercentos ſexaginta quinque dies definiverunt, & aliis obſervationibus Solſtitia determinaverunt, & Conſtellationes deſcripſerunt; quæ omnia facta fuerunt Regnum obtinentibus AMMONE, SESACO, ORO, & MEMNONE; credendum videtur eos Planetarum motus obſervare proſecutos eſſe; nam, illis finxerunt nomina de Deorum ſuorum nominibus; & NECHEPSOS ſive NICEPSOS Rex *Saidis*, opem ferente PETOSIRIDE *Ægyptio* Sacerdote, Aſtrologiam excogitavit, cujus fundamenta fecit Planetarum aſpectus, & indoles Virorum & Mulierum, quibus ipſi Planetæ conſecrati fuerant: NABONASSARO autem Rege *Babyloniæ* Regnum vix adepto, (circa quod tempus *Æthiopes* ſub SABACONE *Ægyptum* invaſerunt,) *Ægyptii* illi, qui, *Æthiopes* fugientes, *Babyloniam* ſe receperunt, in eam annum *Ægyptiacum* ex tercentis ſexaginta quinque diebus conſtantem, atque Aſtronomiam, Aſtrologiámque invexerunt, & *Æræ* NABONASSARI principium dederunt Ejus initium ad annum ipſum, quo NABONASSARUS Regnum adiit, revocaverunt, qui incidit in viceſimum ſecundum BOCCHORIS annum, ut ſupra diximus; anni verò exordium poſuerunt illum ipſum diem, quo annus apud *Ægyptios* incipiebat propter computationes. Sic DIODORUS (*k*): *dicunt* Chaldæos Babyloniæ, *cùm* Ægyptiorum *colonia eſſent, celebratos Aſtrologiæ ſtudiis fuiſſe, quam ab* Ægypti *Sacerdotibus acceperant*: & HESIÆUS,

(*k*) Diodor. l. 1. pag 51.

Digitized by Google

CAP. II. TIÆUS, qui *Ægypti* Hiſtoriam ſcripſerat, de ejuſdem Regionis invaſione verba faciens, ait (*l*), quòd *Sacerdotes, qui huic infortunio ſuperſtites fuerunt, ſecum afferentes* Sacra JOVIS Enyalii Sennaar Babiloniæ *migraverunt.* A decimo quinto ASÆ anno, quo ZERAH devictus fuit, & quo MENES aut AMENOPHIS regnare cœpit, ad initium *Æræ* NABONASSARI, lapſi ſunt anni ducenti: hoc temporis ſpatium locum relinquit novem aut decem Regum dominationibus, circiter, quarum ſingulæ, rationibus adæquatis, ferè viginti annos impleverint; & totidem interfuêre, ſecundùm ſupra-relatam HERODOTI computationem; quamobrem hæc ratio, tum omnium eſt antiquiſſima, & HERODOTO tradita à Sacerdotibus *Thebarum*, *Memphis*, & *Heliopolis*, quæ tres civitates fuerunt *Ægyptiacarum* nobiliſſimæ, tum cum naturæ curſu conſentit, neque locum relinquit dominationibus plurium obſcurorum Regum, quos omiſimus. Hi Reges omiſſi poſiti fuerunt Regnum tenuiſſe ante MOERIM; ergo *Thebis*; MOERIS enim Imperii ſedem è *Thebis Memphim* tranſtulit: ſed Regno potiti certè ſunt poſt RAMESSEM; quandoquidem RAMESSES fuit filius atque ſucceſſor MENETIS, qui ſtatim à Diis Regnum eſt adeptus. Jam ipſum VULCANI Templum condidit MENES, quod primâ porticu RAMESSES auxit, ſecundâ verò MOERIS; & *Ægyptii*, quò eorum Imperium & Dii antiquiores haberentur, inter Regem, qui primam, & eum qui ſecundam hujus Templi porticum condidit, tercentos & triginta *Thebarum* Reges inſeruerunt, eóſque Regnum undecim annorum millia tenuiſſe finxerunt; tanquam ſi Templum aliquod tandiu ſtare poſſet. Hæ ſunt meræ fabulæ, ut manifeſtum eſt, quapropter eas expunximus, omiſſis Regibus inſertis, & reſtituto MOERI, qui ſecundam porticum extruxit, ſtatim poſt RAMESSEM, qui primam ædificavit.

In Dynaſtiis MANETHONIS, SEVECHUS ponitur Succeſſor SABACONIS, cujus filius fuit; & fortaſſe hic eſt SETHON HERODOTI, qui VULCANI Sacerdos fuit, & militarem diſciplinam neglexit; nam, SABACON eſt ille SO vel SUA, cum quo OSEAS Rex *Iſraelis* contra *Aſſyrios* conſpiravit, anno HE-

(*l*) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 4.

Digitized by Google

HEZECHIÆ quidem quarto, NABONASSARI verò viceſimo quarto. HERODOTUS bis aut ter aſſerit SABACONEM, cùm quinquaginta annos Regno fuiſſet potitus, ſpontè *Ægyptum* reliquiſſe, & ANYSIM, qui eum fugerat, reverſum fuiſſe, quò rurſum in inferiorem *Ægyptum* poſt illum, ſive potiùs cum illo, dominaretur; SETHONEM autem poſt eum Regnum capeſſiviſſe, & *Peluſium* petiiſſe SENNCHERIBI copiis obviam euntem, & ei auxilio fuiſſe ingentem murium vim, qui arcuum nervos, quibus armati erant *Aſſyrii*, comederunt; in cujus rei memoriam Statua SETONIS, ab HERODOTO (*m*) viſa, manu murem tenebat. Mus apud *Ægyptios* erat ſymbolum deſtructionis, & mus in SETHONIS manu dumtaxat indicabat hunc Regem magnâ clade *Aſſyrios* affeciſſe. Docent Sacræ Litteræ, quòd cùm SENNACHERIBUS *Judæam* invaſit, & *Lachim* atque *Lobnam* obſedit, (quod accidit anno EHEZECHIÆ decimo quarto, at NABONASSARI quarto & triceſimo,) Rex *Judæ* ſpem ſuam poſuit in *Pharaone* Rege *Ægypti*, ideſt, SETHONE, & quòd TIRHAKAH Rex *Æthiopiæ* pariter exercitum in SENNACHERIBUM eduxit, (II. Reg. XVIII. 21. & XIX. 9.), unde veriſimile fit quòd SENNACHERIBUS, audiens Reges *Ægypti* & *Æthiopiæ* ſe oppugnatum accedere, è *Lobnâ Peluſium* verſus progreſſus ſit, iis obviam ſeſe facturus; ſed ibi occupatus fuit à duobus hiſce Regibus, qui eum, noctu aggreſſi, non minori clade ſtraverunt, quàm ſi mures *Aſſyrios* arcuum nervos ediſſent. Aliqui putant *Aſſyrios* interfectos fuiſſe fulguribus, aut ignito vento, qui aliquando à meridionalibus *Chaldææ* partibus ſpirat. Poſt hanc victoriam, TIRHAKAH, qui in SETHONIS locum ſucceſſerat, exercitum duxit Orientem verſùs per *Libyam* & *Africam* ad *freti* oſtia. Sed HERODOTUS aſſerit *Ægyptios* Sacerdotes recenſere ſolitos SETHONEM, tanquam ultimum ex *Ægypti* Regibus, qui dominati ſunt antequam *Ægyptus* in duodecim Regna ſimul extantia divideretur, & ideo antequam ab *Aſſyriis* invaderetur.

De Imperio Ægyptiorum.

(*m*) Herodot. l. 2. c. 141.

CAP. II. ASSERHADON Rex *Assyriæ*, anno NABONASSARI sexagesimo octavo, cùm jam circiter triginta annos in *Assyriam* dominatus esset, invasit *Babyloniæ* Regnum, & multos captivos ex *Babylone*, *Cuthâ*, *Avâ*, *Hamath*, & *Sepharvaim* adduxit, quos in Regionibus *Syriæ* & *Damasci* locavit, & inde *Babylonem* transtulit *Israelis* & *Syriæ* populum, qui ibi à THIGLATPHALASSARO relictus fuerat. Hæc captivitas evenit sexaginta quinque annis post primum ACHAZ, (Isa. VII. 1. 8., & II. Reg. XV. 37., & XVI. 5.,) & ideo vicesimo MANASSIS, & NABONASSARI sexagesimo nono: & postea TARTANUS ab ASSERHADONE missus fuit cum exercitu oppugnatum *Ashdodum* vel *Azotum*, quæ urbs tunc temporis *Judææ* serviebat, (II. Chronic. XXVI. 6.,) quam cœpit, (Isa. XX. 1.;) &, cùm sibi tutam securámque hanc urbem reddidissent *Assyrii*, *Judæos* devicerunt, MANASSEM captivum fecerunt, & *Judæam* sibi subdiderunt: dum hæc bella gererentur MANASSE jubente, ISAIAS bifariam sectus fuit, quia in MANASSEM prophetaverat. Deinda *Assyrii* invaserunt & in potestatem redegerunt *Ægyptum* & *Æthiopiam*, & in captivitatem *Ægyptios*, *Æthiopésque* traxerunt, & hoc pacto *Æthiopum* in *Ægyptios* dominationi finem imposuerunt, (Isa. VII. 18., & VIII. 7., & X. 11. 12. & XIX. 23., & XX. 4.) Hisce bellis Civitas *Thebæ*, aut *No-Ammon*, quæ hucusque floruerat, miserè direpta fuit & devastata, atque ejus cives in captivitatem abducti, ut describit NAHUM capite tertio vers. 8. 9. 10. NAHUM scripsit post *Judæam* postremò ab *Assyriis* invasam, (Cap. I. Vers. 15.,) & idcirco Captivitatem hanc tanquam recentem describit. Hac *Ægypti* invasione, & sequentibus sub NABUCHODNOZORO, & CAMBYSE, illius Civitatis gloria finem accepit. ASSERHADON tribus annis in *Ægyptios* & *Æthiopes* dominatus est, (Isa. XX. 3. 4.,) scilicet usque ad interitum suum, qui accidit anno NABONASSARI octogesimo primo; quocirca *Ægyptum* invasit, & *Æthiopum* in *Ægyptios* dominationi finem imposuit anno NABONASSARI septuagesimo octavo; igitur *Æthiopes* sub SABACONE, & ejus successoribus SETHONE & TIRHAKAH *Ægyptiis* octoginta, cir-

Digitized by Google

circiter annis imperitaverunt: HERODOTUS annos quinquaginta SABACONI tribuit; AFRICANUS autem quatuordecim SETHONI, & duodeviginti TIRHAKAH. De Imperio Ægyptiorum.

Divisionem *Ægypti* in plura Regna, tum ante, tum post *Æthiopum* dominationem, & *Ægyptum* ab ASSERHADONE domitam, innuere videtur ISAIAS Propheta (*n*) his verbis: *consurgere faciam* Ægyptios *contra* Ægyptios, *& quisque pugnabit contra fratrem suum, & unusquisque contra propinquum suum, & civitas contra civitatem, atque Regnum contra Regnum, & Spiritus* Ægypti *deficiet.* *** *Et* Ægyptios *tradam in manus domini crudelis*, (videlicet ASSERHADONIS,) *& ferox Rex in eos dominabitur.* *** *Certè Principes* Zoan (Tanis) *insaniunt, consilium sapientum consiliariorum* Pharaonis *factum est stultum; quamdiu* Pharaoni *dicitis, Ego sum filius veterum Regum.* *** *Dementes facti sunt Principes* Zoan: *Principes* Noph (Memphis) *decepti sunt*, *** *vel ii, qui erant ejus populi columen,* *** *In illis diebus erit via regia ab* Ægypto *ad* Assyriam, *&* Ægyptii Assyriis *servient.*

Post ASSERHADONIS interitum *Ægyptus* paruit duodecim Regibus coæqualibus, qui ab *Assyriis* desciverant, & qui simul quindecim annis regnaverunt; inter quos annumerandi sunt, opinor, tres anni ASSERHADONIS, quandoquidem *Ægyptii* inter suos Reges illum non recensent. Hi (*o*) condiderunt Labyrinthum, qui erat prope MOERIS Lacum, quod ædificium fuit sanè magnificum, cum duodecim œcis, eorum Regiis: deinde PSAMMITICUS, qui erat unus ex duodecim, omnes alios domuit. Hic ædificavit ultimam Templi VULCANI porticum, quod Templum à MENETE, circiter ducentos sexaginta annos ante, fuerat inchoatum, & Regno potitus est quinquaginta quatuor annos, in quibus annumerandi sunt quindecim illi, quos hic cum undecim aliis Regibus Regnum obtinuit. Deinde Regno

(*n*) Isa. XIX. 2. 4. 11. 13. 23.

(*o*) Herodot. l. 2. c. 148. &c.

Digitized by Google

CAP. II. succeſſit NECHAOH ſive NECHUS. Is ſeptemdecim annos regnavit: ſex PSAMMIS, VAPHRES, APRIES, ERAPHIUS, vel HOPHRA viginti quinque: AMASIS quatuor ſupra quadraginta; & PSAMMENITUS ſex menſes, ſecundùm HERODOTUM. *Ægyptus* in poteſtatem redacta fuit à NABUCHODONOZORO anno HOPHRÆ penultimo, & NABONASSARI centeſimo ſeptuageſimo octavo; & quadraginta annos *Babyloniæ* ſervivit, (Jerem. XLIV. 30., & Ezech. XXIX. 12. 13. 14. 17. 19.,) ideſt, ferè uſque ad finem Regni AMASIS, viri è mediâ plebe, quem Victor *Ægypto* præfecerat. Horum quadraginta annorum finis coincidit cum CYRI morte; quandoquidem is in *Ægyptum*, & *Æthiopiam*, XENOPHONTE teſte, dominatus eſt. Igitur tunc temporis hæ Gentes libertatem recuperaverunt; ſed, quatuor aut quinque annos poſt, eas invaſit & ſubjecit CAMBYSES, anno NABONASSARI ducenteſimo viceſimo tertio vel quarto; & deinde ferè ſemper ſervierunt, ut Prophetæ prædixerant.

Regna PSAMMITICI, NECHI, PSAMMIS, APRIIS, AMASIS, & PSAMMENITI, quæ refert HERODOTUS, aſcendunt ad annos centum quadraginta ſex cum dimidio; & totidem interceſſerunt inter ſeptuageſimum octavum NABONASSARI, quo finem habuit dominatio *Æthiopum* in *Ægyptios*, & ejuſdem NABONASSARI ducenteſimum viceſimum quartum, quo CAMBYSES *Ægyptum* invaſit, & ejus dominationi finem impoſuit. Unde patet HERODOTUM accuratum fuiſſe, & fidem merere ea, quæ de *Ægypto* refert, quantùm diſcere potuit ab *Ægyptiis Thebarum*, *Memphis*, & *Heliopolis* Sacerdotibus, atque à *Caribus* & *Joniis Ægyptum* colentibus: etenim omnes hoſce conſuluit: *Cares* autem, & *Jonii Ægyptum* habitaverant ab eo tempore, quo duodecim coævi Reges florebant.

Ait PLINIUS (*p*) obeliſcos *Ægyptios* eſſe è quodam lapidi

(*p*) Plin. l. 36. c. 8. p.

Digitized by Google

dis genere, qui effoditur prope *Syenem* in *Thebaide*, & primum obeliſcum erectum fuiſſe à MITRE, qui *Heliopoli* regnavit; id eſt, à MEPHRE, qui ante MISPHRAGMUTHOSIM Regnum tenuit; & poſtea alios Reges alios Obeliſcos confeciſſe; quatuor SOCHIM, videlicet, SESOCHIM ſive SESACUM, quorum quiſque octo ſupra quadraginta cubitos altus erat; RAMISEM, ſcilicet, RAMESSEM duos; unum quadraginta octo cubitos longum, SMARREM, nempe MOERIM; ERAPHIUM vel HOPHRAM unum ejuſdem longitudinis; & NECTABIM ſeu NECTENABIM unum octoginta cubitorum. Quapropter MEPHRES dominationem ſuam extendit in totam ſuperiorem *Ægyptum* à *Syene* ad *Heliopolim*, & poſt eum, MISPHRAGMUTHOSIM & AMOSIM, Regno potſiti ſunt AMMON & SESACUS, qui primum magnum Imperium fundaverunt: hi autem quatuor, AMOSIS, AMMON, SESACUS, & ORUS *Ægyptum* gubernaverunt in quatuor ætatibus magnorum Deorum *Ægypti*; AMENOPHIS autem eſt MENES ille, qui ſtatim poſt Deos Regnum adeptus eſt; poſt quem Reges fuerunt RAMESSES, & MOERIS, &, aliquamdiu poſt, HOPHRA. De Imperio Ægyptiorum.

Enumerat DIODORUS (*q*) eoſdem, ac HERODOTUS, *Ægypti* Reges; ſed ordine magis confuſo, aliquos repetit bis, aut pluries, ſed nominibus diverſis, & nonnullos omittit. En hos Reges: JUPITER AMMON & JUNO; OSIRIS & ISIS; HORUS; MENES; BUSIRIS I; BUSIRIS II; OSYMANDUAS; UCHOREUS; MYRIS; SESOOSIS I; SESOOSIS II; AMASIS; ACTISANES; MENDES, vel MARUS; PROTEUS; REMPHIS; CHEMBIS; CEPHREN; MYCERINUS, aut CHERINUS; GNEPHACTUS; BOCCHORIS, SABACON, duodecim Reges coæquales; PSAMMITICHUS, *** APRIES; AMASIS; Hîc accipio SESOOSIM I., & SESOOSIM II., BUSIRIDEM I., & BUSIRIDEM II. pro ipſis OSIRIDE & ORO; pariter OSYMANDUAM pro eodem Rege ac AMENOPHIS

(*q*) Diodor. l. 1. p. 29. &c.

Digitized by Google

CAP. II. PHIS vel MENES. Item AMASIS, & ACTISANES *Æthiops* qui AMASIM devicit, mihi sunt iidem, ac ANYSIS & SABACON, de quibus HERODOTUS: UCHOREUS autem, MENDES, MARRUS, & MYRIS sunt dumtaxat diversa unius ejusdémque Regis nomina. Hoc pacto DIODORI catalogus evadet hic: JUPITER AMMON & JUNO; OSIRIS, BUSIRIS, vel SESOOSIS, & ISIS; HORUS, BUSIRIS II., aut SESOOSIS II.; MENES, vel OSYMANDUAS; PROTHEUS; REMPHIS, seu RAMESSES; UCHOREUS, MENDES, MARRUS, sive MYRIS; CHEMBIS, vel CHEOPS; CEPHREN; MYCERINUS; *** GNEPHACTHUS; BOCCHORIS; AMASIS, vel AMYSIS: ACTISANES, aut SABACON. * duodecim Reges coævi; PSAMMITICHUS; ** APRIES; AMASIS; quibus si, locis concinnis, addas NITOCRIM; ASYCHIM; SETHONEM; NECHUM; & PSAMMIM, habebis HERODOTI Catalogum.

Dynastiæ MANETHONIS & ERATOSTHENIS videntur plenæ nominibus Regum ab HERODOTO omissorum: cùm ostensum fuerit eorum aliquem in *Ægyptum* regnavisse post Pastorum expulsionem, & diversum esse à Regibus superiùs memoratis, suo loco inseri poterit.

Domita fuit *Ægyptus* ab *Æthiopibus* sub SABACONE circa initium *Æræ* NABONASSARI, aut, fortasse; tribus vel quatuor annis ante, id est, tercentis annis, circiter, antequam HERODOTUS historiam suam scripsit; & octoginta, circiter, annis post hanc *Æthiopum* victoriam iterum subjecta fuit ab *Assyriis* sub ASSERHADONE: historia autem *Ægypti* scripta ab HERODOTO ab hac ultimâ victoriâ rectè & accuratè refert numerum, ordinem, & nomina Regum, ac tempora, per quæ Regnum occupaverunt: atque in hisce rebus eum sequuntur Historici, cùm ille unus nobis transmiserit optimam *Ægypti* historiam illa tempora complectentem. Si ea pars hujus historiæ, quæ ad antiquiora tempora pertinet, minùs accurata est, id accidit quia Tabulariis *Ægyptiis* multum detrimenti attulerunt Regna *Æthiopum*, *Assyrio-*

Digitized by Google

*Assyriorúm*que; neque verosimile est, quòd *Ægyptii* Sacerdotes, qui vixerunt ducentis aut tercentis annis post HERODOTI tempora, rem emendare potuerint; quinimo, postquam CAMBYSES omnibus monumentis *Ægyptum* spoliavit, Sacerdotes quotidie novos Reges commenti sunt, quò eorum Gens atque Dii ad majorem antiquitatem eveherentur; ut constat simul conferendo HERODOTUM & DIODORUM *Siculum*, atque utrumque & ea, quæ PLATO refert ex SOLONIS poemate, quod docet bella, quæ magni Dii *Ægypti* in *Græcos* gesserunt, gesta fuisse tempore CECROPIS, ERECHTHEI, & ERICHTHONII, & paulò ante dies THESEI; tunc hi Dii in suimet honorem Templa & Sacra instituebant. Quibus de causis potiùs censui sequendas historias HERODOTO traditas ab *Ægyptiis* Sacerdotibus, & eas corrigendas ope *Soloniani* poematis, ita ut Deos illos antiquiores CECROPE & ERECHTHEO non facerem, neque eorum successorem MENETEM THESEO & MEMNONE vetustiorem, & ut ædificationi Templi VULCANO dicati non plures quàm ducentos octoginta annos tribuerem; quàm corrigendum HERODOTUM auxilio MANETHONIS, ERATOSTHENIS & aliorum, qui vixerunt postquam Sacerdotes *Ægyptii* magis, quàm vivente HERODOTO, antiquitates suas corrùperant.

De Imperio Ægyptiorum.

Digitized by Google

CHRONOLOGIA *VETERUM REGNORUM* EMENDATA.

CAPUT III.

De Imperio Aſſyriorum.

QUo pacto veteres Reges & Optimates *Græciæ*, *Ægypti*, & *Syriæ Damaſcenæ*, inter Deos relati, facti fuerunt æquo antiquiores, eodem nimiâ vetuſtate Reges *Chaldææ* & *Aſſyriæ* donati fuerunt: quandoquidem apud DIODORUM (*a*) legimus, quòd, cùm ALEXANDER Magnus eſſet in *Aſiâ*, *Chaldæi* jam, à quo tempore Stellas obſervare cœperant, quatercenta ſeptuaginta tria millia annorum dinumerabant: CTESIAS autem, & *Græci Latini*que Scriptores eum ſecuti, ad ſexageſimum vel ſeptuageſimum à NOACHI diluvio annum originem *Aſſyrii* Imperii retulerunt, atque nobis enarrant nomina Regum *Aſſyriorum* omnium à BELO, ejúſque commentitio filio NINO ad SARDANAPALUM, poſtremum hujus Monarchiæ Regem. Sed horum Regum nomina, ſi unum aut alterum excipias, nullam habent affinitatem cum *Aſſyriorum* nominibus, quæ in Sacris Libris leguntur; ſolebant enim *Aſſyrii* nomina ſua deducere à Diis ſuis,

(*a*) Diodor. l. 2. pag. 83.

Digitized by Google

ſuis, BEL, vel PUL, CHADDON, HADON, ADON, aut ADONIDE; MELECH, ſive MOLOCH; ATSUR, vel ASSUR; NEBO, NERGAL; MERODACH; ut apparet in hiſce nominibus, PUL; TIGLAT-PUL-ASSUR; SALMAN-ASSUR; ADRA-MELECH; SHAR-ASSUR; ASSUR-HADON; SARDANAPALUS, aut ASSUR-HADON-PUL, NABONASSARUS, ſive NEBO-ADON-ASSUR; BEL-ADON; CHINILADON, vel CHEN-EL-ADON; NEBO-PUL-ASSUR; NEBO-CHADDON-ASSUR; NEBUZARADON, vel NEBO-ASSUR-ADON; NERGAL-ASSUR; NERGAL-SHAR-ASSUR; LABO-ASSUR-DACH; SHESEB-ASSUR; BECTES-ASSUR; EVIL-MERODACH; SHAMGAR-NEBO; RABSARIS, aut RAB-ASSUR; NEBO-SHASBAN; MARDOCEMPAD, ſive MERODACH-EMPAD. Talia ſunt *Aſſyria* nomina; ſed planè diverſa ſunt ea, quæ in CTESIÆ libris occurrunt, præter SARDANAPALI nomen, quod apud HERODOTUM legitur. Ille facit SEMIRAMIDEM æquè antiquam ac primus BELUS; aſſerit autem HERODOTUS eam vixiſſe quinque tantummodo Generationibus ante matrem LABYNETI; narrat urbem *Ninum* à viro cognomine, & *Babylonem* à SEMIRAMIDE conditas fuiſſe; attamen NIMBRODUS aut ASSUR has & alias civitates ædificavit, & nulli nomen ſuum tribuit: Imperio *Aſſyrio* mille tercentorum & ſexaginta annorum diuturnitatem aſſignat; quod, juxta HERODOTUM, ſtetit per annos tantummodo quingentos, quanquam HERODOTUS antiqua hujuſcemodi tempora nimiùm longa faciat; ponit *Ninivem* à *Medis* & *Babyloniis* deſtructam fuiſſe tercentos annos ante Regnum ASTIBARIS & NABUCHODONOZORI, qui illam excidit, & refert nomina ſeptem vel octo fictitiorum *Mediæ* Regum, qui, juxta eum, extiterunt eo temporis intervallo, quod inter *Ninivis* excidium & Regna ASTIRABIS atque NABUCHODONOSORI interceſſit, tanquam ſi *Medorum* Imperium, quod *Aſſyrii* ruinis ſuperſtructum fuit, per

De Imperio Aſſyriorum.

Digitized by Google

CAP. III. annos tercentos ſtetiſſet; reipſa autem ſtetit duos ſupra ſeptuaginta; ne verbum quidem facit de vero *Aſſyriorum* Imperio, quod Sacra Volumina deſcribunt, & cujus Reges fuerunt PUL, TIGLATH-PHALASSARUS, SALMANASSARUS, SENNACHERIBUS, ASSERHADON, &c.; quanquam fuerit ſuis temporibus multo propinquius; unde liquidò conſtat illum *Aſſyriorum* Antiquitates prorſus ignoraviſſe. Nihilominus aliquid veritatis ineſt hiſtoriæ ab eo ſcriptæ, ut fieri ſolet in fabuloſis illis narrationibus, quas *Romantios* appellant; puta, *Ninivem* à *Medis* & *Babyloniis* ſubverſam fuiſſe; SARDANAPALUM ultimum *Aſſyrii* Imperii Regem fuiſſe; & ASTIBAREM, atque ASTYAGEM fuiſſe *Medorum* Reges; ſed omnibus nimiam vetuſtatem tribuit, & gloriæ ſerviens nimiâ cum libertate nomina & facta commentus eſt, quò Lectoribus ſuis placeret.

Judæi nuper è *Babyloniâ* reverſi hoc pacto peccata confeſſi ſunt: *Nunc igitur, Deus noſter, *** digneris non parva reputare infortunia, quæ ceciderunt ſuper nos, noſtros Reges, noſtros Optimates, & noſtros Sacerdotes, & noſtros Prophetas, ac totum Populum tuum à tempore Regis* Aſſyriæ *ad hos dies*, (Nehem. IX. 32.,) hoc eſt, à tempore Regni *Aſſyriæ*, aut ex quo Imperium hoc exortum eſt: quapropter *Aſſyrium* Imperium tunc initium habuit, cùm Reges *Aſſyriæ* Incolas *Paleſtinæ* exagitare cœperunt; quod accidit PUL Regnum obtinente; hic, & Reges, qui in ejus locum ſucceſſerunt, turbas *Iſraeli* creârunt, & Gentes finitimas ſibi ſubjecerunt, & ſuper aliquot exiguorum & veterum Regnorum ruinas, *Medis* ipſis, æquè ac aliis Nationibus devictis, Imperium ſuum conſtituerunt. Sed victorias haſce penitus ignoravit CTESIAS, quinimo & victorum Regum nomina; neque novit tunc temporis ſtare *Aſſyrium* Imperium, quandoquidem eo tempore *Medos* regnantes ſupponit, & *Aſſyrio* Imperio finem imponit ducentis quinquaginta annis antequàm incepit.

Quidquid autem ſit, fatendum eſt NIMBRODUM *Babyloniæ* Regnum fundaviſſe, quod fortaſſe in *Aſſyriam* extendit: ſed hoc Regnum, ſi compares cum Imperiis poſtea natis, erat valde an-

Digitized by Google

anguſtum: ſiquidem ſolas fertiles *Chaldææ*, *Chalonitidis*, & *Aſſyriæ* planities, quas *Tigris* & *Euphrates* alluunt, complectebatur; & ſi majus fuit, brevi tempore ſtetit, cùm antiquis illis temporibus mos fuerit patri cuique ſua Regna inter filios dividendi. Sic NOACHUS fuit Rex totius orbis; CHAM verò *Africæ*; & JAPHETUS totius *Europæ* & *Aſiæ minoris*; ſed duratura Regna non reliquerunt. Poſt NIMBRODUM nihil legimus de *Aſſyrio* Imperio uſque ad PUL. Quatuor Reges, qui, ABRAHAMO vivente, meridionales *Canaanitidis* partes invaſerunt, venerant è Regionibus, in quas NIMBRODUS dominatus fuerat, & fortaſſe erant ex ejus poſteris, qui Regiones ab eo devictas, partiti fuerant. Judicibus *Iſraelem* regentibus, *Meſopotamia* propriis Regibus gaudebat; (Judic. III. 8.;) & Rex *Zobah* dominatus eſt in Regiones, quas ſecat *Euphrates*, quouſque DAVID eum domuit. (II Sam. VIII. & X.). Regna *Iſraelis*, *Moabi*, *Ammonis*, *Edomis*, *Philiſtiæ*, *Sidonis*, *Damaſci*, & *Hamath* magnæ, nunquam *Aſſyriis*, niſi PUL & ejus ſucceſſoribus ſerviverunt. Idem dicendum eſt de Regnis *Eden*, (Amos I. 5, Reg. XIX. 12.,) & *Haran* aut *Carrhæ*, (Geneſ. XII.; & II. Reg. XIX. 12.,) atque *Sepharvaim* in *Meſopotamiâ*, ac *Chalneh* prope *Bagdad*, Geneſ. X. 10. Iſa. X. 9., & II. Reg. XVII. 31.,) SESACUS & MEMNON multas Gentes domuerunt, & in *Chaldæam*, *Aſſyriam*, & *Perſidem* dominati ſunt; ſed in eorum hiſtoriis non legitur iis obſtaculo fuiſſe Imperium *Aſſyrium* tunc ſtans: quinimo *Suſiana*, *Media*, *Perſis*, *Bactriana*, *Armenia*, *Cappadocia*, & aliæ Regiones ab iis in poteſtatem redactæ fuerunt, & Regibus *Ægypti* continuè paruerunt donec longum Regnum RAMESSIS MEMNONE prognati finem habuit; ut ſupra monſtravimus. Meminit quidem HOMERUS de BACCHO & MEMNONE Regibus *Ægypti* & *Perſidis*; at de Imperio *Aſſyrio* ne verbum quidem. De Imperio Aſſyriorum.

JONAS prophetavit cùm *Iſrael* à *Syriæ* Regibus vexabatur, quod accidit circa finem Regni JOACHÆ, & initium Regni JOÆ Regum. ISRAELIS, &, ut puto, Regnante MOERI, Succeſſore RAMESSIS, Rege *Ægypti*, & circiter ſexaginta annos ante

Digitized by Google

CAP. III. Regnum PUL: *Ninive* tunc longè latéque patebat; sed adeò pascuis plena erat, ut tantummodo centum viginti incolarum millia contineret. Nondum ad tantam potentiam excreverat, ut non terreretur JONÆ sermonibus, neque metueret ne à finitimis invaderetur & intra quadraginta dies subverteretur: paulò ante *Ægyptiorum* Imperio se subduxerat, & sibi proprium Regem præposuerat; sed hic Rex nondum Rex *Assyriæ* dicebatur, sed dumtaxat Rex *Ninivis*, (Jonas III. 6. 7.,) & solemnis jejunii indictio ejus jussu non pluribus Gentibus, neque in totâ *Assyriâ*, sed in solâ *Ninive* & fortasse in pagis ab eâ pendentibus promulgata fuit; at paulò post, cùm *Ninivis* dominium domi firmatum, & in *Assyriam*, sic propriè dictam, extensum fuisset, atque Regnum hoc in finitimas Nationes bella gerere cœpisset, Reges *Ninivis* non ampliùs Reges hujus civitatis, sed *Assyriæ* dicti fuerunt.

Prophetavit AMOS Regnum *Israelis* obtinente JEROBOAMO filio JOÆ paulò postquàm JEROBOAMUS Regna *Damasci* & *Hamath* in potestatem redegit, videlicet, decem aut viginti annos, circiter, ante quam PUL Regnum adiret. Hic (*b*) autem his verbis *Israelem* objurgat eo, quod suis victoriis gloriaretur; *Vos, qui rebus nihili gaudetis, qui dicitis, nonne virtute nostrâ cornua extulimus? Veruntamen, ecce, contra vos Gentem suscitabo, ait Dominus Deus Exercituum, & ea vos malè cruciabit ab ingressu* Hamath *ad torrentem deserti.* Hoc loco Deus se Gentem contra *Israelem* suscitaturum comminatur, sed eam nominatim non designat; celat quænam futura sit, donec *Assyrii* compareant, & arcanum detegant. Sed in vaticiniis ISAIÆ, JEREMIÆ, EZECHIELIS, HOSEÆ, MICHEÆ, NAHUM, SOPHONIÆ, & ZACHARIÆ, qui scripserunt post hujus Monarchiæ ortum, ea pluribus in locis apertè nominatur; quod nunquam fit in AMOS prophetiâ, quanquam ea tota circa *Israelis* & *Syriæ* captivitatem versetur, & multas in *Israelem* minas complectatur: Propheta generatim tantùm dicit futurum ut *Syria* in Capti-

(*b*) Amos. VI. 13. 14.

Digitized by Google

Captivitatem *Kir* adducatur, & ut *Iſrael*, quantumvis nunc potentiâ floreat, captivus ultra *Damaſcum* trahatur, atque ut Deus ſuſcitet Gentem illum vexaturam, intelligens Deum elaturum ſupra *Iſraelem* ab humiliore conditione Gentem, quam ille nondum timebat; hic enim eſt ſenſus *hebraïci* verbi מקם cùm de hominibus dicitur, ut in *Amos* v. 2., & I. *Sam.* XII. 11., ac *Pſal.* CXIII. 7., & *Jerem.* X. 20. l. 32., & *Hab.* I. 6. atque *Zach.* XI. 16. Cùm AMOS *Aſſyrios* nominatim non deſignaverit, ii certè, quo tempore hæc Prophetia ſcripta eſt, parum nobiles erant; ſed ſupra *Iſraelem* extollendi erant; igitur potentiâ augeri cœperunt tempore PUL, & hujus Succeſſorum: quandoquidem poſtquam JEROBOAMUS *Damaſci* & *Hamath* potitus fuit, MANAHEM, qui in ejus locum ſucceſſit, *Thapſam* & omnem agrum ad eam pertinentem ad *Euphratem*, devaſtavit, quia eum non receperat; unde patet *Iſraelem* viguiſſe uſque ad tempora PUL, qui, ut videtur, formidabilis redditus ab aliquibus victoriis, MANAHEM pacem emere coegit. Cùm autem PUL Regnum obtinuerit ſtatim poſt AMOS vaticinium, & cùm primus illud impleviſſe memoretur, meritò pro primo Gentium domitore atque *Aſſyrii* Imperii fundatore poteſt haberi. Deus enim *excitavit ſpiritum* PUL, *& ſpiritum* TIGLATH-PHALASSARI *Regis* Aſſyriæ. (I. Chron. V. 20.).

De Imperio Aſſyriorum.

Idem AMOS Propheta, contra *Iſraelem* prophetans, hoc pacto ei infortunia, quæ nuper alia Regna exagitaverant, interminatus eſt. *Petite*, (*c*) ait ille, Calanam, *& videte*; *binc progredimini ad* Hamath, *civitatem magnam*; *deinde deſcendite* Geth Philiſtæorum. *Suntne meliores*, *quàm hæc Regna*? Hæc Regna nondum ab *Aſſyriis* ſubacta fuerant; præter *Calanam* ſive *Chalonitidem* ad *Tigrim* fluvium, inter *Babylonem* & *Ninivem*. Nuper *Geth* potitus fuerat (*d*) OZIAS *Judææ* Rex, *Hamath* verò (*e*) JEROBOAMUS Rex *Iſraelis*: attamen Propheta *Aſſyrios*

(*c*) Amos. VI. 2.
(*d*) II. Chron. XXVI. 6.
(*e*) II. Reg. XIV. 25.

Digitized by Google

CAP. III. *rios Iſraelem* ſubacturos minans, exempla adducit devaſtationes, quas aliæ Gentes fecerant, & nullam memorat civitatem ab *Aſſyriis* domitam, præter *Chalenitidem* prope *Ninivem*; unde conficitur Regem *Ninivis* tunc incipere ſui Regni fines proferre, & nondum multum ſpatii decurriſſe in vaſto illo victoriarum ſtadio, quod paucis annis pòſt illum peregiſſe legimus.

Nam, circiter ſeptem annos pòſt decem Tribus in captivitatem adductas, cùm SENNACHERIBUS in *Syriâ* bella gereret, quòd accidit in ſextâ & decimâ Olympiade, hæc (*f*) *Judæ* Regi dicenda mandavit: *Ecce, tu ipſe audiviſti quænam Reges* Aſſyriæ *fecerint omnibus Regionibus, eas omnino deſtruentes; & tu ſervaberis? Servaverunt-ne Dii Gentium illos, quos Dii patrum meorum devaſtaverunt, ut* Gozan, *&* Haran, *&* Reſeph, *& filios* Eden, *qui erant in* (Regno) Thelaſar? *Ubinam eſt Rex* Hamath, *ubi Rex* Arpad *ubi Rex urbis* Sepharvaim, *&* Henæ, *&* Ivah? ISAIAS (*g*) autem Regem *Aſſyriæ* ſic ſe jactantem inducit: *Nonne prorſus Regibus ſimiles ſunt Optimates mei? Nonne* Calana (ſive *Calneb*) eſt *ut* Charcamis? *Nonne* Hamath *ut* Arpad? *Nonne* Samaria *ut* Damaſcus? *Ut manus mea evertit Regna Idolorum, ea, quorum imagines exculptæ præſtantiores ſunt imaginibus* Jeroſolymæ *&* Samariæ, *nonne, ut feci* Samariæ *& ejus Idolis idem faciam* Jeroſolymæ, *& ejus Idolis*? Omnis hæc Regnorum populatio, tanquam recens, ad exterrendos *Judæos* affertur, & hæc Regna ad *Aſſyriæ* fines pertingunt; atque, ad oſtendendum quantum terrarum ſubactum fuerit, dicuntur *omnes Regiones*, omne id, videlicet, quod undequaque eſt circa *Aſſyriam*. Mos erat Regibus *Aſſyriæ*, quò populorum nuper domitorum rebellionibus obviam irent, eos captivos trahere, è Regione unâ in aliam adducere, & diverſimodè miſcere; unde apparet (*h*) *Halab*, *Habor*, *Haram*, *Gozan*, & urbes *Medorum*, in quas *Galilæi* & *Samaritani* traducti fuerunt; & *Kir*, in quam *Damaſceni*; atque *Babylonem*, *Cluth*, vel *Suſanechites*, & *Hamath*, & *Avam*, & *Sepharvaim*, & *Dinaites*, &

(*f*) II. Reg. XIX. 11.
(*g*) Iſa. X. 8
(*h*) I. Chron. V, 26. & II. Reg. XVI. 9. & XVII. 6. 24. & Eſdra IV. 9.

Digitized by Google

& *Apharſachites*, & *Tarpelites*, & *Archevites*, & *Dehavites*, & *Elamites*, & *Perſas*, quarum omnium Gentium partes ab ASSERHADONE & iis qui ante eum regnaverant, captivæ relictæ fuerunt in *Samariâ*, omnes ab Aſſyriis paulo ante devictas fuiſſe. De Imperio Aſſyriorum.

Ex hiſce Regionibus ſubactis, ad Orientem & Meridiem *Aſſyriæ*, erant Regna *Meſopotamiæ*, quorum Reges conſidebant *Haran* aut *Charræ*, & *Charcami*, ſive *Circutii*, & *Sepharvaim*, quæ civitas erat ad *Euphratem*, & quæ dicitur *Sipparæ* à BEROSO, ABYDENO, & POLYHISTORE, atque *Sipphara* à PTOLEMÆO; Erant quoque Regna *Syriæ*, quorum ſedes erant *Samaria*, *Geth*, *Hamath*, *Arpad*, & *Rephed*, quam civitatem PTOLEMÆUS prope *Thapſacum* ſtatuit. Ad eas *Aſſyriæ* partes, quæ ad Meridiem vergunt, & quæ à Meridie ad Occidentem declinant, erant *Babylon*, *Calana* vel *Calneh* vel *Calno*, quam urbem fundaverat NIMBRODUS ubi nunc eſt *Bagdad*, & à quâ nomen duxerat *Chalonitis*, Regio latè patens quæ ei ſerviebat; erat *Talaſſar* ſive *Talatha*, civitas filiorum EDEN à PTOLEMÆO poſita in *Babyloniâ* Regione ad *Tigris* & *Euphratis* confluentem; qui ideo erat fluvius Paradiſi; erant *Archevites* vel *Erchevites*; qui colebant *Arecam* aut *Erech*, quæ urbs condita fuerat à NIMBRODO ad orientem *Paſitigridis* inter *Apameam* & *Sinum Perſicum*; erant *Suſanchites* occupantes *Cuth* ſive *Suſam*, *Suſianæ* metropolim. Ad Orientem erant *Elymais*, & plures *Medorum* civitates, & *Kir*, (*i*) urbs & vaſta Regio *Mediæ* inter *Elymaidem* & *Aſſyriam*; eam civitatem *Kirenem* quidem *Chaldæus* Paraphrates & *Latinus* Interpres, *Carinem* verò PTOLEMÆUS appellant: Ad eam partem, quæ inter Septentrionem & Occidentem jacet, erant *Habor* ſive *Chaboras*, montibus aſpera Regio inter *Aſſyriam* & *Mediam*, atque *Apharſachites* aut Incolæ *Arrapachitis*, Regionis principio habitatæ à poſteris ARPHAXADI & à PTOLEMÆO locatæ prope montes *Aſſyriæ* propiores. Ad Septentrionem inter *Aſſyriam* & montes *Gordiæos*

(*i*) Iſa. XXII. 6.

Digitized by Google

CAP. III. *dicos* erat *Halah* sive *Chalach* metropolis *Calachenis*; &, prætet has Regiones, ad *Mare Caspium* erat *Gozan*, quæ à PTOLEMÆO *Gauzania* nuncupatur. Hoc pacto Regiones nuper *Assyrio* Imperio adjectæ ab *Assyriâ* ipsâ quaquaversùm longè latéque patebant, & magnam hanc Monarchiam constituebant; ita ut Rex *Assyriæ* jactare posset, quòd exercitus sui Regiones omnes devastaverant. Hactenus hisce (*k*) omnibus Gentibus fuerant diversi Dii, & unaquæque Deum suum suæ Regionis Deum, ejúsque defensorem contra finitimarum Regionum, & præsertim contra *Assyriæ* Deos reputabat; illæ igitur antea Regno *Assyriorum* adjectæ nunquam fuerant; cùm præcipuè Rex *Assyriæ* eas pluries devictas fuisse non ostentet, hæc autem Regna, quoniam erant exigua, facilè ab *Assyriis* in potestatem redacta fuerunt: *Nostis-ne*, dixit (*l*) *Judæis* SENNACHERIBUS, *quid ego & patres mei omnibus aliarum Regionum populis fecerimus? *** si nullus nullius Gentis aut Regni Deus populum suum è manu meâ & è patrum meorum manu liberare valuit; quanto minùs Deus vester vos è manu meâ liberabit?* Quapropter ipse & ejus patres, PUL, TIGLATH-PHALASSARUS, & SALMANASSARUS magni Gentium domitores fuerant, atque nuper continuis victoriis omnes Gentes *Assyriæ* quoquoversum circumfusas subegerant, & hoc pacto *Assyrium* Imperium condiderant.

Regna JEROBOAMI secundi, & hujus filii ZACHARIÆ, Regum *Israelis*, decem vel duodecim annorum, circiter, interregno disjuncta fuerunt: & Propheta OSEAS (*m*), per hoc interregnum sive paulò pòst loquitur de quodam *Assyriæ* Rege, nomine JAREB, & de alio victoriis claro, nomine SHALMAN sive SALMAN; fortasse vox *Shalman* aut *Salman* est prima pars vocis *Shalmanassari*, vel *Shalmaneseri*; & *Jareb* sive *Irib*, (utroque enim pacto legere licet,) ultima *Sennacheribi*, quod nomen fuit Regi, qui in SALMANASSARI locum successit: sed,

(*k*) II. Reg. XVII. 24. 30. 31. & XVIII. 33. 34. 35. & II. Chron. XXXII. 15.

(*l*) II. Chron. XXXII. 13. 15.

(*m*) Osea V. 13., & X. 6. 14.

Digitized by Google

ſed, quicunque demum hi Reges fuerint, eos ante SALMANASSARUM Regno potitos non apparet. PUL ſive BELUS primus videtur, qui extra Provinciam *Aſſyriam* arma victricia protulerit; hic ſibi ſubjecit *Calanam* cum agro ſuo, JEROBOAMO regnante, (Amos I. 1., & VI. 2., & Iſa. X. 8. 9.,) &, Regno ad MANAHEM devoluto, *Iſraelem* invaſit, (II. Reg. XV. 19.,) ſed ibi commoratus non eſt, quia mille talentis argenteis à MANAHEM delinitus fuit: igitur, eo Regnum obtinente, Imperium *Aſſyrium* ultra *Tigrim* extendebatur; hic enim fuit bellator eximius, & *Haram*, *Charcamin*, *Thalaſſar*, *Reſeph*, & *Calanam* ſubmiſit, & fortaſſe, *Babylonem* aut fundavit aut auxit, & veterem Regiam ædificavit. De Imperio Aſſyriorum.

Diſcimus ab HERODOTO, quòd una ex *Babylonis* portis vocabatur (*n*) porta SEMIRAMIDIS; & quòd hæc civitatis valla, BELíque Templum ornaverat; & vixerat (*o*) quinque Generationibus ante NITOCRIM, matrem LABYNITI ſive NABONNEDI, poſtremi Regis *Babylonis*. Ea ergo quatuor Generationibus, vel centum triginta quatuor annis, circiter, ante NABUCHODONOSORUM, floruit, & idcirco dum Regnum obtinebat TIGLATH-PHALASSARUS, qui in locum PUL ſucceſſerat: ii, qui CTESIAM ſecuti ſunt, affirmant *Babylonem* condidiſſe SEMIRAMIDEM viduam filii & Succeſſoris BELI, qui Imperium *Aſſyrium* fundaverat, ideſt, viduam unius ex filiis PUL: ſed BEROSUS (*p*) *Chaldæus Græcos* reprehendit eo, quòd *Babylonem* à *Semiramide* conditam affirment; & alii Auctores ajunt hanc urbem ab ipſo BELO, videlicet, à PUL fundatam fuiſſe; ſic CURTIUS (*q*), SEMIRAMIS Babylonem *condiderat*, *vel*, *ut plerique credidere*, BELUS, cujus *Regia oſtenditur*; & ABYDENUS, qui ad hiſtoriam ſuam conſcribendam uſus eſt antiquis *Chaldæorum* monumentis, inquit (*r*), Λέγεται Βῆλον

(*n*) Herod. l. III. c. 155.
(*o*) Herod. l. 1. c. 184.
(*p*) Beroſ. apud. Joſeph. contra Appion. l. 1.
(*q*) Curt. l. 5 c. 1.
(*r*) Apud Euſeb. Præp l. 9. c. 41.

Digitized by Google

CAP. III. Βῆλον Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν· τῷ χρόνῳ δὲ τῷ ἰκνυμένῳ ἀφανισθῆναι· τειχίσαι δὲ ἄυθις Ναβυχοδονόσορον, τὸ μέχρι τῆς Μακεδονίων ἀρχῆς διαμεῖναν ἰὸν χαλκόπυλον· *Traditur* BELUM *muris* Babylona *circumclausisse, qui tempore labente destructi fuerunt*: & NABUCHODONOSORUM *deinde novos muros cum æneis portis extruxisse, qui ad* Macedonici *Imperii tempus usque steterunt*: sic DOROTHEUS (*s*), vetus Poeta *Sidonius*.

Ἀρχαῖη Βαβυλῶν, Τυρίῳ Βήλοιο πόλισμα·
Antiqua Urbs Babylon: Tyrio *jam condita* BELO.

ideſt à *Syrio* vel *Aſſyrio* BELO; quandoquidem verba *Tirius*, *Sirius*, & *Aſſyrius* promiſcuè in eundem ſenſum antiquitùs accipiebantur. Auctor eſt HERENNIUS (*t*) eam conditam fuiſſe à BELI filio; hic autem filius eſſe poteſt NABONASSARUS. Fieri poteſt, ut, ſubactis *Calanâ*, *Thalaſſâ*, & *Sipparis*, BELUS *Chaldææ* ſit potitus, cœperítque *Babylonem* condere, atque illam juveni huic filio reliquerit; etenim, omnes *Babyloniæ* Reges in PTOLEMÆI Canone dicuntur *Aſſyrii*, & eorum primus eſt NABONASSARUS: & NABUCHODONOSORUS (*v*) ſemet ipſe dicit BELI poſterum, ſcilicet *Aſſyrii* PUL; atque *Babilonis*, fundationem ISAIAS *Aſſyriis* adſcribit (*x*), *ecce*, inquit, *Regionem* Chaldæorum: *hic populus non extitit, donec* Aſſyrius *eum fundavit eorum gratiâ, qui degunt in* deſertis, (ideſt, *Arabum* gratiâ). *Ille Turres illius extruxit, ille Regias illius excitavit.* Ex omnibus hiſce igitur conficiendum videtur PUL mœnia & Regias *Babylonis* fundaviſſe, & hanc urbem cum *Chaldæâ* provinciâ juveni filio NABONASSARO reliquiſſe; NABONASSARUM verò ultimam manum impoſuiſſe iis, quæ pater inchoaverat, Templúmque JOVI BELO, patri, condidiſſe; SEMIRAMIDEM verò tunc vixiſſe, & NABONASSARI conjugem

(*s*) Doroth. apud Jul. Firmic
(*t*) Heren. apud. Steph. in Βαβ.
(*v*) Abyd. apud Euſeb. in Præpar. L. 9. c. 41.
(*x*) Iſa. XXIII. 13.

Digitized by Google

jugem fuisse; quoniam, teste HERODOTO, ex *Babylonis* portis unâ dicebatur porta SEMIRAMIDIS: at, utrùm Regno potita sit post Viri mortem, nec-ne, potest in dubium revocari. De Imperio Assyriorum.

Igitur PUL Regno *Ninivis* successorem habuit TIGLATH-PHALASSARUM, filium natu maximum, eodem tempore, quo NABONASSARO, natu minimo, *Babylonem* reliquit. TIGLATH-PHALASSARUS, secundus *Assyriæ* Rex, *Phœniciam* aggressus est, & cepit *Galilæam* duásque Tribus, & tertiæ dimidium, temporibus PEKACHI Regis *Israelis*, & eas transtulit *Labelam*, *Habor*, & *Haram*, atque ad fluvium *Gozan*, loca sita ad occidentales *Mediæ* fines inter *Assyriam* & *Mare Caspium*, (II. Reg. XV. 29., & I. Chron. V. 26.;) &, circiter quintum vel sextum annum NABONASSARI, suppetias tulit Regi *Judæ* contra Reges *Israelis* & *Syriæ*, Regnúmque *Syriæ*, cujus caput DAVIDIS tempore fuerat *Damascus*, evertit, *Syriós*que *Kir* in *Mediâ* transtulit, ut AMOS prædixerat, atque alias Gentes in *Damasci* Regionibus locavit, (II. Reg. XV. 37., & XVI. 5. 9. Amos I. 5. Josephus Antiq. l. 9. c. 13.;) hinc verisimile videtur *Medos* antea subactos fuisse, & jam *Assyriorum* Imperium ad magnam potentiam elatum fuisse: nam, *Deus* Israelis *excitavit animum* PUL *Regis* Assyriæ, *& animum* TEGLATH-PHALASSARI *Regis* Assyriæ ad gerendum bellum, (I. Chron. V. 26.)

SALMANASSARUS aut SHALMANESERUS, qui à TOBIA dicitur EMENESSARUS, totam (*y*) *Phœniciam* invasit, *Samariam* cepit, in captivitatem adduxit *Israelem*, eum statuit *Halæ* & *Chabor* propè fluvium *Gozan*, atque in *Medorum* civitatibus; OSEAS Propheta (*z*) dicere videtur eum *Arbelâ* potitum: hujúsque Successor SENNACHERIBUS affirmat patres suos in potestatem quoque redegisse *Gozan*, & *Haran* sive *Carrhas*, & *Reseph* vel *Resen*, atque filios EDEN, & *Arpad* aut *Aradios*, (II. Reg. XIX. 12.).

(*y*) Tob. I. 13. Annal. Tyr. apud Joseph. Antiq. l. 9. c. 14.
(*z*) Oseas X. 14.

Digitized by Google

CAP. III. Βῆλον Βαβυλῶνα τεῖχει περιβαλεῖν· τῷ χρόνῳ δὲ τῷ ἰκνυμένῳ ἀφανισθῆναι· τειχίσαι δὲ ἄυθις Ναβυχοδονόσορον, το μέχρι τῆς Μακεδονίων ἀρχῆς διαμεῖναν ἰὸν χαλκόπυλον· *Traditur* BELUM *muris* Babylona *circumclausisse, qui tempore labente destructi fuerunt*: & NABUCHODONOSORUM *deinde novos muros cum æneis portis extruxisse, qui ad* Macedonici *Imperii tempus usque steterunt*: sic DOROTHEUS (*s*), vetus Poeta *Sidonius*.

Ἀρχαῖη Βαβυλῶν, Τυρίς Βήλοιο πόλισμα·
Antiqua Urbs Babylon: Tyrio *jam condita* BELO.

ideſt à *Syrio* vel *Aſſyrio* BELO; quandoquidem verba *Tirius*, *Sirius*, & *Aſſyrius* promiſcuè in eundem ſenſum antiquitùs accipiebantur. Auctor eſt HERENNIUS (*t*) eam conditam fuiſſe à BELI filio; hic autem filius eſſe poteſt NABONASSARUS. Fieri poteſt, ut, ſubactis *Calanâ*, *Thalaſſâ*, & *Sipparis*, BELUS *Chaldææ* ſit potitus, cœperítque *Babylonem* condere, atque illam juveni huic filio reliquerit; etenim, omnes *Babyloniæ* Reges in PTOLEMÆI Canone dicuntur *Aſſyrii*, & eorum primus eſt NABONASSARUS: & NABUCHODONOSORUS (*v*) ſemet ipſe dicit BELI poſterum, ſcilicet *Aſſyrii* PUL; atque *Babilonis*, fundationem ISAIAS *Aſſyriis* adſcribit (*x*), *ecce*, inquit, *Regionem* Chaldæorum: *hic populus non extitit*, *donec* Aſſyrius *eum fundavit eorum gratiâ*, *qui degunt in* deſertis, (ideſt, *Arabum* gratiâ). *Ille Turres illius extruxit*, *ille Regias illius excitavit*. Ex omnibus hiſce igitur conficiendum videtur PUL mœnia & Regias *Babylonis* fundaviſſe, & hanc urbem cum *Chaldæâ* provinciâ juveni filio NABONASSARO reliquiſſe; NABONASSARUM verò ultimam manum impoſuiſſe iis, quæ pater inchoaverat, Templúmque JOVI BELO, patri, condidiſſe; SEMIRAMIDEM verò tunc vixiſſe, & NABONASSARI conjugem

(*s*) Doroth. apud Jul. Firmic
(*t*) Heren. apud. Steph. in Βαβ.
(*v*) Abyd. apud Euſeb. in Præpar. L. 9. c. 41.
(*x*) Iſa. XXIII. 13.

Digitized by Google

jugem fuiſſe; quoniam, teſte HERODOTO, ex *Babylonis* portis una dicebatur porta SEMIRAMIDIS: at, utrùm Regno potita ſit poſt Viri mortem, nec-ne, poteſt in dubium revocari. De Imperio Aſſyriorum.

Igitur PUL Regno *Ninivis* ſucceſſorem habuit TIGLATH-PHALASSARUM, filium natu maximum, eodem tempore, quo NABONASSARO, natu minimo, *Babylonem* reliquit. TIGLATH-PHALASSARUS, ſecundus *Aſſyriæ* Rex, *Phœniciam* aggreſſus eſt, & cepit *Galilæam* duáſque Tribus, & tertiæ dimidium, temporibus PEKACHI Regis *Iſraelis*, & eas tranſtulit *Labelam*, *Habor*, & *Haram*, atque ad fluvium *Gozan*, loca ſita ad occidentales *Mediæ* fines inter *Aſſyriam* & *Mare Caſpium*, (II. Reg. XV. 29., & I. Chron. V. 26.;) &, circiter quintum vel ſextum annum NABONASSARI, ſuppetias tulit Regi *Judæ* contra Reges *Iſraelis* & *Syriæ*, Regnúmque *Syriæ*, cujus caput DAVIDIS tempore fuerat *Damaſcus*, evertit, *Syriósque Kir* in *Mediâ* tranſtulit, ut AMOS prædixerat, atque alias Gentes in *Damaſci* Regionibus locavit, (II. Reg. XV. 37., & XVI. 5. 9. Amos I. 5. Joſephus Antiq. l. 9. c. 13.;) hinc veriſimile videtur *Medos* antea ſubactos fuiſſe, & jam *Aſſyriorum* Imperium ad magnam potentiam elatum fuiſſe: nam, *Deus* Iſraelis *excitavit animum* PUL *Regis* Aſſyriæ, *& animum* TEGLATH-PHALASSARI *Regis* Aſſyriæ ad gerendum bellum, (I. Chron. V. 26.)

SALMANASSARUS aut SHALMANESERUS, qui à TOBIA dicitur EMENESSARUS, totam (*y*) *Phœniciam* invaſit, *Samariam* cepit, in captivitatem adduxit *Iſraelem*, eum ſtatuit *Halæ* & *Chabor* propè fluvium *Gozan*, atque in *Medorum* civitatibus; OSEAS Propheta (*z*) dicere videtur eum *Arbelâ* potitum: hujúſque Succeſſor SENNACHERIBUS affirmat patres ſuos in poteſtatem quoque redegiſſe *Gozan*, & *Haran* ſive *Carrhas*, & *Reſeph* vel *Reſen*, atque filios EDEN, & *Arpad* aut *Aradios*, (II. Reg. XIX. 12.).

(*y*) Tob. I. 13. Annal. Tyr. apud Joſeph. Antiq. l. 9. c. 14.
(*z*) Oſeas X. 14.

Digitized by Google

CAP. III. SENNACHERIBUS filius SALMANASSARI decimo quarto EZECHIÆ anno *Phœniciam* invasit, plures *Judæ* civitates cepit, & *Ægyptum* aggressus est: sed SETHON aut SEVECHUS Rex *Ægypti*, & TIRHAKAH Rex *Æthiopiæ* in eum copias eduxerunt, atque ille unius noctis spatio centum octoginta quinque hominum millia amisit, seu pestilentiâ, seu fortasse fulminibus, aut vento quodam ferventi, qui aliquando ex proximis desertis flat, seu potiùs quia à SETHONE & TIRHAKAH inopinatò fuit adpetitus; quandoquidem *Ægyptii* in hujus facti memoriam statuam manu murem tenentem SETHONI posuerunt; *Ægyptiis* autem mus est destructionis Symbolum. Hac clade acceptâ SENNACHERIBUS *Ninivem* repetere properavit; atque ejus Regnum (*a*) tantis turbis fuit exagitatum, ut TOBIAS in *Mediam* ire nequiverit, quoniam, ut opinor, tunc *Medi* desciverant; Rex ille paulò pòst obtruncatus fuit à duobus ex filiis suis, qui *Armeniam* fugâ petierunt, & in ejus locum ASSERHADON filius suffectus est. Tunc temporis MERODACH-BALADANUS sive MARDOCEMPADUS Rex *Babyloniæ* legatos misit ad EZECHIAM Regem *Judæ*.

ASSERHADON, (quem (*b*) TOBIAS SARCHEDONEM, septuaginta Interpretes ASORDANUM, & PTOLEMÆUS in Canone ASSARADINUM appellant, Regnum *Ninivis* adivit anno NABONASSARI quadragesimo secundo; & anno sexagesimo octavo super *Babylonem* illud extendit: tunc reliquos *Samaritanos* in captivitatem traxit, & *Samariam* habitatum misit captivos ex variis Regni sui partibus abductos, *Cinaites*, *Arphar*sachites*, *Tarpelites*, *Apharsites*, *Archevites*, *Babylonios*, *Susanchites*, *Dehavites*, & *Elamites*, (Esdra IV. 2. 9;) igitur in hasce omnes Gentes dominatus est. PEKAHUS & RAZIN, Reges *Samariæ* & *Damasci* invaserunt *Judæam* primo ACHAZ anno & sexaginta quinque annis pòst, idest, anno MANASSIS vicesimo primo, & NABONASSARI sexagesimo nono, *Samaria*,

(*a*) Tob. I. 15.
(*b*) Tob. I. 21., & II. Reg. XIX. 37. Ptol. Can.

Digitized by Google

ria, propter hanc captivitatem, Gens esse desiit, (Isa. VII. 8.). Deinde ASSERHADON *Judæam* invasit, *Azotum* cepit, MANASSEM captivum *Babylonem* traxit; atque etiam (*c*) *Ægyptum*, *Thebaidem*, & *Æthiopiam* supra *Thebaidem* sibi subjecit; & hoc bello *Æthiopum* in *Ægyptios* dominationi finem imposuisse videtur anno NABONASSARI septimo vel octavo supra septuagesimum. De Imperio Assyriorum.

Dum summa rerum erat apud SENNACHERIBUM & ASSERHADONEM, Imperium *Assyrium*, ut videtur, ad splendoris & potentiæ culmen ascenderat; siquidem ab uno Rege totum pendebat, atque *Assyriam*, *Mediam*, *Apolloniatidem*, *Susianam*, *Chaldæam*, *Mesopotamiam*, *Ciliciam*, *Syriam*, *Phœniciam*, *Ægyptum*, *Æthiopiam*, & *Arabiæ* partem complectebatur, atque, ad Orientem, ad *Elymaidem*, ac *Parætacenem*, *Medorum* provinciam, pertingebat: quòd si *Chalach* aut *Hala*, & *Chabor* sive *Habor* sunt *Colchis*, & *Iberia*, ut nonnulli putant, & ut non à verisimile alienum apparet ob circumcisionem, quæ his Gentibus usui erat vel HERODOTO vivente, addendæ quoque sunt hæ duæ provinciæ, cum utrâque *Armeniâ*, *Ponto*, & *Cappadociâ* ad fluvium *Halym* usque: quandoquidem ait HERODOTUS (*d*) populum *Cappadociæ* ad hunc fluvium usque dictum fuisse *Syrium* à *Græcis* tum ante, tum post CYRI tempora, & *Assyrios* ipsos à *Græcis Syrios* appellatos fuisse.

Interea *Medi* ab *Assyriis* desciverunt Regno SENNACHERIBI propiùs ad finem spectante, suadente, puto, clade prope *Ægyptum* ab illo acceptâ, ejúsque fugâ *Ninivem* versùs; tunc enim Regiones, quæ SENNACHERIBO serviebant, adeò turbis vexatæ fuerunt, ut TOBIÆ in *Mediam* proficisci non licuerit, quemadmodum supra diximus, (Tob. I. 15.,) atque paulò post TOBIAS filium in *Mediam* misit, ubi fieri potest ut pacem expectaverit, donec *Ninive*, secundùm *Jonæ* prophetiam, destrueretur. Scribit CTESIAS *Medum* ARBACEM, cùm in Regiâ visum SAR-

(*c*) Isa. XX. 1. 3. 4.

(*d*) Herod. l. 1. c. 72. & l. 7. c. 63.

Digitized by Google

CAP. III. SARDANAPALUM admissus eum inter fœminas vitam inter delicias trahere animadvertisset, cum *Medis* defciviſſe, atque, unà cum BELESI *Babylonio*, illum ſuperaſſe & coegiſſe ad ſe Regiámque incendendam ; Sed alii melioris notæ Scriptores diſſentiunt ; nam, DURIS (*e*) & alii plures affirmant ARBACEM hunc in Regiâ admiſſum, cùm effœminatam SARDANAPALI vitam deprehendiſſet, ſibimet ipſum violentas manus intuliſſe ; & CLITARCHUS vitam finiviſſe SARDANAPALUM jam ſeniorem, amiſſâ *Syria* : eam verò Gentium occidentalium rebellione amiſit ; apud HERODOTUM (*f*) autem legitur, quòd *Medi* primi deſciverunt, & libertatem ſuam armis contra *Aſſyrios* defenderunt, iis non ſubactis ; & quòd rebellionis initio Regem non habuerunt, ſed paulò poſt ſibi DEJOCEM præfecerunt, & *Ecbatanam*, ubi conſideret, ædificârunt ; quódque DEJOCES in ſolam *Mediam* dominatus eſt, & pacato Regno quatuor & quinquaginta annos potitus eſt ; ſed hujus filius atque ſucceſſor PHRAORTES bellum finitimis intulit, & *Perſidem* ſibi ſubjecit ; & quòd, multo poſt tempore, *Syrii* pariter aliæque Gentes Occidentales, animos præbente *Medorum* exemplo, ab *Aſſyriis* deſciverunt ; poſt quam rebellionem PHRAORTES *Aſſyrios* aggreſſus eſt, ſed ab iis in hoc bello fuit interemptus, cùm Regnum per annos duos ſupra viginti obtinuiſſet. ASTYAGES in ejus locum ſucceſſit.

Jam, videtur ASSERHADONEM eſſe SARDANAPALUM, illum qui jam ſenior poſt Syriæ rebellionem vitâ ceſſit, nomine *Sardanapalus* ducto ab *Aſſerbadon-Pul.* SARDANAPALUS fuit filius (*g*) ANACYNDARAXIS, CYNDARAXIS, aut ANABAXARIS Regis *Aſſyriæ* ; quæ nomina per corruptionem à *Sennacheribo*, nomine patris ASSERHADONIS derivata videntur. SARDANAPALUS uno die *Tarſum* & *Anchialem* exædificavit ; quapropter, ante Gentium occidentalium rebellionem, *Ciliciam* ditione tenuit : &, ſi hic eſt ipſe ASSERHADON, in ejus

(*e*) Apud Athenæum l. XII. p. 528.
(*f*) Herodot. l. 1. c. 96. &c.
(*g*) Athenæus l. 12. p. 529. 530.

Digitized by Google

ejus locum ſuffectus eſt SAOSDUCHINUS anno NABONASSARI octogeſimo primo; &, ob hanc revolutionem, MANASSES libertate donatus domum reverſus eſt, & *Jeroſolymam* munivit; *Ægyptii* pariter, cùm tres annos ab *Aſſyriis* divexati fuiſſent æquè ac *Æthiopes* (Iſa. XX. 3. 4.) libertatem receperunt, &, ut priùs, à duodecim *Ægyptiis* Regibus, eodem tempore gubernati fuerunt, quemadmodum ſuperiùs retulimus. *Aſſyrii Ægyptios* aggreſſi ſunt, illóſque domuerunt primo horum trium annorum, & duobus, inſuper, annis in eos dominati ſunt: atque hi duo anni conficiunt interregnum, quod AFRICANUS ex MANETHONE ſtatim ante Regnum duodecim Regum ſtatuit. *Scythæ* ex Regionibus, quæ *Touran* aut *Tourqueſtan* dicuntur præter fluvium *Oxum* tunc temporis *Perſidem* infeſtam habere cœperunt, & fieri poteſt ut ab aliquâ ex eorum incurſionibus Occidentales Gentes deſciſcendi occaſionem arripuerint. De Imperio Aſſyriorum.

Anno NABONASSARI centeſimo primo in SAOSDUCHINI, qui viginti annos Regno potitus fuerat, locum CHYNILADON ſucceſſit Regno *Babyloniæ*, &, ut arbitror, *Ninivis*; nam, mihi CHYNILADON eſt NABUCHODONOSORUS ille, de quo mentio fit in libro JUDITH; quoniam hujus Regis hiſtoria ſanè pulchrè temporibus illis accommodatur; quandoquidem ibi legitur, quòd NABUCHODONOSORUS *Rex* Aſſyriorum, *qui regnabat* Ninive, *civitate magnâ*, *anno Regni ſui duodecimo*, *bellum geſſit contra* ARPHAXADUM Medorum *Regem*; tunc ſolus erat, defecerant enim ſociæ Gentes *Ciliciæ*, *Damaſci*, *Syriæ*, *Phœniciæ*, *Moab*, *Ammonis*, & *Ægypti*; ſine quarum auxilio exercitum *Medorum* profligavit, & ARPHAXADUM interemit: ibidem legimus hunc ARPHAXADUM condidiſſe *Ecbatanam*, eſt igitur ſeu DEJOCES, ſeu ejus filius PHRAORTES, qui ad finem perducere potuit urbem illam à patre inchoatam: HERODOTUS (*b*) autem eadem refert de quodam *Aſſyriorum* Rege, qui *Medos* devicit, & eorum

(*b*) Herod. l. 1. c. 102.

Digitized by Google

CAP. III. Regem PHRAORTEM obtruncavit; atque ſubjungit hujus belli tempore, *Aſſyrios*, quorum res aliàs benè ſe habebant ab auxiliis deſertos fuiſſe: quapropter ARPHAXADUS eſt PHRAORTES HERODOTI, qui idcirco enectus fuit circa principium Regni JOSIÆ; ſiquidem bellum hoc exarſit poſtquam *Phœnicia*, *Moab*, *Ammon*, & *Ægyptus* jam ſubactæ deſciverunt, (Judith. I. 7. 8. 9.,) quapropter poſt Regnum ASSERHADONIS, qui eas ſibi ſubjecit. Accidit hoc bellum cùm *Judæi* nuper è captivitate reverſi fuerant, & *Vaſa*, *Altare*, *Templúmque ſanctificata fuerunt poſt propbanationem*, (Judith IV. 3.,) ideſt, ſtatim ac MANASSES eorum Rex *Babylonem* captivus ab ASSERHADONE ductus fuit; &, cùm, hujus Regis interitu, vel ſtatu Imperii *Aſſyrii* aliter mutato, è captivitate cum *Judæis* liberatus fuit, Altare reparavit, & ſacrificia, cultúmque Templi reſtituit, (II. Chron. XXXIII. 11. 16.). *Græca* verſio libri JUDITH ait, (Cap. V. 18.,) quòd *Templum Dei ſolo fuerat æquatum*; ſed hòc non legitur in verſione, quam Divus HIERONYMUS concinnavit; atque in *Græcâ* verſione, (capitibus IV. 3., & XVI 20.), aſſeritur, quòd *Vaſa*, *& Altare*, *ac Domus ſanctificata fuerunt poſt propbanationem*; & in utràque verſione, (Cap. IV. 11.,) agitur de Templo, tanquam exiſtente.

Hoc bello confecto, NABUCHODONOSORUS Rex *Aſſyriæ*, anno ſui Regni decimo tertio, ſecundùm HIERONYMI verſionem, miſit Imperatorem HOLOFERNEM cum ingentibus copiis, ut pœnas ſumeret ab omnibus Gentibus, quæ Imperio parere recuſaverant: HOLOFERNES ad bellum hoc progreſſus eſt cum duodecim Equitum millibus, & centum viginti Peditum ex *Aſſyriâ*, *Mediâ*, & *Perſide* deductorum, atque *Ciliciam*, *Meſopotamiam*, *Syriam*, *Damaſcum*. *Arabiæ* partem, *Ammonem*, *Edom* & *Madian* ſub poteſtate redegit, deinde contra *Judæam* profectus eſt; quod accidit cùm *Judæi* gubernabantur à ſummo Sacerdote & à Senioribus *Iſraelis* (Judith. IV. 8., & VII. 23.,) non ergo dum aut MANASSES aut *Ammon* Regnum tenebant, ſed dum JOSIAS puer erat.

Rebus

Digitized by Google

De Imperio Assyriorum.

Rebus secundis, Filii *Israelis* proclives erant ad falsos Deos sequendos, temporibus verùm infelicibus ad Dominum revertebantur. Sic MANASSEM, Regem sanè impium, pœnituit cùm ab *Assyriis* captivus asservabatur; &, è custodiâ dimissus, cultum veri Dei restituit: itaque, cùm legimus, quòd JOSIAS *anno sui Regni octavo, dum adhuc juvenis esset, quærere cœpit Deum* DAVIDIS *patris sui, & anno Regni sui duodecimo cœpit purgare* Judam & Jerosolymam *ab Idololatriâ, & destruere loca excelsa, Lucos, Altaria, & Imagines Baalim*, (II. Chron. XXXIV. 3.), intelligere possumus hanc in Deum pietatem à periculis vel imminentibus vel evitatis elicitam fuisse. Quando HOLOFERNES contra occidentales Gentes progressus, eásque populatus est, tunc *Judæi* terrore perculsi fuerunt, *Judæam* communiverunt, & *magno fervore ad Dominum clamaverunt, cilicium sumpserunt, & cineres in capita sua miserunt, & clamaverunt ad Deum* Israelis, *ne eorum conjuges, filios, & civitates prædam daret, neque Templum prophanari sineret: atque summus Sacerdos, & Sacerdotes omnes cilicium & cineres sumpserunt, & quotidie holocausta & vota, & spontanea populi dona obtulerunt* (Judith. IV.,) tunc JOSIAS quærere cœpit Deum DAVIDIS patris sui; &, postquam HOLOPHERNES à JUDITH interemptus fuit, & *Assyrii* fugati, atque *Judæi*, qui eos persecuti fuerant, *Jerosolymam* reversi, *adoraverunt Dominum*, & holocausta atque dona obtulerunt, ac tres menses ante Sanctuarium festa celebrârunt, (Judith. XVI. 18.;) tunc JOSIAS ab Idololatriâ *Judæam* & *Jerosolymam* purgare cœpit. Hinc mihi videtur octavum JOSIÆ annum incidere in quartum aut quintum supra decimum NABUCHODONOSORI; & duodecimum NABUCHODONOSORI, quo PHRAORTES, fuit obstruncatus, in quintum aut sextum JOSIÆ. Duos & viginti annos, HERODOTO auctore, Regni potitus est PHRAORTES; quapropter in patris DEJOCIS locum suffectus fuit quadragesimo, circiter, MANASSIS anno, NABONASSARI verò undenonagesimo, & ab *Assyriis* enectus fuit, eique successit ASTYAGES anno NABONAS-

Digitized by Google

CAP. III. SARI undecimo supra centesimum. DEJOCES, secundùm HERODOTUM, Regnum tenuit annos tres & quinquaginta, & horum annorum initium incidit in decimum sextum EZECHIÆ annum; unde probabile videtur *Medos* computavisse ab initio rebellionis suæ; atque juxta totum hoc ratiocinium, Regnum NABUCHODONOSORI cadit in Regnum CHYNILADONIS; quapropter à verosimile alienum non est unum eundémque Regem duobus hisce nominibus vocatum fuisse.

Paulò post PHRAORTIS mortem (*i*) *Scithæ* sub MADEY sive MEDO *Mediam* invaserunt, & *Medos* acie profligârunt, anno NABONASSARI decimo tertio supra centesimum, & hinc *Ægyptum* petiverunt, sed eos in *Phœniciâ* opperiit PSAMMITICHUS, & pecuniâ ab *Ægypto* removit; cùm igitur reversi fuissent, in magnam *Asiæ* partem dominati sunt; sed post duodetriginta annos, circiter, expulsi fuerunt; siquidem *Medi* sub CYAXARE, qui in ASTYAGIS locum successerat, plerosque eorum Optimates Ducésque in convivio de medio sustulerunt, & reliquos loco cedere coegerunt statim ante *Ninivis* eversionem.

Anno NABONASSARI centesimo vicesimo tertio, NABOPOLASSARUS (*j*), qui copiis à CHYNILADONE Rege *Assyriæ* in *Chaldæam* missis imperitabat, ab eo descivit & *Babyloniæ* Regnum occupavit; & in CHYNILADONIS locum tunc aut paulò post Regno NINIVIS successit ultimus *Assyriæ* Rex, quem POLYHISTOR SARACUM appellat: denique NABUCHODONOSORUS filius NABOPOLASSARI duxit AMYITEM filiam ASTYAGIS, & sororem CYAXARIS, quibus nuptiis affinitate conjunctæ hæ duæ familiæ in *Assyrios* conspiraverunt; atque, cùm NABOPOLASSARUS senio confectus esset, ASTYAGES verò mortuus, horum filii NABUCHODONOSORUS & CYAXARES exercitum utriusque Gentis in *Ninivem* duxerunt, SARACUM ob-

(*i*) Herod. l. 1. c. 103. Steph. in Παραθυρίοι.

(*j*) Alexander Polyhistor apud Euseb. in Chron. p. 46., & apud Syncellum pag. 210.

Digitized by Google

obtruncârunt, civitatem everterunt, & *Assyriorum* Regnum partiti sunt. Hanc victoriam *Judæi* quidem *Chaldæis*, *Græci* verò *Medis*, at TOBIAS, POLYHISTOR, JOSEPHUS; & CTESIAS utrique tribuunt. Ea præbuit exordium magnis NABUCHODONOSORI & CYAXARIS facinoribus, & fundamenta jecit duorum collateralium Imperiorum, *Babylonici*, & *Medi*: ea fuerunt duo rami Imperii *Assyrii*; hinc tempus, quo cecidit *Assyrium* Imperium, determinatur, tunc enim juventute florebant ii, qui illud subjecerunt. Regnante JOSIA, cùm SOPHONIAS prophetabat, stabat Imperium *Assyrium*, & ejus eversio ab hoc Propheta prædicta fuit, (Sophon. I. 1., & II. 13.,) ac Regno ejus ad finem vergente, PHARAONECHUS Rex *Ægypti*, PSAMMITICHI successor, contra Regem *Assyriæ* ad *Euphratem* usque processit, *Carkemim* aut *Circutium* aggressurus, & iter faciens JOSIAM obtruncavit, (II. Reg. XXIII. 29., & II. Chron. XXXV. 20.:) quapropter adhuc inter vivos erat ultimus *Assyriæ* Rex. Sed tertio aut quarto anno JOAKIMI, qui JOSIÆ successerat, hi duo victores, expugnatâ *Ninive*, & bello *Assyrio* finito, Occidentem versùs arma victricia tulerunt, & contra Regem *Ægypti*, tanquam eorum in victorias jus usurpantem, copias duxerunt, eúmque prope *Carkemim* devicerunt, & (*i*) Regionibus omnibus, quas *Assyriis* ceperat, spoliaverunt; igitur uno aut altero dumtaxat anno à vero possumus aberrare, si *Ninivis* excidium & casum *Assyrii* Imperii referamus ad secundum JOAKIMI annum, & ad NABONASSARI centesimum & quadragesimum. Nomen *Sarac*, quod ultimo Regi tribuitur fortasse per contractionem, derivatum fuit à nomine *Sarchedon*, & hoc à nominibus *Asserhadon*, *Asserhadan-Pul*, *Sardanapalus*.

De Imperio Assyriorum.

Dum *Assyrii* Regno *Ninivis* potiebantur, *Persis* in plura Regna erat divisa; &, inter cetera, erat Regnum *Elam*, quod floruit temporibus EZECHIÆ, MANASSIS, & JOAKIMI,

(*i*) II. Reg. XXIV. 7., Jerem. XLVI. 12., Epolemus apud Euseb. Præpar. l. 9. c. 35.

Digitized by Google

CAP. III. Regum *Judæ*, & everſum fuit temporibus SEDECIÆ, (Jerem. XXV. 25., & XLIX. 34., ac Ezech. XXXII. 24.,) Hoc Regnum videtur potens fuiſſe, & bella geſſiſſe cum Regibus *Touran*, aut *Scythiæ* ultra fluvium *Oxum*, dubio ſucceſſu, & tandem ſubjectum fuiſſe à *Medis*, & *Babyloniis*, aut ab horum populorum alterutro. Nam, dum NABUCHODONOSORUS in Occidente pugnabat, CYAXARES recuperavit *Aſſyrias* provincias, *Armeniam*, *Pontum*, & *Cappadociam*, ac deinde venit, orientem verſùs, in provincias *Perſidem*, ac *Parthiam*. Utrùm *Piſcadiani*, quos *Perſæ* pro antiquiſſimis eorum Regibus habent, fuerint Reges *Elam* aut *Aſſyriæ*; ac utrùm *Helam Aſſyriis* ſervire cœperit eodem tempore, quo *Babylonia* & *Suſiana*, Regnum tenente ASSERHADONE, & paulò poſt deſciverit, examinandum relinquo.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
VETERUM REGNORUM
EMENDATA.

CAPUT IV.

De duobus Babyloniorum & Medorum Imperiis eodem tempore vigentibus.

CAsu Imperii *Assyrii* Regna *Babyloniorum Medorúm*que magnitudine & potentiâ creverunt. Regna Regum *Babylonis* in PTOLEMÆI Canone definita reperiuntur ; ad quem intelligendum, animadvertere debemus, quòd cujusvis Regis Regnum in hoc Canone ponitur inceptum ultimo *Thoth* Regni præcedentis , ut conjicio conferendo tempora , quibus Canon Imperio potitos facit *Romanos* Imperatores, cùm iis, quibus idem determinant alii Auctores , qui annos, menses, & dies referunt: hinc liquet ex hoc Canone ASSERHADONEM mortuum esse anno NABONASSARI octogesimo primo; SAOSDUCHINUM, ejus successorem undecimo supra centesimum; centesimo vicesimo tertio CHYNILADONEM ; centesimo quadragesimo quarto NABOPOLASSARUM & NABUCHODONOSORUM centesimo octogesimo septimo. Omnes hi Reges, & plures alii, de quibus men-

Digitized by Google

CAP. IV. mentionem facit Canon, unus post alium *Babylone* regnaverunt; sed postremus hic Rex mortuus est anno tricesimo septimo à JECHONIA capto, (II. Reg. XXV. 27.); igitur JECHONIAS captus fuit anno NABONASSARI quinquagesimo supra centesimum.

Hæc captivitas accidit octavo NABUCHODONOSORI, (II. Reg. XXIV. 12.), & undecimo JOAKIMI anno; quandoquidem primus illius annus est hujus quartus, (Jerem XXV. 1.), atque JOAKIMUS regnavit annos undecim ante hanc captivitatem, (II. Reg. XXIII. 36., & II. Chron. XXXVI. 5.); JECHONIAS verò tres menses, quibus captivitas finem habuit; decimus autem annus, ex quo JECHONIAS captus fuit, idem est ac duodevicesimus ex quo NABUCHODONOSORUS Regnum adivit (Jerem. XXXII. 1.), atque undecimus SEDECIÆ, quo anno *Jerosolyma* capta fuit, est undevicesimus NABUCHODONOSORI, (Jerem. LII. 5. 12;) igitur NABUCHODONOSORUS regnare cœpit anno NABONASSARI centesimo quadragesimo secundo, idest, duobus annis ante patris NABOPOLASSARI mortem, siquidem ab ipso patre ad Regnum evectus fuit; JOAKIMUS in patris JOSIÆ locum successit anno NABONASSARI undequadragesimo supra centesimum; & *Jerosolyma* capta, Templúmque combustum fuit anno NABONASSARI centesimo sexagesimo; annis, circiter, viginti post NINIVIS destructionem.

In *Persidem* dominari cœpit DARIUS HYSTASPIS vere anni NABONASSARI ducentesimo vicesimo septimo, ut patet ex Canone, omnium Chronologorum consensu, & pluribus Lunæ Eclipsibus, & *anno Regis* DARII *quarto die quartâ noni mensis, qui est mensis* Chisleu, *cùm* Judæi *misissent ad Dei domum dicentes, flendum-ne nobis est quinto mense, ut flevimus jam multos annos? Verbum Domini compellavit* ZACHARIAM, *dicens, loquere toti populo Regionis, & Sacerdotibus, atque dic, quando jejunâstis & flevistis quinto & septimo mense per hos septuaginta annos, mibi-ne jejunastis & flevistis?* (Zach. VII.).

Versùs

Verſùs antiquiora tempora dinumerentur iſti ſeptuaginta anni, quibus *Judæi* jejunaverant quinto quidem menſe ob Templum combuſtum, ſeptimo verò ob GEDALIÆ cædem, atque incendium Templi; cædéſque GEDALIÆ recidet in quintum & ſeptimum menſem juxta *Judæos*, anni NABONASSARI centeſimi ſexageſimi, ut ſupra. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Sicut Aſtronomi *Chaldæi* tempora, quibus Reges eorum Regno potiti fuerant, dinumerabant ab annis NABONASSARI, principium ducentes à menſe *Thoth*; ſic *Judæi*, teſtibus eorum Scriptoribus, ad ſimile computum adhibebant annos MOSIS, initio cujuſque anni ducto à menſe *Niſan*; etenim, ſiquis Rex paucis diebus ante menſem hunc Regni habenas capeſſebat, hi pauci dies erant pro anno integro, & ejuſdem menſis principium, ſecundum Regis illius annum inchoare cenſebatur; juxta hanc computandi rationem, primus JOAKIMI annus incepit unà cum menſe *Niſan* anno NABONASSARI undequadrageſimo ſupra centeſimum, quanquam is reipſâ regnare cœperit quinque aut ſex menſibus poſt; ac quartus JOAKIMI & primus NABUCHODONOSORI annus, ſecundùm *Judæorum* computationem, initium habuerunt cum menſe *Niſan*, anno NABONASSARI centeſimo quadrageſimo ſecundo, atque primus annus SEDECIÆ & captivitatis JECHONIÆ, nonúſque NABUCHODONOSORI inceperunt cum menſe *Niſan*, anno NABONASSARI centeſimo quinquageſimo; & decimus annus SEDECIÆ, ac duodeviceſimus NABUCHODONOSORI initium duxerunt cum Menſe *Niſan*, anno NABONASSARI ſexageſimo ſupra centeſimum. Jam, anno SEDECIÆ decimo NABUCHODONOSORUS *Judæam* & *Judææ* civitates invaſit, & decimo hujus anni menſe, menſis verò die decimâ, ipſe & ejus exercitus *Jeroſolymam* obſidione cinxerunt, (II. Reg. XXV. 1., Jerem. XXXIV. 1., XXXIX. 1., & LII. 4.). Ab hoc tempore ad decimum menſem ſecundi anni DARII ſunt ad amuſſim ſeptuaginta anni, & juxta id, *viceſimâ quartâ menſis undecimi die, ſecundo* DARII *anno verbum Domini exauditum fuit à* ZACHARIA, *& Angelus Domini ait; ob, Domine exercituum quouſque differes miſericor-*

Digitized by Google

CAP. IV. *diam facere* Jeroſolymæ *& Civitatibus*, Judæ, *quibus iratus fuiſti, bos ſexaginta & decem annos*, (Zach. I. 7. 12.). Igitur nonus SEDECIÆ annus, quo principium habuit hæc indignatio contra *Jeroſolymam* & civitates *Judæ*, cœpit cum menſe *Niſan*, anno NABONASSARI centeſimo quinquageſimo octavo; & undecimus SEDECIÆ, NABUCHODONOSORI verùm undeviceſimus, quo urbs capta & Templum combuſtum fuit, cœpit cum menſe *Niſan*, anno NABONASSARI centeſimo ſexageſimo, ut jam inveneramus.

Omnibus hiſce characteribus anni JOAKIMI, SEDECIÆ, & NABUCODONOSORI ſatis determinati videntur; & hoc pacto *Judæorum* Chronologia, quam vetus Teſtamentum complectitur, connexa eſt Chronologiæ temporum recentiorum; quandoquidem inter SALOMONIS interitum, & nonum annum SEDECIÆ, quo NABUCODONOSORUS *Judæam* invaſit, & *Jeroſolymam* obſedit, tercenti nonaginta anni interfuerunt, ut patet tum ex EZECHIELIS prophetæ vaticiniis, (Cap. IV;) tum ex annis Regum *Judæ* in unum collectis; nonus autem SEDECIÆ annus à vulgari CHISTI *Æra* diſtat intervallo annorum quingentorum & nonaginta: atque hi duo numeri cum dimidio SALOMONIS Regno millenos annos conficiunt.

Regno JOSIÆ ad finem (*a*) ſpectante, anno NABONASSARI undequadrageſimo ſupra centeſimum, PHARAO-NECHUS, qui in PSAMMITICHI locum ſucceſſerat, ex *Ægypto* cum ingentibus copiis contra Regem *Aſſyriæ* profectus eſt; ſed, cùm *Judæi* per Regiones ſuas eum tranſire vetuiſſent, eos prope *Megiddo*, vel *Magdolum* è conſpectu *Ægypti* ſuperavit, JOSIAM eorum Regem interemit, & *Carkemim* ſive *Circutium*, urbem *Meſopotamiæ* ad *Euphratem* petivit, eam cepit, in ditione redegit urbes *Syriæ*, *Riblam* aut *Antiochiam*, JOACHAM novum *Judææ* Regem, accivit, JOSIÆ ſuffecit JOAKIMUM; atque Regnum *Judæ* ſibi vectigal fecit: ſed, cùm interea Rex *Aſſyriæ* obſidione petitus fuerit, domitúſ-

(*a*) II. Reg. XXIII. 29., &c.

Digitized by Google

mitúſque, & *Ninive* urbs everſa ab ASSUERO *Medorum* Rege & à NABUCODONOSORO Rege *Babyloniorum*, & victores hoc pacto jus aliquod haberent in Regiones ad *Aſſyriæ* Regem pertinentes, arma victricia duxerunt contra Regem *Ægypti*, qui earum nonnullas uſurpaverat. Nam, NABUCHODONOSORUS, opitulante (*b*) ASTIBARE, id eſt, ASTIVARE, ASSUERO, ACKSWERE, AXERE, CY-AXERE, vel CYAXARE *Medorum* Rege, anno tertio (*c*) JOAKIMI, venit cum exercitu *Babyloniorum*, *Medorum*, *Syriorum*, *Moabitarum*, atque *Ammonitarum*, qui conſtabat ex decem curruum millibus, centum octoginta peditum, & centum viginti equitum, ac populatus eſt *Samariam*, *Galilæam*, *Scythopolim*, & *Judæos Galaaditis*, *Jeroſolymam* obſedit, cepit Regem JOAKIMUM vivum, quem (*d*) in vinculis aliquandiu retinuit, *Babylonem* adduxit DANIELEM, alióſque, & partem auri, argenti, & æris, quæ in Templo reperivit: anno autem (*e*) JOAKIMI quarto, & NABOPOLASSARI viceſimo, hi duo Reges prope *Circutium* exercitum PHARAONIS-NECHI profligaverunt, bellúmque proſequentes, Regem *Ægypti* ſpoliaverunt Regionibus omnibus, quæ ab *Ægypti* fluvio ad *Euphratem* uſque poſſidebat. Hic *Ægypti* Rex à BEROSO (*f*) dicitur *Satrapes Ægypti*, *Cœle-Syriæ*, & *Phœniciæ*: hæc victoria, in eum relata, ejus in *Cœle-Syriam* & *Phœniciam*, (quas nuper occupaverat,) dominationi finem impoſuit, & NABUCHODONOSORI in eaſdem dominio principium præbuit; ac, ſubactis *Aſſyriâ*, *Syriâque*, Regnum *Babylonicum*, priùs exiguum, Imperium potens evaſit. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Dum NABUCHODONORUS in *Syriâ* bellum gerebat, ejus pater (*g*) NABOPOLASSARUS mortuus eſt, cùm unum ſupra viginti annos Regnum obtinuiſſet; quo audito nuncio, NA-

(*b*) Eupolemus apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 39., & II. Reg. XXIV. 2. 7.
(*c*) Daniel I. 1.
(*d*) Daniel. I. 2., & II. Chron. XXXVI. 6.
(*e*) Jerem. XLVI. 2.
(*f*) Apud Joſeph Ant. l. 10. c. 11.
(*g*) Beroſ. apud Joſeph. Antiqu. l. 10. c. 11.

Digitized by Google

CAP. IV. BUCHODONOSORUS, rebus *Syriæ* compositis, *Babylonem* regressus est, jussitque ut captivi, exercitus, & familiares sequerentur: & postea bellum aliquando gessit, & in potestatem redegit *Sittacenem*, *Susianam*, *Arabiam*, *Idumæam*, *Ægyptum*, & alias Regiones; aliquando paci operam dedit, atque BELI Templum manubiis ornavit, & urbem *Babylonem* magnificis mœniis, portisque, & superbis Regiis, atque pensilibus hortis, auctore BEROSO, condecoravit; &, inter cetera, novos fluvios *Naarmalcham*, & *Pallacopas*, supra *Babylonem* cavavit, & urbem *Teredonem* condidit.

Jam Regi *Babyloniæ Judæa* serviebat, nam, invasa & subacta fuerat tertio & quarto JOAKIMI anno, & JOAKIMUS *ei servivit tres annos, deinde consilium mutavit, & ab eo defecit*, (II Reg. XXIV. 1.). Dum NABUCHODONOSORUS, & *Chaldæorum* exercitus in *Syriâ* degebant, JOAKIMUS, volens nolens, in fide manere cogebatur; his *Babylonem* reversis, tres annos fidus fuit, hoc est, annos Regni sui septimum, octavum, & nonum; decimo verò rebellavit; anno vertente, aut ad finem vergente, videlicet, vere illius anni, NABUCHODONOSORUS copias suas misit, (*b*) *Jerosolymam* obsedit, captivum fecit JECHONIAM, filium & successorem JOAKIMI, Templum spoliavit, ac *Babylonem* duxit Optimates, Artifices, Fabros, & omnes bello aptos, atque tantummodò relictis plebis totius pauperrimis, SEDECIAM (*i*) eorum Regem creavit, quem jurejurando *Babyloniæ* Regi servire adegit: hæc acciderunt vere, undecimo JOAKIMI anno ad finem spectante, & ineunte anno NABONASSARI centesimo quinquagesimo.

Neglectâ jurisjurandi Religione defecit SEDECIAS (*k*), & fœdus percussit cum *Ægypti* Rege; quâ de causâ NABUCHODONOSORUS anno SEDECIÆ nono (*l*) *Judæam*, ejusque civitates invasit, & mense ejusdem anni decimo, (*Judæorum* more,) iterum

(*h*) II. Reg. XXIV. 12. 14., & II. Chron. XXXVI. 10.
(*i*) II. Reg. XXIV. 17., & Ezech. XVII. 13. 16. 18.
(*k*) Ezech. XVII. 15.
(*l*) II. Reg. XXV. 1. 2. 8., & Jerem. XXXII. 1., & XXXIX. 1. 2.

Digitized by Google

iterum *Jeroſolymam* obſidione cinxit, atque undecimo SEDECIÆ anno, menſibus quarto & quinto, poſt unius anni & menſium ſex obſidionem, Civitatem ac Templum cepit & incendit. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

NABUCHODONOSORUS à patre ad Regnum evectus, quinque & quadraginta annos in *Phœniciam* & *Cœle-Syriam* dominatus eſt; attres (*m*) & quadraginta poſt patris interitum; & (*n*) triginta ſeptem poſt JECHONIÆ captivitatem: poſtea verò ei ſucceſſit EVILMERODACHUS filius, dictus ILUARODAMUS in PTOLEMÆI Canone. Diſcimus ex HIERONIMO (*o*) EVILMERODACHUM Regno potitum ſeptem annos, patre adhuc inter vivos agente, qui interea herbam cum Bobus comedebat, & illo in Regnum reſtituto, cuſtodiâ detentum fuiſſe cum JECHONIA *Judæ* Rege, uſque ad patris mortem, in cujus locum Regno ſucceſſit. Anno quinto, ex quo JECHONIAS captus fuerat, BALTHASSARUS omnium gratioſiſſimus erat & primum dignitatis gradum obtinebat apud patrem NABUCHODONOSORUM, qui illum ſibi ſucceſſorem deſignaverat, (Baruch. I. 2. 10. 11. 12. 14.), tunc igitur EVILMERODACHUS Regi odioſus erat. Cùm (*p*) autem thronum aſcendit, amicum & ſocium JECHONIAM è vinculis detraxit die menſis duodecimi viceſimâ ſeptimâ; unde conficitur NABUCHODONOSORUM è vivis exceſſiſſe circa finem hyemis, anno NABONASSARI centeſimo octogeſimo ſeptimo.

Duos annos poſt patris mortem Regno potitus eſt EVILMERODACHUS, atque ob impotentem laſciviam & vitia de medio ſublatus fuit à ſororis ſuæ viro NERIGLISSARO ſive NERGALASSARO, anno NABONASSARI undenonageſimo ſupra centeſimum, juxta Canonem.

NERIGLISSARUS, nomine filii LABOSORDACHI, aut LABOASSERDACHI, adhuc pueri, qui erat NABUCHODONOSORI ex filiâ nepos, Regnum tenuit duos annos, teſtibus Ca-

(*m*) Canon, & Beroſus.
(*n*) II. Reg. XXV 27.
(*o*) Hieron. in Iſa. XIV. 19.
(*p*) II. Reg. XXV. 27. 29. &c.

Digitized by Google

CAP. IV. none & BEROSO, qui tamen breve tempus, quo LABOASSERDACHUS solus dominatus est, complectuntur; quandoquidem LABOASSERDACHUS, secundùm BEROSUM & JOSEPHUM, post patris interitum novem menses Regno potitus est, & deinde ob improbos mores in convivio fuit obtruncatus ab amicis, qui cum NABONNEDO *Babylonio* conspiraverant, & cui, uno consilio, Regnum tradiderunt; Sed hi novem menses in Canone seperatim non recensentur.

Regnum, juxta Canonem, adivit NABONNEDUS sive NABONADIUS anno NABONASSARI centesimo nonagesimo tertio, illúdque obtinuit septemdecim annos, & reliquit anno NABONASSARI decimo supra ducentesimum, cùm tunc victus ille, & *Babylon* à CYRO capta fuisset.

Ultimum hunc *Babyloniæ* Regem LABYNITUM appellat HERODOTUS, eúmque filium fuisse dicit antiquioris cujusdam LABYNITI, & NITOCRIS, clarissimæ Reginæ *Babyloniæ*; pater iste videtur fuisse HERODOTO ille LABYNITUS, qui Rex erat *Babyloniæ*, ut ipse auctor est, quando magna Solis Eclipsis à TALETE prædicta finem imposuit bello, quod jam quinque annos *Medos* & *Lydios* exercuerat; atque hic fuit magnus NABUCHODONOSORUS. Postremum hunc *Babyloniæ* Regem DANIEL (*q*) vocat BALTHASSARUM, ejúsque patrem fuisse NABUCHODONOSORUM affirmat: JOSEPHUS (*r*) autem asserit ultimo *Babyloniæ* Regi nomen fuisse NABOANDELO, juxta *Babylonios*, eúmque septemdecim annos Regno potitum esse; hic igitur est idem *Babyloniæ* Rex, qui NABONNEDUS aut LABYNITUS; quo pacto magis Sacris Scriptis accedimus, quàm si NABONNEDUM extra Regiam familiam natum faceremus; nam, *omnes Gentes debent servire* NABUCHODONOROSO, *& ejus posteritati, donec ejus Regionis tempus quoque veniat, & plures Gentes illam subigant*, (Jerem. XXVII. 7.,) BALTHASARUS ante quintum annum, ex quo JECHONIAS captus fuerat

(*q*) Daniel V. 2.
(*r*) Joseph Antiqu. l. 10. c. 11.

Digitized by Google

rat id est, NABUCHODONOSORI undecimum, natus, & etiam dignitatibus auctus fuerat; igitur triginta quatuor, & ampliùs, annos natus erat cùm EVILMERODACHUS interemptus fuit; quocirca est ipsissimus NABONNEDUS; siquidem LABOASSERDACHUS ex filiâ nepos NABUCODONOSORI puer erat, quando Regnum adivit. De Imperii Babyloniorum & Medorum.

Ait (*f*) HERODOTUS duas fuisse famâ celebratas *Babyloniæ* Reginas, SEMIRAMIDEM & NITOCRIM; & hanc magis prudentiâ & ingenio valuisse; cùm hæc animadvertisset *Medorum* Regnum, accessione plurium civitatum, &, inter ceteras, *Ninivis*, quas sibi subjecerant, magnitudine & potentiâ crevisse, clausit & munivit omnia loca, per quæ *Medi* in *Babyloniam* ingredi potuissent; fluvium, qui priùs rectà fluebat, per multos, & quidem magnos flexus ambitúsque circumduxit, quò leniùs aquas volveret, & difficiliùs extra ripas exundaret; & prope fluvium, supra *Babylonem*, ad *Ægyptii* lacûs MOERIS exemplum, effodit lacum quaquaversum patentem quadraginta passuum millibus, quo fluminis aqua reciperetur, & ad Regionem irrigandam servaretur. Item in ipso *Babylonis* meditullio pontem supra flumen condidit, cujus aquas in lacum, ad pontis exædificationem usque, derivavit. Asserit PHILOSTRATUS (*s*) eam construxisse sub fluvio pontem duodecim pedibus latum; intelligit fornicem, super quem fluvius fluebat, & quo ille transjici poterat: hanc Reginam vocat is Μηδίαν, *Medam*.

Legimus apud BEROSUM hortos pensiles fornicibus superstruxisse NABUCHODONOSORUM, quia ejus uxor, quæ è *Mediâ* erat, montium, qui in *Mediâ* multi sunt, nulli verò in *Babyloniâ*, prospectu gaudebat; hæc fuit AMYITE, filia ASTYAGIS, sorórque CYAXARIS *Medorum* Regis. Illam duxit NABUCHODONOSORUS ob fœdus, quod hæ duæ familiæ contra Regem *Assyriæ* fecerant: sed fieri potest ut NITOCRIS fuerit alia Regina, quæ, cùm summa rerum esset apud LABYNITUM

(*f*) Herodot. l. 1. c. 184. 185.
(*s*) Philostr. in vitâ Apollonii l. 1. c. 15.

Digitized by Google

CAP. IV. TUM ejus filium, Regem voluptatibus deditum & vitiis infamem, Regni curam ſuſcepit, &, quæ ſupra retulimus, fecit. Hæc eſt Regina illa, de quâ DANIEL cap. V. verſ. 10.

Refert JOSEPHUS (*t*) ex *Tyriis* monumentis, quòd, ITHOBALO *Tyri* Regnum obtinente, hæc urbs tredecim annos continuos à NABUCHODONOSORO obſidionem paſſa eſt : circa hujus obſidionis finem ITHOBALUS *Tyriorum* Rex obtruncatus fuit, (Ezech. XXVIII. 8. 9. 10.;) & poſt eum, ſecundùm *Tyria* monumenta, Regno potiti ſunt, BAAL decem annos, ECNIBALUS & CHELBES unum annum, ABBARUS tres menſes, MYGTONUS & GERASTRATUS ſex annos, BALATORUS, unum annum MERBALUS quatuor, & IROMUS viginti; atque decimo quarto IROMI anno, ut legebatur in *Tyriis* monumentis, CYRUS in *Babyloniam* dominari cœpit; quapropter *Tyri* obſidio initium habuit duodequinquaginta annis & aliquot menſibus, antequam CYRUS *Babyloniæ* Regno potitus fuit; ſed hæc obſidio inchoata fuit paulò poſtquam *Jeroſolyma* capta eſt & cum Templo combuſta, ergo poſt annum, ex quo JECHONIAS captus fuit, undecimum, aut NABONASSARI centeſimum & ſexageſimum; unde conſtat CYRI dominationem in *Babyloniam* initium habuiſſe poſt annum NABONASSARI ducenteſimum octavum; atqui ejuſdem obſidionis finis accidit ante annum viceſimum octavum à JECHONIA capto, ſive centeſimum ſeptuageſimum ſextum NABONASSARI, (Ezech. XXIX. 17.); quocirca CYRUS in *Babyloniam* regnare cœpit ante NABONASSARI annum undecimum ſupra ducenteſimum. His argumentis patet primum annum quo CYRUS *Babyloniæ* Rex evaſit, incidere aut in annum ducenteſimum nonum, aut in ducenteſimum decimum. CYRUS *Babyloniam* juvaſit anno NABONASSARI ducenteſimo nono (*v*); reſtitit in principio *Babylon*, ſed anno proximo capta fuit, (Jerem. LI. 39. 57.), nam, *Euphrate*

(*t*) Joſeph. contra Api l. 1. c. 21.

(*v*) Herodot. l. 1. c. 189. 190. 191. Xenophon. l. 7. p. 190. 191, 192. Edit. Pariſ.

Digitized by Google

Euphrate in novum alveum deducto, exercitus per veterem alveum ſicatum in urbem ingreſſus eſt; igitur id evenit mediâ æſtate inclinante; quandoquidem æſtatis initio fluvius quotannis exundat ob *Armeniæ* nives liqueſcentes, ſed æſtatis calore minùs profundus evadit. *Et* (*w*) *illâ nocte Rex* Babylonis *enectus fuit*, *&* DARIUS Medus, *aut Rex* Medorum, *Regno potitus eſt*, *annos duos & ſexaginta natus*: itaque *Babylon* capta fuit uno aut altero menſe poſt æſtivum ſolſtitium, anno NABONASSARI decimo ſupra ducenteſimum, ut etiam ex Canone apparet.

De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Reges *Medorum* ante CYRUM fuerunt DEJOCES, PHRAORTES; ASTYAGES, CYAXERES ſive CYAXARES, & DARIUS; tres primi Regnum obtinuerunt dum adhuc exiguum erat, duo ultimi Gentes plurimas domuerunt, & Imperium fundaverunt: ſiquidem ÆSCHYLUS, qui floruit regnantibus DARIO HYSTASPIS, & XERXE, ac mortuus eſt Olympiade ſeptuageſimâ ſextâ, inducit DARIUM ſic querentem de iis, qui filio XERXI perſuaſerant, ut *Græciæ* bellum inferret (*x*);

Τοιγάρ σφιν ἔργον ἐςὶν ἐξειργασμένον
Μέγιςον, αἰείμνηςον, οἷον ουδέπω,
Τό δ' ἄςυ Σούσων ἐξεκείνωςεν πεσόν·
Ἐξ οὗτε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήν δ' ὤπασεν,
Ἐν ἄνδρα πασης Ἀσιάδος μηλοτρόφου
Ταγεῖν, ἔχοντα σκεπτρον ενθυντηριον·
Μηδος γάρ ἦν ο πρῶτος ἡγεμὼν ςρατοῦ·
Ἄλλος δ' εκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσι·
Ψρενες γάρ αυτοῦ θυμὸν οἰακοςροφουν·
Τριτος δ' ἀπ' αυτου Κῦρος, ευδαίμων ἀνὴρ, &c.

Fecerunt opus
Maximum, & memoriâ digniſſimum, quale nunquam factum fuit;
Etenim incolis orbavit cadentem Suſam:
Ex quo Rex JUPITER *honorem hunc largitus eſt,*

(*vv*) Dan. V. 30. 31. & Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11.
(*x*) Æſch. Perſæ v. 71.

CAP. IV. *Ut homo unus* Asiæ *fertili imperitaret,*
Gerens regium sceptrum.
Nam, primus copiarum Dux, fuit Medus;
Alter, ejus filius, opus perfecit,
Etenim prudentia ejus mentem dirigebat;
Tertius fuit CYRUS, *homo felix*, &c.

Hìc asserit Poeta *Medo-Persicum* Imperium conditum fuisse à duobus proximis CYRI Prædecessoribus, quorum primus erat *Medus*, secundus autem hujus filius: secundus hic fuit DARIUS *Medus*, qui statim ante CYRUM regnavit, secundùm DANIELEM; igitur primus ille fuit *Darii* pater, videlicet, ACHSUERUS, ASSUERUS, OXYARES, AXERES, Princeps AXERES, aut *Cy*-AXERES, quoniam verbum *Cy* sonat *Principem*: quandoquidem à DANIELE discimus DARIUM fuisse filium ACHSUERI vel AHASAUERI, ut eum non rectè vocant *Massoretæ*, è *Medorum* semine, idest, è Regum sanguine: hic est ASSUERUS ille, qui cum NABUCHODONOSORO *Ninivem* cepit & evertit, juxta TOBIAM; & cujus facta CYAXARI à *Græcis* tribuuntur, & ab EUPOLEMO ASTIBARI, quod nomen fortasse pro *Assuero* corruptè scriptum fuit. Is, *Assyrios* domando, eorum Imperium, cujus metropolis erat *Ninive*, subvertendo, ac deinde *Armeniam*, *Cappadociam*, & *Persidem* in potestatem redigendo, Regnum unius hominis in totam *Asiam* extendere cœpit; atque hujus filius DARIUS *Medus*, Regnorum *Lydiæ* & *Babyloniæ* potitus, opus perfecit: tertius Rex fuit CYRUS, homo felix magnis successibus sub DARIO & in eum, ac latâ pacatâque dominatione in Regnum suum.

Septuaginta annos vixit CYRUS, secundùm CICERONEM, ac novem annos *Babyloniam* ditione tenuit, juxta PTOLEMÆI Canonem; igitur annos sexaginta & unum natus erat, cùm *Babylone* potitus est; tunc DARIUS *Medus* sexagesimum tertium ætatis annum agebat, DANIELE teste; quo circa DARIUS duabus Generationibus recentior est quàm ASTYAGES, avus CYRI:

Digitized by Google

CYRI: nam, ASTYAGES, quemadmodum tum (*y*). HERODOTUS tum XENOPHON affirmant, nuptum dedit filiam MANDANEM CAMBYSI *Perſidis* Principi, & hinc factus eſt avus CYRI; filius autem ASTYAGIS fuit CYAXARES, juxta XENOPHONTEM (*z*), qui filiam ſuam uxorem CYRO dedit. Ea ſpecioſiſſima, XENOPHONTE auctore (*a*), habebatur, &, dum uterque puer erant, cum CYRO ludere conſueverat, & affirmare ſe ei nubere velle; erant igitur ferè coævi. XENOPHON ait CYRUM eam duxiſſe poſtquam *Babylonem* cepit; ſed ea tunc vetula erat; magis probabile videtur CYRUM illam adhuc ætate formáque florentem ſibi connubio junxiſſe; &, hanc affinitatem in cauſâ fuiſſe, cur CYRUS foret DARII copiarum Imperator, donec ab eo deſcivit: quamobrem ASTYAGES, CYAXARES, & DARIUS unus poſt alium ſerie continuâ *Medorum* Regnum adepti fuerunt; CYRUS autem ASTYAGIS nepos fuit, DARII ſororem duxit, & in ejus locum Regno ſucceſſit. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Itaque HERODOTUS ordinem invertit (*b*), dum facit CYAXAREM filium & ſucceſſorem PHRAORTIS, atque patrem ac prædeceſſorem ASTYAGIS, cujus filia fuit MANDANE, & avum CYRI; & dum refert ASTYAGEM duxiſſe ARIENEM filiam ALYATTIS Regis *Lydiæ*, ac tandem captum & Imperio ſpoliatum à CYRO fuiſſe. PAUSANIAS ea, quæ narraverat HERODOTUS, deſcripſit, dum aſſeruit ASTYAGEM filium CYAXARIS in *Mediâ* regnaviſſe temporibus ALYATTIS Regis *Lydiæ*. CYAXARI filius fuit, qui ARIENEM filiam ALYATTIS duxit; at hic filius non fuit pater MANDANIS & avus CYRI, ſed potiùs CYRO coæqualis: verum ejus nomen ſervatum fuit in *Daricorum* nummorum nomine, quos conflandos curavit ex auro & argento *Lydiorum* à ſe devictorum, quando CROESUM, Duce CYRO, domuit; igitur ei nomen fuit DARIUS, quomodo Regem hunc DANIEL appellat; docet enim

(*y*) Herod. l. 1. c. 107. 108. Xenoph. Cyrop. l. 1. p. 3.
(*z*) Cyrop. l. 1. p. 22.
(*a*) Cyrop. l. 8. p. 228. 229.
(*b*) Herod. l. 1. c. 73.

Digitized by Google

CAP. IV. enim DANIEL hunc DARIUM fuiſſe *Medum* &, ejus patrem vocatum fuiſſe ASSUERUM, hoc eſt, AXEREM ſive CYAXAREM, ut ſupra: igitur, conſideranti mihi CYAXAREM diu Regno potitum fuiſſe; unum tantummodo *Mediæ* Regem, nomine ASTYAGEM ab Auctoribus memorari; & ÆSCHYLUM, qui tunc temporis vivebat, duos dumtaxat magnos *Mediæ* & *Perſidis* Reges recenſere CYRO antiquiores, videlicet patrem, & filium; hæc, inquam, conſideranti mihi videtur ASTYAGEM, patrem MANDANIS & avum CYRI; fuiſſe patrem atque prædeceſſorem CYAXARIS; ac filium & ſucceſſorem CYAXARIS dictum fuiſſe DARIUM. Annos quadraginta, juxta HERODOTUM (*c*), Regno potitus eſt CYAXARES, ac quinque & triginta qui ei ſuffectus fuit; CYRUS autem, ſecundùm XENOPHONTEM, ſeptem: CYRUS diem ſupremum obiit anno NABONASSARI undeviceſimo ſupra ducenteſimum, juxta Canonem; igitur CYAXARES mortuus eſt anno NABONASSARI centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & Regnum adivit anno ejuſdem *Æræ* centeſimo triceſimo ſeptimo; ASTYAGES autem hujus pater Regno potitus eſt annos viginti ſex, cùm regnare cœperit ſtatim ac PHRAORTES ab *Aſſyriis* obtruncatus deceſſit, anno NABONASSARI centeſimo & undecimo, ut ſupra.

Omnium Regum *Medorum* maximus bellator fuit CYAXARES. Ait HERODOTUS (*d*) hunc præ ſuis majoribus virtute præſtitiſſe, & primum Regnum in provincias diſpertitum fuiſſe, atque militari diſciplinæ obſtrinxiſſe *Medorum* copias hactenus licentiâ ſolutas & diſciplinæ ignaras; quapropter, HERODOTO teſte, hic eſt ille *Medorum* Rex, quem ÆSCHILUS primum Gentium domitorem & Imperii fundatorem recenſet; quandoquidem HERODOTUS hunc & hujus filium ſtatim ante CYRUM Reges facit; & filii nomen eum tantummodo fallit. ASTYAGES nullum facinus memorandum patravit; vix thronum conſcenderat, cùm ingens *Scytharum* manus, Duce MADYE (*e*),

(*c*) Herodot. l. 1. c. 106. 130.
(*d*) Herodot. l. 1, c. 103.

Digitized by Google

(e), *Mediam & Parthiam* invasit, ut supra diximus, & in eas circiter duodetriginta annos dominata est; sed tandem hujus filius CYAXARES *Scythas* circumvenit, & in convivio obtruncavit, & eos, qui superstites fuerant, ad fratres in *Parthiâ* fugere coegit, & statim post; unà cum NABUCHODONOSORO Regnum *Assyriæ* invasit & evertit, ac *Ninivem* destruxit. De Imperii Babyloniorum & Medorum.

Quarto JOAKIMI anno, qui NABUCHODONOSORI primus est *Judæis* hujus Regni principium ad tempus, quo Rex à patre renunciatus fuit aut ad proximè præteritum *Nisan*, statuentibus, paulò postquam victores *Assyriorum* Imperium partiti fuerant, &, secundâ fortunâ utentes, *Syriam* ac *Phœniciam* invaserant, & circumfusas Gentes aggredi jam parati erant; Deus (f) *Judæis* interminatus est, dicens, *ego sumam omnes Aquilonis familias*, (idest, *Medorum* copias,) & NABUCHODONOSORUM *Regem* Babylonis, & *eos mittam contra Regionem hanc & ejus incolas, & contra Gentes omnes, quæ circa eam sunt, atque Gentes has funditùs destruam*, ***, *& tantas ac tam diuturnas desolationes faciam, ut omnes obstupescant*, ***, *& iis omnibus hujus furoris poculum propinabo*; hinc ad magis peculiaria descendens nominatim designat Reges *Judæ*, *Ægypti*, *Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Tyri*, *Sidonis*, *Insulas Maris*, *Arabiam*, *Zimri*, omnes Reges *Elam*, omnes Reges *Medorum*, omnes Reges Aquilonis, & Regem *Sesac* Regionis; & affirmat Regem quoque *Babylonis* sibi post septuaginta annos pœnas daturum. Hoc loco, dum Gentes excruciandas dinumerat, omittit *Assyrios*, quia jam ceciderant, & recenset Reges *Elam* sive *Persidis*, & *Sesac* aut *Susianæ*, tanquam diversos à Regibus *Medorum* & *Babyloniorum*; quapropter nondum *Persæ* domiti fuerant à *Medis*, neque Rex *Susæ* à *Chaldæis*: &, quemadmodum, cùm de pœnis à Rege *Babylonis* pendendis loquitur, intelligit *Babylonem* à *Medis* capiendam fore; sic, agens de *Medis* puniendis: respicere videtur ad *Medos* à CYRO subigendos.

(e) Herodot. ibidem.
(f) Jerem. XXV.

Digitized by Google

CAP. IV. Præterea, SEDECIA Regnum ineunte, scilicet, anno NABUCHODONOSORI nono, minatur Deus se traditurum Regna *Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Tyri*, & *Sidonis* in manus NABUCHODONOSORI Regis *Babylonis*, & *fore ut omnes Gentes serviant ei & ejus filio, & filio ejus filii, donec veniat tempus ejus Regionis, & plures Gentes ac magni Reges eam sibi subjiciant*, (Jerem. XXVII.). Eodem tempore Deus prædixit *Persas* paulò post subigendos à *Medis* & horum sociis : *Ecce*, inquit, *frangam arcum* Elam, *quod maximam ejus potentiam facit; & ciebo contra* Elam *quatuor ventos è quatuor Cœli partibus, & eam Gentem dispergam versus quatuor hosce ventos, & nulla erit natio, ad quam non veniant pulsi ex* Elam; *etenim faciam, ut* Elam *timeat coram inimicis suis, & coram iis qui quærunt illorum vitam; & effundam super eos mala, & etiam iræ meæ vim, ait Dominus; & mittam gladium post eos, donec illos consumpsero; & ponam thronum meum in* Elam, *& destruam illius Reges atque Optimates, dicit Dominus: sed accidet in ultimis diebus*, (videlicet, CYRO regnante,) *ut reduces faciam captivos* Elam, *ait Dominus*, (Jerem. XLIX. 35. &c.). Igitur *Persæ* tunc sub propriis Regibus libertate gaudebant, sed paulò post oppugnati, devicti, capti, & per finitimas Gentes quaquaversum disjecti fuerunt, neque priùs quàm sub CYRI Regno servitium eorum finem habuit; &, quoniam *Medi* & *Chaldæi* sibi *Persas* non subjecerunt ante nonum NABUCHODONOSORI annum, hinc ansa præbetur investigandi, quid acer bellator CYAXARES statim post *Ninivem* captam fecerit.

Postquam CYAXARES *Scythas* exegit, nonnulli (*g*) cum eo in gratiam redierunt, & in *Mediâ* morati sunt, atque illi quotidie donabant aliquid ferarum, quas venando ceperant : sed, cùm aliquando vacui reversi essent, CYAXARES, irâ obcæcatus, eos conviciis & contumeliis lacessivit; qui id ægrè ferentes paulò post quendam ex *Medorum* pueris interfecerunt, tanquam ferinam condiverunt, & CYAXARI obtulerunt, quo facto apud ALYAT-

(*g*) Herodot. l. 1. c. 73. 74.

Digitized by Google

ALYATTEM Regem *Lydiæ* ſe receperunr; hinc bellum quinque annorum inter CYAXAREM & ALYATTEM exarſit: unde colligo tunc finitima fuiſſe Regna *Medorum* & *Lydorum*; atque idcirco CYAXAREM, paulò poſt *Ninivem* captam, Regiones ad *Aſſyrios* pertinentes, ad *Halym* fluvium uſque, ſubegiſſe. Sexto hujus belli anno, dum hi duo Reges ſignis collatis pugnabant, accidit, ut Sol omnino deficerit, ut TALES prædixerat, (*b*) quæ Eclipſis evenit die viceſimo octavo menſis *Maii*, anno NABONASSARI centeſimo ſexageſimo tertio, ſeptem & quadraginta annis antequam *Babylon* capta fuit; ea pugnæ finem impoſuit; & hinc factum eſt ut bellum componeretur, operâ NABUCHODONOSORI Regis *Babyloniæ*, & SYENNESIS Regis *Ciliciæ*; ac pax confirmata fuit nuptiis, quas DARIUS filius CYAXARIS fecit cum ARIENE filiâ ALYATTIS: tunc ergo DARIUS quindecim aut ſexdecim annos natus erat, ſiquidem ſexageſimum tertium ætatis annum agebat quando *Babylon* capta fuit.

De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Undecimo SEDECIÆ anno, quo NABUCHODONOSORUS *Jeroſolymam* expugnavit, ac Templum evertit, EZECHIEL conferens Regna Orientis cum arboribus horti *Eden*, ſic loquitur de iis, quæ Reges *Mædorum* & *Chaldæorum* in poteſtatem redegerant; *ecce*, inquit, Aſſyrius *erat velut Cedrus in* Libano *pulchris ramis ornata*, *** *altitudo ejus elata fuerat ſuper omnes arbores arvorum*, *** *omnes Nationes magnæ ſub ejus umbrâ degebant*, *** *nulla erat arbor in hortis Dei, quæ cum ejus formâ comparari poſſet*: *** *ſed ego populum illum tradidi manibus omnium fortiſſimi*, *** *contremiſcere feci Gentes ſonitu caſûs hujus, quando ego eum ducebam ad ſepulchrum cum iis, qui deſcendunt in foſſam*: *& omnes arbores* Eden, *ſelectiſſimæ & optimæ omnium, quæ ſunt in* Libano, *cunctæ bibentes aquam, ſeſe conſolatæ ſunt in imis terræ partibus*: *ipſæ etiam deſcenderunt in ſepulchrum cum eâ ad illos, qui gladio perempti fuerant, & ii, qui erant illius brachium, qui degebant ſub illius umbrâ inter Nationes*, (Ezech. XXXI).

Anno

(*b*) Herodot. ibidem. Plin. l. 2. c. 12.

Digitized by Google

CAP. IV. Anno proximo EZECHIEL, in aliâ prophetiâ, sic enumerat præcipuos populos à victore CYAXARIS & NABUCODONOSORI gladio subactos & cæsos; *ibi sunt* Assur *& omnes ejus Sodales*, (videlicet, in *Hadibus*., aut infimis terræ locis, in quibus cadavera sepulta jacent,) *Sepulchra sua sunt circa illum; mortui sunt, gladio obtruncati, omnes qui sui metum terræ viventium incusserant. Ibi est* Elam, *& tota multitudo sua circùm sepulchrum suum; mortui sunt, gladio cæsi, omnes, qui descenderunt incircumcisi in inferiores terræ partes, qui sui metu terram viventium concusserunt: tamen dedecus suum secum traxerunt cum iis, qui in fossam descendunt.* *** *Ibi sunt* Mesec, Tubal, *& omnis eorum multitudo* (Scythæ); *eorum sepulchra sunt circùm eos: ii omnes incircumcisi, gladio cæsi, quanquam sui terrore terram viventium impleverint.* *** *Ibi est* Edom *cum omnibus Regibus & optimatibus suis, qui, cum totâ eorum potentiâ, positi fuerunt inter eos, qui gladio occubuerunt,* *** *Ibi sunt omnes Aquilonis Principes, & omnes* Sidonii, *qui, cum terrore, quem incutiebant, cum occisis descenderunt*, (Ezech. XXXII.,) Principes Aquilonis hoc loco memoratos esse puto eos, qui degebant ad *Judææ* septemtrionem, & præcipuè Principes *Armeniæ* & *Cappadociæ*, qui ceciderunt in bello, quod CYAXARES gessit, dum, post *Ninivem* captam, has Regiones subigere conabatur. *Elam* sive *Persis* in potestatem redacta fuerat à *Medis*, & *Susiana* à *Babyloniis* post nonum & ante undevicesimum NABUCHODONOSORI, annum; quapropter non admodum à vero aberrabimus, si id accidisse ponamus duodecimo vel decimoquarto NABUCHODONOSORI anno: ipse annis, ex quo Regnum adeptus fuerat, undevicesimo, vicesimo, & uno ac vicesimo, invasit & (*i*) subegit *Judæam*, *Moab*, *Ammonem*, *Edom*, *Philistæos*, & *Sidonem*; anno autem proximo (*j*) *Tyrum* obsidione cinxit, & eam tredecim annos oppugnatam cœpit, anno Regni sui tricesimo quinto; deinde (*k*) *Ægyptum*, *Æthio-*

(*i*) Jerem. XXVII. 3. 6., Ezech. XXI. 19. 20., & XXV. 2. 8. 12.
(*j*) Ezech. XXVI. 2., & XXIX. 17. 19.
(*k*) Ezech. XXIX. 19, & XXX. 4. 5.

Digitized by Google

Æthiopiam, & *Libyam* invaſit & imperio adjecit; &, duodeviginti aut viginti annos poſt hujus Regis interitum, DARIUS *Medus Sardium* Regnum obtinuit; ac iterum, quinque aut ſex annos pòſt, *Babylonicum* Imperium aggreſſus & adeptus eſt; & hoc pacto ſub *Medo-Perſico* Imperio totam *Aſiam* comprehendit, ut ÆSCHYLUS indicat. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Nunc, hic eſt DARIUS ille, qui cudendam curavit ingentem vim nummorum ex auro obryzo, qui dicti fuerunt *Darici* ſeu *Stateres Darici*: quandoquidem SUIDAS, HARPOCRATION, & Scholiaſtes ARISTOPHANIS (*l*) affirmant hos *Daricos* non percuſſos fuiſſe à XERXIS patre, ſed ab antiquiore DARIO, à DARIO primo, à primo Rege *Medorum* & *Perſarum*, qui aurum feriit: Alterâ facie referebant Sagittarium gerentem coronam cuſpidatam, atque tenentem ſiniſtrâ quidem arcum, dextrâ verò ſagittam, atque togatum: ipſe vidi duos *Daricos*, alterum aureum, alterum argenteum; pretio & pondere æquabant *Staterem Atticum*, qui nummus aureus duas *Drachmas Atticas* ponderis æquiparat. DARIUS didiciſſe videtur artem cudendæ pecuniæ & ejus uſum à *Lydiis*, quos domuit, & notâ novâ eorum nummos aureos ſignaviſſe: pecuniam enim, antequam *Lydios* ſub poteſtatem redegiſſent *Medi*, non habebant. Legimus apud HERODOTUM, (*m*) quòd, cùm CROESUS *bellum in* CYRUM *parabat*, Lydius *quidam*, *nomine* SANDANIS, *eum monuit*, *quòd expeditionem ornabat contra populum pellibus indutum*; *viventem non cibis*, *quos vellet*, *ſed quos Regio ſterilis ferret*; *bibentem non vinum*, *ſed aquam dumtaxat*; *non edentem ficus*, *aut alias bonas eſcas*; *nihil habentem*, *quod perderet*; *qui tamen multum lucri à Lydiis referre poſſet*: *ſiquidem* Perſæ, ait Herodotus, *nullas divitias*, *nihil pretioſi habebant*, *antequam* Lydios *ſubegerunt*: & ISAIAS (*n*) inquit, Medi *argentum non reſpicient*,

(*l*) Suidas in Δαρεικός, & Δαρεικοῦς. Harpocrat. in Δαρεικός. Scholiaſtes in Ariſtophanis Ἐκκλησιάζ. v. 598.
(*m*) Herodot. l. 1. c. 71.
(*n*) Iſa. XIII. 17.

Digitized by Google

CAP. IV. *picient, nec auro gaudebunt*; sed *Lydii* & *Phrygii* ultra modum dites erant, ita ut locum adagio dederint: MIDAS & CROESUS, ait PLINIUS (*o*), *infinitum possederant. Jam* CYRUS *devictâ* Asiâ *pondo* (auri) XXXIV. *millia invenerat, præter vasa aurea, aurúmque factum, & in eo folia, ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit, & craterem* SEMIRAMIDIS, *cujus pondus quindecim talentorum colligebat. Talentum autem* Ægyptium *pondo octoginta capere* VARRO *tradit.* Quid victor fecerit de hac auri & argenti copiâ, *Darici* demonstrant. *Lydii*, HERODOTO (*p*) teste, primi aurum & argentum signaverunt, & CROESUS magnam nummorum aureorum, qui *Crœsei* dicti fuerunt, vim percussit; sed, cùm rectè usurpari non posset pecunia *Lydiorum*, Imperio eorum everso, idcircò DARIUS eam iterum effigie suâ signavit, pondere & valore non mutato: igitur Regno jam potiebatur; quando *Sardes* captæ fuerunt, illúdque obtinebat, quando *Babylon* subacta fuit.

Et quoniam SEMIRAMIDIS crater servabatur adhuc cùm CROESUS à DARIO fuit devictus, probabile non est SEMIRAMIDEM esse antiquiorem, quàm facit HERODOTUS.

Medos, eò quòd *Lydiæ* Regnum in potestatem redegerant, extimescere cœperunt *Græci*: nam, THEOGNIS, qui eo ipso tempore, quo bella hæc gerebantur, *Megaræ* vivebat, sic (*q*) scripsit,

Πίνωμεν, χαρίεντα μετ' ἀλλήλοισι λέγοντες,
Μηδῖν τὸν Μήδων δεινὸν ὀφέλλοντες πόλεμον·

Potemus, tempus dulci sermone teramus,
Nullúmque incutiant Medica *bella metum,*

Et alio (*r*) loco

Αὐτὸς δὲ στρατὸν ὑβριστὴν Μήδων ἀπέρυκε
Τῆσδε πόλεως, ἵνα σοι λαοὶ ἐν εὐφροσύνῃ·

Hæc

(*o*) Plin l. 33. c. 3.
(*p*) Herodot l. 1. c 94.
(*q*) Theogn. Παμπε, v. 761.
(*r*) Ibidem v. 773.

Digitized by Google

De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Ἦρος ἐπερχομένου κλειτὰς πέμπωσ' ἑκατόμβας,
Τερπόμενοι κιθάρῃ καὶ ἐρατῇ θαλίῃ.
Παιάνωντε χοροῖς, ἰαχαῖσί τε, σὸν περὶ βωμόν·
Ἦγάρ ἔγωγε δέδοικ', ἀφραδίην ἐσορῶν.
Καί στάσιν Ἑλλήνων λαοφθόρον· ἀλλὰ σὺ Ψοῖβε,
Ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν·

Impia Medorum *tu prælia longiùs arce*
Hac urbe, ut plenus lætitiæ populus
Vere tibi conferre hecatombes possit opimas,
Et citharâ gaudens, opiparaque dape,
Et plausu, atque choris Pæanum altaria circùm.
Nam, sanè timeo, Grajugenûm *aspiciens*
Stultitiam & motus, queis plebs corrumpitur; at tu
Adsis, atque urbem, PHOEBE, *tuere, favens.*

Addit Poeta discordiam evertisse *Magnesiam*, *Colophonem*, & *Smyrnam*, civitates *Joniæ*, & *Phrygiæ*, eandémque *Græcos* esse destructuram; quod idem est ac si dixisset *Medos* has civitates occupavisse.

Itaque *Medi* Regno potiti sunt usque ad *Sardes* captas; quinimò, secundùm XENOPHONTEM & Sacra Volumina, usque ad *Babylonem* expugnatam: quandoquidem narrat XENOPHON, (*s*) post *Babylonis* casum CYRUM *Ecbatanam* ivisse ad *Medorum* Regem, & in ejus locum Regno successisse, & HIERONYMUS (*t*), captam fuisse *Babylonem* à DARIO Rege *Medorum*, & à CYRO hujus necessario, ac Sacra Volumina; *destructam fuisse* Babylonem *à populo Aquilonis*, (Jerem. L. 3. 9. 41.) *à Regibus* Ararat Minni (sive *Armeniæ*) *&* Aschenez (sive *Phrygiæ minoris*), (Jerem. LI. 27.,) *à* Medis, (Isa. XIII. 17. 19., *à Regibus* Medorum, *& à gubernatoribus eorum, & ab omni Regione illarum ditioni subjectâ*, (Jerem. LI. 11, 28.,) *Regnum Babylonis computatum est, & divisum, & traditum* Medis *ac* Persis, (Dan. V. 26. 28.,) primò *Medis* sub DARIO, deinde verò PERSIS sub CYRO:

 siqui-

(*s*) Cyrop. l. 8.
(*t*) Comment. in Dan. V.

CAP. IV. siquidem DARIUS in *Babylonem* dominatus est ut victor, neque leges *Babyloniorum* servavit, sed immutabiles victricium Nationum, *Medorum* & *Persarum* leges introduxit, (Dan. VI. 8. 12. 15.,) & *Medi*, eo regnante, *Persis* præponebantur, (Dan. ibid., & V. 28., & VIII. 20.,) ut *Persæ* deinde, regnante CYRO & ejus successoribus, *Medis* præpositi fuerunt, (Ester I. 3. 14. 18. 19., Dan. X. 1. 20.. & XI. 2 ; unde patet *Medos*, regnante DARIO, priores partes sustinuisse.

Pariter, ex magno provinciarum, DARIO servientium, numero cognoscere licet eum fuisse Regem *Medorum* & *Persarum*; etenim, postquam *Babylonis* potitus est, imperio suo centum & viginti Principes præposuit, (Dan. VI. 1.;) & postea, cùm CAMBYSES & DARIUS HYSTASPIS novas provincias adjecissent, earum summa ad centum viginti septem ascendit.

Imperium *Babylonicum* ferè fuit æquè magnum, ac erat Imperium *Niniviticum* postquam *Medi* rebellaverunt. Asserit BEROSUS paruisse NABUCHODONOSORO *Ægyptum*, *Syriam*, *Phœniciam*, atque *Arabiam*: & STRABO addit *Arbelam* agris *Babylonicis*; ac narrans antiquitus *Babylonem* fuisse metropolim *Assyriæ*, sic Imperii *Assyrii* limites (*u*) describit. *Fines* Persidis & Susianæ *contingunt* Assyrii: *sic enim* Babyloniam *vocant*, & *pleraque Regiones circumfusas*: *harum pars est* Atturia, *in quâ est* Ninus, (*sive* Ninive,) & Apolloniatis, & Elymæi, & Parætacæ, & Chalonitis *ad montem* Zagrum, & *agri* circa Ninum, & Dolomene, & Chalachene, & Chazene, & Adiabene, & *Gentes* Mesopotamiæ *prope* Gordyæos, & Mygdones *circa* Nisibim *usque ad* Zeugmam *secundùm* Euphratis *ripam; atque latè patentem Regionem hinc ab* Euphrate *habitatam ab* Arabibus & Syriis *sic propriè dictis*, *usque ad* Ciliciam, Phœniciam, Lybiam, *Mare* Ægypti, *atque* Sinum Issicum: & paulò post describens *Babyloniæ* Regionis extensionem, ei fines assignat, ad Septemtrionem, *Armenos* & *Medos*, ad *Zagrum* montem usque; ad Orientem, *Susam*, *Elymaidem*, & *Parætacenem*, inclusivè; ad Meridiem, *Sinum Persicum*, atque *Chaldæam*; ad Occidentem, *Arabes Scenitas*, ad *Adiabenem* & *Gordyæam* usque; postea,

(*u*) Strabo. l. 16. initio.

Digitized by Google

De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

poſtea, verba faciens de *Suſianâ* & *Sitacene*, Regione inter *Babylonem* & *Suſam*, & de *Parætacene*, *Coſſæâ*, & *Elymaide*, atque de *Sagapenis* & *Silocenis*, duabus exiguis provinciis adjacentibus, orationem abſolvit inquiens, (*w*) *& hæ ſunt Gentes, quæ, Orientem verſus*, Babyloniam *habitant* : *ad Septemtrionem verò ſunt* Media *&* Armenia, excluſivè; *& ad occaſum* Adiabene *&* Meſopotamia, incluſivè; *ferè tota* Adiabene *plana & æqua eſt, eadem* Babyloniæ *pars eſt*; *eadem nonnullis in locis* Armeniæ *finitima eſt* : *ſiquidem* Medi, Armenii, *&* Babylonii *ſeſe mutuò frequentibus bellis exercent.* Hactenus STRABO.

Cùm *Babylone* potitus eſſet CYRUS, Regnum in Satrapiam aut Provinciam mutavit; unde factum eſt, ut vel multo tempore pòſt fines noti eſſent; itaque HERODOTUS (*x*) hujus Imperii, ad *Perſarum* Monarchiam relati, magnitudinem delineat his verbis, *quando cuique ex Regionibus, in quas tunc* Perſarum *Rex dominabatur, dividi ſolebat, præter tributa, cura alendi exercitûs, Regio* Babylonica *eum nutriebat quatuor ex duodecim menſibus, qui annum conſtituunt, & octo reliquos tota reliqua* Aſia; *itaque*, ait ille, *hæc Regio tertiam* Aſiæ *partem facultatibus æquat, & hæc Provincia, quas* Perſæ Satrapias *appellant, omnium optima eſt.*

Erat (*y*) *Babylon* civitas quadratæ formæ, & ſingula ejus latera centum viginti ſtadia ſeu quindecim millia paſſuum continebant; & primùm latâ ac profundâ foſſâ, deinde muro craſſitudine quidem quinquaginta pedum, latitudine verò ducentorum, circumvallata erat. *Euphrates* per mediam urbem fluebat, Meridiem verſùs, citra *Tigrim* & ab eo non admodum procul; & in meditullio partis occidentalis erat nova Regum domus à NABUCHODONOSORO condita; ac in orientalis partis meditullio erat BELI Templum cum vetere Regiâ ſitâ inter Templum & fluvium : hæc vetus Regia ab *Aſſyriis* ædificata fuerat, juxta ISAIAM, (*z*) & idcirco à PUL & ejus filio NABONASSARO, ut ſupra diximus : *fundaverunt urbem* Arabibus, *ejus arces ſuſtulerunt, & Regias elevaverunt* : tunc temporis SABACON *Æthiops* invaſit *Ægyptum*, magnam *Ægyptiorum* vim coegit hinc

(*w*) Strabo. l. 16. p. 745.
(*x*) Herod. l. 1. c. 192.
(*y*) Herod. l. 1. c. 178., &c.
(*z*) Iſa. XXIII. 13.

Digitized by Google

CAP. IV. fugere in *Chaldæam*, quò ſuam Aſtronomiam, Aſtrologiam, Architectonicem, & anni formam, ibi ſervatam in *Ærâ* NABONASSARI, attulerunt: mos etenim obſervandorum Aſtrorum initium habuit in *Ægypto*, vivente AMMONE, ut ſupra, & hinc, regnante hujus filio SESACO, in *Africam*, *Europam*, & *Aſiam*, ope victoriarum propagata fuit; tunc ATLAS quidem *Libyorum*, CHIRON verò *Græcorum* Sphæram effinxit; *Chaldæi* quoque ſibi propriam Sphæram fecerunt. Sed Aſtrologia excogitata fuit in *Ægypto* paulò ante SABACONIS tempora à NICHEPSO ſive NECEPSO, uno ex inferioris *Ægypti* Regibus, & à PETOSIRIDE Sacerdote, undé in *Chaldæam* dimanavit, ubi ZOROASTER *Magorum* Legiſlator eam invenit: ſic PAULINUS.

Quique Magos *docuit myſteria vana*, NECEPSOS:

Et DIODORUS (*a*), *ajunt* Chaldæos *in* Babyloniâ *eſſe Colonias* Ægyptiorum, *&*, *ab* Ægyptiis *Sacerdotibus doctos, Aſtrologiæ peritiâ celebratos fuiſſe*. Iiſdem Coloniis monentibus factum videtur, ut *Babylone* JOVIS BELI Templum conderetur ad modum *Ægyptiacarum* Pyramidum. Quandoquidem (*b*) hoc Templum referebat ſolidam Turrim ſeu Pyramidem quadratam, uno ſtadio quaquaverſùm patentem, atque uno ſtadio altam, cum ſeptem receſſibus, ita ut ſpeciem referret octo Turrium, quarum una alteri ſuperimpoſita eſſet, & quæ ad culmen uſque ſemper diminuerentur; octava autem Turris Templum continebat cum lecto & aureâ menſâ, cujus cura Mulieri credebatur, qui mos ab *Ægyptiis*, erga Templum JOVIS AMMONIS, quod *Thebis* erat, uſurpabatur; & ſupra Templum erat locus obſervandis Aſtris accommodatus; ad faſtigium aſcendebatur ſcalis extra ædificium poſitis, & ſolum circumcluſum erat cavædio quod ædes duorum quaquaverſum ſtadiorum longitudine complectebantur.

Addictiſſimi erant *Babylonii* Sortibus, Veneficiis, Aſtrologiæ & Divinationi, (Iſa. XLVII. 9. 12. 13., & Dan. II. 2., & V. 11.,) atque Idolorum cultui, (Jerem. L. 2. 40,) ac conviviis, vino, & fœminis.

(*a*) Diodor. l. 1. p. 51.
(*b*) Herodot. l. 1. c. 181.

Digitized by Google

minis. *Nihil urbis ejus corruptius moribus, nec ad irritanda illiciendosque immodicas voluptates instructius. Libero conjugésque cum hospitibus stupro coire, modò pretium flagitii detur, parentes maritique patiuntur. Convivales ludi totâ* Persidе *Regibus Purpuratisque cordi sunt*: Babylonii *maximè in vinum, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fœminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus; dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem propbanant: ad ultimum, bonos auribus sit, ima corporum velamenta projiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginúmque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas.* (Q. CURTIUS lib. V. cap. 1.). Hæc effræna mulierum licentia, cui nomen comitatis prætendebatur, à *Babyloniorum* Religione confirmabatur. Solebant enim ejus Regionis fœminæ semel in vitâ, sese hospitibus morem gesturas sistere in VENERIS Templo, quod appellabant *Succoth Benoth*, Templum fœminarum: cùm autem illud ingressa erat aliqua mulier, ei egredi nefas erat, donec aliquis hospes in ejus gremium pecuniam projiceret, illámque ad res venereas secum traheret: &, quoniam in sacros usus impendenda erat hæc stips, mulier eam, quantumvis parvam, recipere, atque hospitem sequi debebat. De Imperiis Babyloniorum & Medorum.

Persæ, à *Medis* devicti circa medium SEDECIÆ Regnum, iis servierunt usque ad peractum DARII *Medi* Regnum: & CYRUS, qui erat è regio *Persarum* sanguine, potest fuisse *Persidis Satrapes*, & sub DARIO aliquot agminibus imperitavisse; sed nondum Rex erat summo cum imperio & ab omni dominatione liber; cùm autem *Babylonem* cepisset, & DARIUS è *Babylone* in *Mediam* reversus esset, victorem exercitum sibi addictissimum habens, à DARIO descivit, & unà *Persæ* eo Duce: (*e*) rebellionem suaserat HARPAGUS *Medus*, à XENOPHONTE vocatus ARTAGERSES & ARTABAZUS, qui CYRO in devincendo CROESO & *Asiâ Minore* subigendâ fuerat auxilio, atque à DARIO contumeliam acceperat. HARPAGUS iste, cùm exercitu in CYRUM à DARIO missus fuit; sed, dum magis prælium ardebat cum, copiarum parte ad CYRUM perfugit. Novum exercitum collegit DARIUS, & anno proximo hi duo exer-

(*e*) Suidas in Ἀρτάρχος· Herodot. l. 1. c. 123., &c.

Digitized by Google

CAP. IV. exercitus iterum conflixerunt : poſtremum hunc prælium *Paſargadis* in *Perſide* depugnatum fuiſſe tradit (*d*) STRABO; DARIUS victus fuit & captus à CYRO; quâ victoriâ ad *Perſas* Imperium fuit tranſlatum. Ultimus hic *Perſarum* Rex à XENOPHONTE quidem CYAXARES, ab HERODOTO verò ASTYAGES pater MANDANIS nuncupatur : ſed jam hi Reges erant mortui, atque à DANIELE diſcimus huic ultimo Regi nomen reipſâ fuiſſe DARIO, & ab HERODOTO (*e*) ultimum Regem â CYRO ſuperatum fuiſſe, ut narravimus : *Darici* autem ab ultimo Rege cuſi, illum vocatum fuiſſe DARIUM teſtantur.

Hæc victoria in DARIUM relata fuit circiter duos annos poſt *Babylonem* expugnatam ; nam, NABONNEDUS, poſtremus *Chaldæorum* Rex, à JOSEPHO dictus NABOANDELUS & BALTHASARUS ; Regno ceſſit anno NABONASSARI decimo ſupra ducenteſimum, novem annis ante CYRI mortem, juxta Canonem ; atque, poſtquam Imperium à *Medis* ad *Perſas* devolutum fuit, ſeptem dumtaxat annos CYRUS Regno potitus eſt, ſecundùm (*f*) XENOPHONTEM; &, cùm quotannis ſeptem hibernos menſes *Babylone*, tres vernos *Suſæ* & duos æſtivos *Ecbatanæ* degeret, ſeptimò venit in *Perſidem*, & ibi diem ſupremum obiit vere, ac *Paſargadis* ſepultus fuit. Juxta Canonem & communem omnium Chronologorum conſenſum, mortuus eſt anno NABONASSARI ducenteſimo decimo nono : igitur ducenteſimo & duodecimo DARIUM devicit, duobus & ſeptuaginta annis poſt *Ninivis* excidium ; eum primò ſuperavit anno pariter NABONASSARI undecimo ſupra ducenteſimum ; atque vel eodem anno, vel ſuperiore ad finem vergente, ab eo deſcivit, & *Perſarum* Rex evaſit. Interiit, teſte HERODOTO, ſeptuageſimum ætatis annum agens; quapropter natus erat anno NABONASSARI centeſimo quadrageſimo nono ; ejus mater MANDANE fuit ſoror tum CYAXARIS, qui tunc juvenis erat, tum AMYITES conjugis NABUCHODONOSORI ; & pater CAMBYSES è vetere regiâ *Perſarum* familiâ.

CHRO-

(*d*) Strabo l. 15. p 720.
(*e*) Herodot. l. 1. c. 127. &c.
(*f*) Cyropæd. l. 8. p. 233.

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
VETERUM REGNORUM
EMENDATA.

CAPUT V.

DESCRIPTIO TEMPLI
SALOMONIS.

CUm SALOMONIS Templum * à *Babyloniis* deſtructum fuerit; fortaſſe non extra rem erit hujus ædificii deſcriptionem hìc afferre. Vide Tabul. I. & II.

Hoc (*a*) Templum ad Solis ortum ſpectabat, & ſitum erat in areâ quadratâ (ABCD), quæ dicebatur *Locus Separatus.* TAB. I.

Ante illud erat (*b*) *Altare* (G) in centro alterius areæ quadratæ, (AFEB), quæ vocabatur *Atrium Interius*, ſeu *Atrium Sacerdotum:* hæ duæ quadratæ areæ, quoniam non niſi columellis marmoreis (AB) ſeparatæ erant, conficiebant unam aream longam, ab Occaſu ad Ortum, ducentis cubitis, & centum latam. Ad Occidentem muro circumcluſa erat; & ad alia latera (*c*) pavimento lato quinquaginta cubitis, cui inſiſtebant ædes Sacerdotibus deſtinatæ,

Iſ. Newtoni Opuſcula. Tom. III. Gg ſub

* Litteras, quæ ad Tabulas referuntur, & quæ deſunt in Anglo exemplari, addendas duxi, doctum Interpretem Gallum imitatus, ut hæc deſcriptio faciliùs intelligeretur.

(*a*) Ezech. XLI. 13. 14.
(*b*) Ezech. XL. 47.
(*c*) Ezech. XL. 29. 33. 36.

Digitized by Google

CAP. V. ſub quas erant porticus aut clauſtra ; & pavimentum circumcludebant interiùs columellæ marmoreæ ante clauſtra poſitæ : ex quibus omnibus exſurgebat area (HILK) ducentorum quinquaginta cubitorum longitudine ab Occaſu in Ortu, & ducentorum latitudine, cui circumdata erat area exterior (MPON), quæ dicebatur etiam *Magnum Atrium*, aut *Atrium Populi* (*d*), quaquaverſum patens centum cubitis; nam, duo fuerunt Atria à SALOMONE condita; quorum interius, quatuor, circiter, cubitis ſuper exterius eminebat; hoc autem ad Occidentem (QR) claudebat murus, & ad Auſtrum, Ortum, & Boream, (*e*) pavimentum quinquaginta cubitis latum, cui impoſitæ erant ædes Populi. Hæc omnia (*f*) *Sanctuarium* conſtituebant, conficiebántque quadratam aream (QTSR) longitudine quingentorum cubitorum, & totidem latitudine; quam complectebatur Xyſtus dictus *Mons Domûs* (VZYX), latus quinquaginta cubitis, & circumcluſus muro ſex cubitorum craſſitudine, totidem altitudine, & ſexcentorum longitudine in ſingula latera; cubitus * autem æquiparabat pollices pedis *Anglici* viginti & unum cum dimidio, ſeu ferè viginti duos; erat enim cubitus ſacer *Judæorum*, qui palmum æquabat, aut ſuæ longitudinis ſextante cubitum communem ſuperabat.

Omnium centrum occupabat *Altare* (G); & ædes utriuſque (*g*) Atrii è medii *Altaris* conſpectu perforatæ erant ad Orientem,
TAB. III. Meridiem, & Septentrionem portis (*b*) à tecto unius ædis ad tectum alius latitudine viginti quinque cubitorum, & longitudine quadraginta (*m i n, b g b*), cum veſtibulis (TRQ, *t r q*) decem cubitorum ſpectantibus *Altaris Atrium* verſùs, unde tota portarum longitudo fit quinquaginta cubitorum ſecundùm pavimenti longitudinem. Singulæ portæ habebant duas fores (C*c*, P*p*) ad ſingulas Portæ extremitates, quæ fores in latum patebant decem cubitis & viginti in altum; cum poſtibus & liminibus (PO*p o*, DC*d c*,) ſex cubitorum; inter utramque portam erat area octo & viginti cubitorum

(*d*) Ezech. XL. 19. 23. 27. II. Reg. XXI. 5. II. Chron. IV. 9.
(*e*) Ezech. XL. 15 17. 21. I. Chron. XXVIII. 12.
(*f*) Ezech XL. 5; & XLII. 20., & XLV. 2., &c.
(*g*) II. Reg. XXI. 5.
(*b*) Ezech. XL.
* Vide infra Opuſculum XXVI.

Digitized by Google

rum longitudine (ME, *em*) & tredecim hiatu: huic areæ tres erant Anterides quadratæ hinc & tres inde (ML, IH, FE, *ml*, *ih*, *fe*) ſingulæ quaquaverſum ſex cubitorum, & viginti altæ, & inter illas fornices (LI, HF, *li*, *hf*) quinque cubitorum; his anteridibus & fornicibus implebatur intervallum duodetriginta cubitorum, quo duo limina diſtabant; earúmque latitudo (KI, GF, *ki*, *fg*) addita tredecim cubitis conficit quinque & viginti cubitos, totam portarum latitudinem. Anterides illæ excavatæ erant in thalamos cum anguſtis feneſtris in Janitorum unum, ad quos aſcendebatur uno gradu latitudine unius cubiti; muri pariter (NM, *mn*) veſtibulorum, ſex cubitorum craſſitiem habentes, erant in varios uſus excavati. Orientalem *Atrii Populi* portam, (g) vocatam *Regis Portam*, (*i*) cuſtodiebant Janitores ſeni, quaterni Meridionalem (h), atque totidem Septemtrionalem (h): Meridionalis & Septemtrionalis Portæ (*k*) Populo ingredienti & egredienti patebant; Orientalis autem ſoli Regi (*l*), qui ibi Sacrificia comedebat. Præterea, quatuor portis aut hoſtiis pertuſus erat Occidentalis murus (hb) *Montis Domûs*: ex his (*m*) ea, quæ magis ad Aquilonem inclinabat, (c) dicta *Shallecheth*, aut *Porta Aggeris*, ad Regiam ducebat; vallis enim, quæ inter Templum & Regiam interjacebat, aggere completa fuerat; proxima (d), nuncupata *Parbar*, ducebat ad ſuburbium *Millo*; tertia autem (e) & quarta, (f), nomine *Aſſupim*, ducebant altera quidem ad *Millo*, altera verò *Jeroſolymam*; ab hiſce portis in Vallem, & à Valle in Civitatem gradibus deſcendebatur, atque aſcendebatur. Portæ *Shallecheth* aderant quatuor Janitores, tribúſque aliis ſex, bini videlicet ſingulis: & ea Janitorum domus, quibus demandata erat provincia portæ Septemtrionalis *Atrii Populi*, cuſtodiendas pariter habebat portas *Shallecheth* & *Parbar*: domui autem Janitorum, quorum curæ commiſſa erat porta Meridionalis *Atrii Populi*, aliarum duarum portarum, quæ *Aſuppim* dicebantur, cuſtodia incumbebat. Deſcriptio Templi Salomonis.

(*i*) I Chron. XXVI. 17.
(*k*) Ezech. XLVI. 8. 9.
(*l*) Ezech. XLIV. 2. 3.
(*m*) I. Chron. XXVI. 15. 16. 17. 18.

Digitized by Google

CAP. V. Hiſce quatuor Occidentalibus portis aditus patebat in *montem*
TAB. III. *Domûs*, & ex (*n*) *Monte Domûs* ad *Atrii Populi* portas ſeptem gradibus (*b g h*) aſcendebatur, octo (*m i n*) autem ex *Atrio Populi* ad *Atrium Sacerdotum*; & fornices, (*L I*, *H F*, *l i*, *b f*,) quibus perforata erant utriuſque Atrii latera, ducebant in Periſtylia, (*o*) duplici ædificio ſuppoſita, & conſtituta tribus columnarum (*x x*) marmorearum ordinibus, quæ innitebantur meditullio Anteridum (*m l*, *i b*, *f g*,) & hinc in pavimentum ad Atriorum angulos uſque, porrigebantur: columnarum medium ordinem conſtituentium axes, ab axibus columnarum duos reliquos ordines hinc inde conſtituentium, undecim cubitis diſtabant; & ædificium portarum lateribus junctum erat: ima columnarum diameter erat trium cubitorum, & earum baſes quatuor cubitorum cum dimidio, quaquaverſum. Portæ & ædificia amborum Atriorum ſimilia erant & (*p*) ad eorum frontem: at periſtylia omnium ædificiorum, & omnium Portarum porticus aut veſtibula ad *Altare* ſpectabant. Poſteriores columnarum ordines in periſtyliis adhærebant marmoreis parietibus, qui periſtylia circumcludebant, & ædificia ſuſtinebant: hæc ædificia erant tres contignationes periſ-
TAB. I. tyliis impoſita, & quarum (*q*) quælibet innitebatur uno trabium aut columnarum cedrinarum ordine, quæ medio marmorearum columnarum ordini inſiſtebant: ædificia hinc inde à ſingulis *Atrii Populi* portis, erant cubitorum centum octoginta ſeptem cum dimidio, longitudine, diſtincta in quinque cellas in unoquoque tabulato unam poſt aliam à portis ad angulos Atrii diſpoſitas: itaque (*r*) ſingula tabulata omnino triginta cellas aut cœnacula, in quibus populus ſacrificia comedebat, complectebantur, ſive omnino erant exhedræ triginta, quarum quæque tres cellas, inferiorem, mediam, & ſuperiorem continebat: ſingulis exhedris erat longitudo cubito-
TAB. III. rum triginta ſeptem cum dimidio, & fulcimento erant quatuor columnæ pro quoque ordine, quarum baſes quadratæ quatuor cubitos cum dimidio in longum extendebantur; & columnarum baſes inter

(*n*) Ezech. XL. 22. 26. 31. 34. 37.
(*o*) 1. Reg VI. 36., & VIII. 12. Ezech. XL. 17. 18.
(*p*) Ezech. XL. 19. 31. 34. 37.
(*q*) 1. Reg. VI 36., & VII. 12.
(*r*) Ezech. XL. 17.

Digitized by Google

inter se distabant intervallo cubitorum sex & dimidii, axes autem cubitorum undecim; ubi verò duæ erant exhedræ continuæ, continuæ pariter erant columnarum bases, neque inter axes majus quàm quatuor cubitorum & pollicum sex spatium intercipiebatur: &, fortasse, quò firmius esset ædificium, intervallum illud, quod duos columnarum axes separabat, impletum erat parastatâ (z), ita ut utrinque media columna extaret. Ad horum ædificiorum extremitates, quatuor *Atrii Populi* angulos (s) occupabant quatuor Atriola, quorum exteriora quæque latera, in quadrum habebant quinquaginta cubitos, interiora verò quadraginta, & continebant scalas ædificiorum, culinásque ad panem & victimas populo coquendas; culinis autem erat triginta cubitorum longitudo, & scalis decem. Ædificia, quæ hinc indè ab *Atrii Sacerdotum* portis erant, pariter triginta septem cubitos & pollices sex in longum habebant, & singula continebant in quâque contignatione magnum unum cœnaculum, in angustiores cellas dispertitum ad usum majorum Templi Ministrorum, & Principum Sacerdotum. In angulis, qui ab Oriente ad Meridiem & ad Septemtrionem inclinabant, ad ædificiorum extremitates, erant pariter popinæ & scalæ (K K) majoribus Ministris destinatæ, &, fortè, cellæ, quibus ligna super *Altare* comburenda servarentur. Descriptio Templi Salomonis. TAB. II.

Ad (t) Orientalem *Atrii Populi* portam (g) sedebant Judices, nempe, tres & viginti Seniores. Orientalis porta (l) *Atrii Sacerdotum* unà cum ædificiis (o p) utrinque sitis, summo Sacerdoti inserviebat, ejus delegato *Sagan*, & *Sanhedrim* aut supremæ Curiæ, quæ septuaginta Senioribus constabat. Ædificium aut exhedra, spectans ad Orientale Meridionalis portæ latus, (q), destinatum erat Sacerdotibus præpositis curæ *Sanctuarii* & ærariorum; nempe, primò, duo *Catholikim*, qui erant principes ærario præfecti, atque Summo Sacerdoti à secretis, & debebant examinare, conficere, & præparare cunctas expensi rationes, quas summus Sacerdos, nomine & sigillo appositò, confirmare debebat; deinde septem *Amarcholim*, quibus custodiendæ credebantur claves septem serarum, TAB. I.

(s) Ezech. XLVI 21. 22.
(t) Ezech. XL. 45.

Digitized by Google

CAP. V. rum, quibus ſingulæ Sanctuarii portæ erant inſtructæ, æquè ac claves æræriorum, & omnia ad *Sanctuarium* pertinentia obſervare, dirigere, curare debebant; tandem tres *Giſbarim*, vel plures, qui fungebantur munere ſecundariorum æræriis præfectorum, aut coactorum, & ſervabant Sacra Vaſa, & argentum Publicum, atque cogebant & impendebant pecuniam uſui Templi deſtinatam, & ejus rationes reddebant. Omnes hi ſimul cum Summo Sacerdote componebant ſupremum concilium pro iis, quæ ad Templum ſpectabant.

Victimæ (v) cædebantur ad Septemtrionale *Altaris* latus; & excoriabantur ac in fruſta ſecabantur, & ſale condiebantur in Templi portâ (n) pariter ſeptemtrionali; & idcirco ædificium aut exhedra (r) ad Orientem hujus portæ erat illorum Sacerdotum, quibus *Altari* & quotidiani cultûs cura demandata erat: hi Miniſtri erant; Ille qui à Populo pecuniam recipiebat, quâ res ad Sacrificia neceſſariæ emerentur, & ad id ſchedulas dabat; Ille, qui viſis ſchedulis, vinum, farinam, & oleum empta tradebat; Ille, qui præerat ſortibus, quibus quiſque è Sacerdotibus *Altari* miniſtrantibus certum officium habebat; Ille qui ad Schedularum conſpectum, turtures & columbas emptas tradebat; Ille, qui erga Sacerdotes miniſtrantes Medici vice fungebatur. Ille cui aquarum cura commiſſa erat; Ille, qui temporibus præpoſitus erat, & præconis partes implebat Sacerdotes & Levitas ad officium vocans; Ille, qui mane portas aperiebat, quò cultus inchoaretur, & qui, eo finito, veſpere claudebat; & propterea claves ab *Amarcholim* accipiebat, &, munere ſuo functus, illi reddebat; Ille, qui vigiles inviſebat; Ille, qui Cymbalo Levitas, ut canerent, ad eorum ſtationes appellabat; Ille, qui Hymnos canendos præfiniebat & Cantoribus modum præibat; & Ille, cui panum Propoſitionis cura commiſſa erat: aderant præterea Miniſtri curantes thymiamata, Velum, & Sacerdotum veſtiaria.

Exhedræ (t, s), quæ à portâ Meridionali & à Septemtrionali ad Occaſum vergebant, inſerviebant. Principibus quatuor & vi-
TAB. I. ginti ordinum Sacerdotum, nempe ſingulæ duodecim Principibus; hinc

(v) Ezech XL 39. 41. 42. 46.

Digitized by Google

hinc inde à *Loco Separato* (*x*) ædificia ſine Periſtyliis pavimento ſuperſtructa erant, ubi viginti quatuor ordines Sacerdotum Sacrificia comederent, & veſtes ac ſanctiores res reponerent : unumquodque pavimentum (RRRT) erat centum cubitorum longitudine, & quinquaginta latitudine, & hinc inde habebat ædificia viginti cubitis longa, diſtincta ambulacro (S) decem cubitis lato : ædes, quæ *Locum Separatum* pertingebant (RR), centum cubitis in longum patebant; quæ verò *Atrio Populi* proximæ erant, (RT) dumtaxat quinquaginta (R), quandoquidem quinquaginta reliquos (T) (*y*) ad Occaſum ſpectantes ſcalæ & culinæ occupabant: his ædibus (*z*) erant tres contignationes, quarum media contractior erat quàm ima, & ſumma adhuc contractior quàm media, quò periſtyliis locus ſupereſſet; erant enim ad contignationum frontem periſtylia, ubi erant conclavia; quibus res ſacræ, & Sacerdotum veſtes aſſervabantur; & hæc periſtylia in ambulacrum, quod extendebatur inter ædificia, reſpiciebant. Deſcriptio Templi Salomonis.

A *Sacerdotum Atrio* ad Templi veſtibulum (M) decem gradibus aſcendebatur : & Domus (*a*) Templi (NO) viginti cubitos in latum, & ſexaginta in longum patebat; ſeu triginta in latum, & ſeptuaginta in longum, ſi muros complectaris; vel ſeptuaginta in latum, & nonaginta in longum, adjectis æræriis (PPPP), quæ viginti cubitis lata, tria Domûs latera circumcludebant; &, totum Templum cum Veſtibulo (M) longum (*b*) erat centum cubitis.

Æraria è cedro conſtabant inter murum Templi, & murum alium : in duos (*c*) ordines diſtributa erant, & tres habebant contignationes, & portæ oppoſitæ ſitæ erant in meſaulâ, quæ inter ordines illos porrigebatur, & quinque cubitos latitudine in tabulatis ſingulis occupabant; itaque latitudo cellarum, hinc inde à meſaulâ ſitarum, erat decem cubitorum, adjectâ craſſitie muri, cui incumbebant; & tota cellarum, meſaulæ, & utriuſque muri ſimul

(*x*) Ezech XLII. 1. 2. 3. 4. 6. 8. 13. 14.
(*y*) Ezech. XLVI. 19. 20.
(*z*) Ezech. XLII. 5. 6.
(*a*) I. Reg. VI. 2., & Ezech. XLI. 2. 4. 12. 13. 14.
(*b*) I. Reg. VI. 3., & Ezech, XLI. 13.
(*c*) Ezech. XLI. 6. 11.

Digitized by Google

CAP. V. simul latitudo erat viginti quinque cubitorum : cellæ tabulati imi (d) latæ erant quinque cubitos ; medii, sex ; superioris septem ; etenim in quoque tabulato crassities muri Templum concludentis uno cubito diminuta erat, ubi tigna erant posita. EZECHIEL describit cellas cubito uno angustiores, & murum tanto crassiorem, quàm in SALOMONIS Templo : quævis contignatio in triginta (e) cellas distributa erat, earum numerus omnino ad nonaginta ascendebat, & illarum in singulis tabulatis altitudo erat quinque cubitorum. Vestibulum (M) Templi (f) centum & viginti cubitorum altitudine erat, atque ejus longitudo à Meridie ad Septemtrionem æquabat Domûs latitudinem : Domus habebat trium contignationum altitudinem, unde conficitur altitudo *Loci Sacri* ter triginta cubitorum, & altitudo *Loci Sanctioris* ter viginti ; cellæ superiores erant loca ærarii ; ad medias cellas (g) ascendebatur per scalas cochlides (Q), quæ erant in meridionali Domûs latere ; & eodem pacto è mediis in superiores.

Paulò postquam Templum conditum fuit, *Judæi* (h) illud *Atrio novo* ad Orientale *Atrii Sacerdotum* latus ante *Regis Portam* auxerunt, & ibi tectum (i) *Sabbathi* condiderunt : hoc Atrium EZECHIEL dimensus non est, sed ejus dimensiones obtineri possunt ex mensuris *Atrii Fœminarum*, quod in secundo Templo ad hujus exemplum fuit ædificatum : etenim, cùm primum Templum à NABUCHODONOSORO destructum fuisset, aliud ZOROBABEL, jubente CYRO, & DARIO construxit super eandem aream, præter Atrium exterius, quod *Gentibus* apertum reliquit : & hoc Templum (k) erat sexaginta cubitos longum, & sexaginta latum duarum tantummodo contignationum altitudinem habebat, & ab uno cellarum ærarii vicem præstantium ordine circumdatum erat : hinc inde à *Sacerdotum Atrio* dupli-

(d) I Reg. VI. 6.
(e) Ezech. XLI. 6.
(f) II. Chron. III. 4.
(g) I. Reg. VI. 8.
(h) II. Chron. XX. 5.
(i) II. Reg. XVI. 18.
(k) Esdra VI. 3. 4.

Digitized by Google

duplicibus ædibus in Sacerdotum usum erat instructum, quæ tribus marmorearum columnarum ordinibus imam contignationem constituentibus, insistebant, & superiores contignationes uno cedrinarum trabium aut columnarum ordine præditæ erant; & peristylium imi tabulati ad *Atrium Sacerdotum* respiciebat: *Locus* autem *separatus*, atque *Sacerdotum Atrium* cum ædibus ad Aquilonem & Austrum, & *Atrium Fœminarum* ad Orientalem extremitatem, concludebant aream tercentorum cubitorum longitudine, latitudine verò ducentorum; & omnium centrum occupabat *Altare*. *Atrium Fœminarum* sic dicebatur eò quòd fas erat fœminis illud ingredi æquè ac viris; fœminis erant porticulæ; viri autem Deum adorabant humi inferiùs: hanc formam habuit secundum Templum, quousque Regnum obtinuerunt *Persæ*, sed deinde nonnullas mutationes, præsertim HERODIS temporibus, passum est. Descriptio Templi Salomonis.

Quoniam hæc Templi descriptio præcipuè desumpta est è Visione, quæ circa illud EZECHIELI ostensa fuit; & quoniam vetus *Hebraïcum* exemplum, quod *Septuaginta Interpretes* secuti sunt, nonnullas habet lectiones diversas ab illis, quæ continentur in exemplo, quod recentioris *Hebraïci* textûs Editores sequuntur, subdam illam Visionis partem, quæ pertinet ad *Atrium exterius*, ut eam desumpsi ex hodierno *Hebraïco* exemplo, & ex Septuaginta versione simul collatis.

Digitized by Google

CAP. V.

EZECHIEL

CAPITE XL.

VERSICULIS V,

&c.

TAB. I. *Ecce autem* * *murus ad exteriorem Domûs partem, eam circumclaudens*, ab illâ distans quinquaginta cubitis (a a b b): *& in viri manu calamus mensorius sex cubitorum longitudine, ex cubito & palmo: itaque mensus est latitudinem ædificii*, seu muri, *calamo uno, & altitudinem calamo uno. Deinde venit ad*

TAB. III. *portam* Domûs, *quæ ad Solis ortum vergebat, & ascendit septem ejus gradus* (A B), *& metatus est limen portæ* (C D), *quod unius calami latitudine erat, &* Janitorum *cellulam* (E F G) *uno calamo longam atque uno calamo latam; & hiatum fornicatum inter cellulas* (F H) *quinque cubitis; & secundam cellulam* (H I K) *uno calamo longam atque uno calamo latam; & hiatum fornicatum* (I L) *quinque cubitis; ac tertiam cellulam* (L M N) *uno calamo longam atque uno calamo latam: & limen portæ propioris vestibulo portæ intrinsecùs* (O P) *uno calamo; atque dimensus est portæ vestibulum* (Q R) *octo cubitis; & ejusdem postes aut antas* (S T s t) *duobus cubitis; & vestibulum portæ* (Q R) *spectabat introrsum*, sive interius Atrium versùs, *& cellulæ* (E F, H I, L M, e f, h i, l m) *prospectabant* extrorsum seu *ad Orientem; tres hinc & tres inde* à portâ. *Erat una mensura tribus, & una mensura postibus hinc inde; & metatus est latitudinem hiatûs portæ* (C c, sive D d) *decem cubitis; & latitudinem portæ* intrinsecùs inter cellu-

* Litteræ, quæ ad Tabulas referuntur, in toto hoc EZECHIELIS loco ab ipso Auctore Newtono positæ sunt.

Digitized by Google

cellulas (Ee, aut Ff) *tredecim cubitis*; *& terminum, aut marginem aut gradum ante cellulas* (EM) *uno cubito hinc, & gradum* (em) *uno cubito inde; atque cellulæ* (EFG, HIK, LMN, efg, hik, lmn) *erant sex cubitis* latæ *hinc, & sex cubitis* latæ *inde*: *& mensus est* totam latitudinem *portæ, ab* exteriore *muro cellulæ unius ad* exteriorem *alterius cellulæ murum*: *latitudo* (Gg, seu Kk, seu Nn) *erat viginti quinque cubitorum* transversorum; *hiatus* (TH) *oppositus hiatui* (fh): *& metatus est antas* (EF, HI, & LM; ef, hi, & lm) *viginti cubitis* altas; *& antis erant portæ*, seu hiatus fornicati (FH, IL, fh, il,) circumcirca, *& ab* Orientali *portæ facie ad introitum* (Cc) *ad* Occidentalem *faciem vestibuli portæ interioris* (Tt) *erant quinquaginta cubiti*: *atque cellulæ habebant angustas feneſtras, æquè ac vestibulum intra portam quaquaversum, & antæ; etiam feneſtræ erant undequaque intrinsecùs & in singulis antis erant palmæ.* Descriptio Templi Salomonis.

Deinde introduxit me in Atrium exterius, & ecce ibi erant cellæ & pavimentum cum columnis superimpositis in Atrio quaquaversum, triginta cellæ, una post aliam, *super pavimentum, columnis innixæ*, decem cellæ in singulis lateribus, præter Occicidentale: *& pavimentum terminabatur ad latera portarum inferiùs*, singulæ autem portæ habebant quinque cœnacula aut exhedras hinc inde. *Et mensus est latitudinem* Atrii exterioris, *ab anteriore fronte portæ inferioris ad anteriorem frontem Atrii interioris, centum cubitos ad Orientem.* TAB. I.

Postea deduxit me versùs Septemtrionem, & ibi erat porta, quæ ad Septemtrionem respiciebat, mensus est ejus longitudinem, & ejus latitudinem, & ejus cellulas, tres hinc & tres inde, & ejus antas, & ejus vestibulum, & erant juxta mensuras prioris portæ; ejus longitudo erat quinquaginta cubitorum, & ejus latitudo quinque & viginti: & ejus feneſtræ, ac vestibulum, & palmæ erant *secundùm mensuras portæ ad Orientem prospectantis, & in eam ascendit septem gradibus: & vestibulum erat ante eam*, hoc est, interius. *Et ibi erat porta interioris Atrii è conspectu* hujus *portæ Septemtrionalis, ut* in portis *Orientem versùs: & metatus est à portâ ad portam centum cubitos.*

Digitized by Google

EXPLICATIO

TABULÆ PRIMÆ.

DESCRIPTIO TEMPLI SALOMONIS.

ABCD. *Locus Separatus*, in quo erat Templum.

ABEF. *Atrium Sacerdotum.*

G. *Altare.*

DHLKICD. *Pavimentum* circumcludens ad tria latera memoratum *Atrium* (ABEF), & cui ſuperſtructæ erant ædes in uſum *Sacerdotum*, cum periſtyliis ſuppoſitis.

MNOP. *Atrium Populi.*

MQTSRN. *Pavimentum* ad tria latera circumcludens *Atrium Populi*, & cui ſuperſtructæ erant ædes in uſum *Populi*, cum periſtyliis ſuppoſitis.

UXYZ. *Mons Domûs.*

a a b b. Murus omnia complectens.

c. Porta *Shallecheth.*

d. Porta *Parbar.*

e f. Duæ portæ *Aſuppim* vel *Aſſupim.*

g. Orientalis porta *Atrii Populi*, dicta *Regis porta.*

h, *h.* Septemtrionalis & Meridionalis portæ *Atrii* ejuſdem.

i, *i*, *i*, *i.* *Cellæ* ſuper periſtylia *Atrii Populi*, ubi Populus res oblatas comedebat: triginta *cellæ* erant in ſingulis contignationibus.

k, *k*, *k*, *k.* Quatuor *Atriola*, in quibus erant *Scalæ* & *culinæ* in uſum Populi.

l. Porta

l. Porta *Orientalis Atrii Sacerdotum*, ſuper quam erat *Sanhedrim* ſedes

m. Porta *Meridionalis* ejuſdem *Atrii Sacerdotum.*

n. Porta *Septemtrionalis* ejuſdem *Atrii*, ubi victimæ jugulabantur.

o, *p*, *q*, *r*, *ſ*, *t* *Ædes* ſuper periſtylia in uſum *Sacerdotum*, videlicet, ſex vaſta cœnacula (ſubdiviſa) in ſingulis contignationibus, quorum *o* & *p.* ſerviebant *Summo Sacerdoti* atque *Sagan*; at *q* cuſtodibus *Sanctuarii* & *ærarii*; ſed *r* inſpectoribus *Altaris* & *Sacrificii*; denique *s* & *t* principibus viginti quatuor ordinum *Sacerdotum.*

v, *u.* Duo *Atriola*, in quibus erant ſcalæ & culinæ in uſum *Sacerdotum.*

x. *Domus* vel *Templum*, quod (unà cum *æraríis y*, & *ædes z z*, hinc inde à *Loco Separato*) ſingulatim in ſecunda Tabulâ deſcribitur.

Digitized by Google

CAP. V.

EXPLICATIO

TABULÆ SECUNDÆ.

DESCRIPTIO

Atrii interioris & ædium in usum Sacerdotum.

ABCD. *Locus Separatus.*

ABEF. *Atrium interius*, aut *Atrium Sacerdotum*, divisum *à Loco Separato* & à *Pavimento* ordine columellarum marmorearum.

G. *Altare.*

H, H, H. *Orientalis, meridionalis*, & *septemtrionalis Portæ Atrii Sacerdotum.*

I, I, I, I, I, I, *Peristylia*, quibus innixæ erant *Sacerdotum* ædes.

K, K. Duo *Atriola*, in quibus erant scalæ & culinæ in usum *Sacerdotum.*

L. Decem *gradus* vestibuli Templi.

M. *Vestibulum* Templi.

N. *Locus Sanctus.*

O. Locus Sanctior.

PPPP. Triginta *cellæ* ærarium constituentes, in duos ordines distributæ, aditum habentes in mesaulâ, ostium contra ostium, & circumclaudentes ad tria latera Locum Sanctum & Sanctiorem.

Q. *Scalæ* ducentes ad medias cellas.

RRR. &c. *Ædes* in usum vigintiquatuor ordinum Sacerdotum, super Pavimentum, hinc inde à *Loco Separato*, tribus contignationibus præditæ, sine peristyliis, & quarum superiores contignationes erant inferioribus angustiores, quo locus esset peristyliis ante eas. Singulæ contignationes habebant viginti quatuor cellas, quæ aditum habebant in *mesaulam* S, S.

T, T. Duo Atriola, in quibus erant culinæ pro Sacerdotibus viginti quatuor ordinum.

EXPLI-

Digitized by Google



Digitized by Google

CAP.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EXPLICATIO

TABULÆ TERTIÆ.

PECULIARIS DESCRIPTIO

unius è portis Atrii Populi, *cum parte Periſtylii adjacentis.*

u w. Interior *margo* Pavimenti circumplectens tria latera *Atrii Populi.*

x, *x*, &c. *Columnæ* periſtylii ſuſtinentis ædes *Atrii Populi.*

y, *y*, &c. *Duplices Columnæ* ubi duæ exhedræ jungebantur, & quarum interſtitia *z*, *z* in fronte implebat paraſtata marmorea.

Notandum.

Superiores litteræ, quæ in Tabulâ leguntur, referuntur ad deſcriptionem, quæ eſt pag. 242. 243.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
VETERUM REGNORUM
EMENDATA.

CAPUT VI.

De Perſarum Imperio.

CYRUS, qui ad *Perſas* Imperium tranſtulerat, & Regno ſeptem annos potitus fuerat, ſucceſſorem habuit filium CAMBYSEM; apud hunc fuit rerum ſumma ſeptem annos & menſes quinque, atque is tribus ultimis ſui Principatûs annis *Ægyptum* ſibi ſubjecit: in hujus locum ſuffectus eſt MARDUS aut SMERDIS *Magus*, qui ſe SMERDIM CAMBYSIS fratrem ſimulavit.

Septem menſes imperavit hic SMERDIS; ſed octavo agnitus fuit, & unà cum ingenti *Magorum* numero interfectus; *Magos* autem *Perſæ* Sacerdotes ſuos vocabant; & in facti memoriam quotannis diem celebrabant, quem *Magi-Cidium* (ſit verbo venia) dicebant. Deinde paucos dies rerum potiti ſunt MARAPHUS & ARTAPHERNES, & poſt hunc DARIUS filius HYSPASPIS, ARSAMENE prognati ex ACHÆMENIS *Perſæ* gente: DARIUM hunc equi ſui hinnitus Regem fecit; ei nomen

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

nomen fuit OCHO (*a*) antequam ad Regnum perveniret. Videtur hac occasione *Magorum* instituta reformavisse, creato illorum Magistro, vel *Archimago*, HYSTASPE patre; quandoquidem legimus apud PORPHYRIUM, (*b*) quòd Magi *erant genus hominum, quos tantâ* Persæ *veneratione prosequebantur, ut* DARIUS *filius* HYSTASPIS *monumento patris*, inter cetera, *eum fuisse* Magorum *Magistrum inscripserit.* In hac *Magorum* reformatione HYSTASPI se ZOROASTRES adjutorem præbuit: sic AGATHIAS, *nunc* Persæ *stultè dicunt* ZOROASTREM *sub* HYSTASPE *vixisse*: atque APULEIUS, PYTHAGORAM, *aiunt*, inter captivos CAMBYSÆ *Regis* (ex *Ægypto Babylonem* abductos) *doctores habuisse* Persarum Magos, *& præcipuè* ZOROASTREM *omnis divini arcani antistitem.* ZOROASTRES, quoniam *Babylone* versatus est, videtur scientiam suam à *Chaldæis* mutuatus; nam, Astronomiam callebat, & *Chaldaico* anno utebatur: ait enim Q. CURTIUS, (*c*) Magi *proximi patrium carmen canebant*: Magos *tercenti & sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero*: & AMMIANUS, *Scientiæ multa ex* Chaldæorum *arcanis* Bactrianus *addidit* ZOROASTRES. Cùm pluribus in locis versatus fuerit, habitus est *Chaldæus, Assyrius, Medus, Persa, Bactrianus.* SUIDAS eum vocat (*d*) *Medo-Persam*, & asserit, quòd *fuit Astronomorum peritissimus, & primus auctor nominis* Magorum *apud eos usurpati.* A *Chaldæis* proculdubio scientiam Astronomiæ accepit, sed HYSTASPES *Indiam* petivit ut à *Gymnosophistis* erudiretur: & ambo, doctrinam & auctoritatem in unum jungentes, novam Sacerdotum aut *Magorum* sectam instituerunt, quos docuerunt eos Religionis & Philosophiæ ritus & ea mysteria, quæ in Imperii Religionem & Philosophiam introducenda censuerunt; quæ doctrina ab his ad alios manavit, donec è parvo numero in ingentem multitudinem

De Imperio Persarum.

(*a*) Valer. Max. l. c. 9. 2.
(*b*) Porphyr. de Abstinentiâ l. 4.
(*c*) Q. Curt. l. III. c. 3.
(*d*) Suidas in Ζωροάστρης.

Digitized by Google

CAP. VI. excreverunt; etenim à SUIDA discimus, quòd ZOROASTRES *initium dedit* Magorum *nomini*; atque ab ELMACINO, quòd *hic* Persarum *Religionem, priùs in plures sectas divisam, reformavit*; & ab AGATHIA, quòd *ipse* Magorum *Religionem apud* Persas *introduxit, antiquis eorum sacris ritibus mutatis, atque pluribus opinionibus inlatis*: ab AMMIANO (*e*) autem, *Magiam esse divinorum incorruptissimum cultum, cujus scientiæ ex sæculis priscis multa ex* Chaldæorum *arcanis* Bactrianus *addidit* ZOROASTRES: *deinde* HYSTASPES *Rex prudentissimus* DARII *pater*; *qui, cùm superioris* Indiæ *secreta fidentiùs penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis præcelsa* Brachmanorum *ingenia potiuntur*; *eorúmque monitu rationes mundani motûs & siderum, purósque Sacrorum ritus, quantùm colligere potuit, eruditus, ex his, quæ didicit, aliqua sensibus* Magorum *infudit*; *quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quisque progeniem, posteris ætatibus tradunt. Ex eo, per sæcula multa ad præsens, unâ eâdémque prosapiâ multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur. Feruntque, si justum est credi, etiam ignem cœlitùs lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam* Asiaticis *Regibus dicunt: Hujus originis apud Veteres numerus erat exilis, ejúsque mysteriis* Persicæ *potestates in faciendis rebus divinis solemniter utebantur. Erátque piaculum aras adire, vel hostiam contrectare, antequam* Magus *conceptis precationibus libamenta diffunderet præcursoria. Verùm aucti paulatim, in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen: villásque inhabitantes nullâ murorum firmitudine communitas, & legibus uti permissi, Religionis respectu sunt honorati.* Itaque hoc Imperium principiò ex pluribus Nationibus concrevit, quarum singulæ eatenus propriâ Religione usæ sunt; tunc autem HYSTASPES & ZOROASTRES, colligentes quidquid optimum visum est, illud legibus sanciverunt, aliósque docuerunt, unde rursus ad alios propagatum est, donec eorum Discipuli in tantum numerum creverunt, ut Imperio universo Sacerdotes sufficere valerent; atque variis illis Religionibus, quæ

(*e*) Ammian. l. 23. c. 6.

hac-

Digitized by Google

hactenus obtinuerant, instituta sua subrogaverunt, eodem ferè pacto, quo NUMA *Romanorum* Religionem excogitavit atque constituit: hæc autem Imperii *Persici* Religio constabat tum ex *Chaldæorum* institutis, in quibus ZOROASTRES erat versatissimus, tum ex veterum *Brachmanorum* placitis, qui, ut supponitur, vel nomen ipsum derivaverant ab *Abrahamanis*, aut ABRAHAMI filiis, quos nempe hic ex alterâ conjuge KETURA suscepit, & quos pater UNUM DEUM sine imaginibus colere docuit, & Orientem versùs misit; horum successoribus magistris usus est HYSTASPES. Iisdem fermè temporibus, quibus HYSTASPES & ZOROASTRES, vixit OSTANES & ipse *Magus* egregius. PLINIUS eum ponit sub DARIO HYSTASPIS, & SUIDAS eum facit ZOROASTRIS discipulum: is in *Græciam* cum XERXE venit, & videtur fuisse OTANES ille, de quo HERODOTUS, qui SMERDIS dolum detexit, & in eum conspiravit, quâ de causâ à Conjuratis honore prosecutus fuit, & à DARII dominatione immunis. De Imperio Persarum.

In sacris *Persicorum* rituum commentariis hæc verba leguntur ZOROASTRI tributa (*f*); Ὁ Θεὸς ἔστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος· οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος, ἄφθαρτος, ἀΐδιος, ἀγένητος, ἀμερὴς, ἀνομοιότατος, ἀσίοχος παντὸς καλοῦ, ἀδωροδόκητος, ἀγαθῶν ἀγαθώτατος. φρονίμων φρονιμώτατος· ἔστι δὲ καὶ πατὴρ εὐνομίας καὶ δικαιοσυνής, αὐτοδίδακτος, φυσικὸς, καὶ τέλειος καὶ σοφός, καὶ ἱεροῦ φυσικοῦ μόνος εὑρετής· *Deus est accipitris capite; hic est primus, incorruptibilis, æternnus, ingeitus, sine partibus, omnibus aliis dissimillimus, moderator omnis boni, donis non capiendus, bonorum optimus, prudentium prudentissimus; legum, æquitatis, ac justitiæ parens, ipse sui doctor, physicus, & perfectus, & sapiens, & sacri physici unus inventor.* Eadem docuerat OSTANES in suo libro, qui inscriptus erat *Octateuchus*. Hic erat antiquus Deus *Magorum Persarum*, & eum colebant igne perpetuo, quem ad Sacrificiorum usum asservabant super Altare in centro areæ rotundæ fossâ circumdatæ, & sine Templo. Nullum tunc reddebant cultum neque mortuis

 neque

(*f*) Euseb. Præpar. Evang. l. 1. c. ultimo.

CAP. VI. neque imaginibus; at paulò pòst ab æterni, invisibilis Dei cultu declinaverunt ad venerationem Solis, ignis, & mortuorum, atque imaginum, ut jam *Ægyptii*, *Phœnicii*, & *Chaldæi* fecerant: & ex hisce superstitionibus ac divinationibus, quas se callere contendebant, accidit ut verba, *Magi* & *Magia* quæ significabant *Persarum* Sacerdotes & Religionem, malè sonarent.

DARIUS aut DARAB Regnum inivit vere, anno decimo sexto Imperii *Persarum*, & NABONASSARI ducentesimo vicesimo septimo; illud autem tenuit annos triginta sex, nemine Chronologorum dissentiente. Anno ejus Regni secundo, *Judæi* Templum condere cœperunt, quod anno sexto, juxta AGGÆI & ZACHARIÆ prophetias, perfecerunt. Is cum *Græcis Marathone* conflixit mense *Octobri*, anno NABONASSARI ducentesimo quinquagesimo octavo, decem annis ante *Salaminiam* pugnam, & obiit vertente quinto post *Marathonium* prælium anno, hieme ad finem vergente, aut vere ineunte, anno NABONASSARI ducentesimo sexagesimo tertio. Anni CAMBYSÆ & DARII determinantur tribus Eclipsibus lunaribus, de quibus meminit PTOLEMÆUS, ita ut nulla de iis possit esse controversia: & ex his Eclipsibus atque AGGÆI & ZACHARIÆ prophetiis collatis, manifestò patet annos DARII initium habuisse post vicesimum quartum diem undecimi *Judæorum* mensis, & ante vicesimum quintum mensis *Aprilis*; igitur aut *Martio* aut *Aprili*.

In DARII locum successit XERXES, ACHSCHIROSCH, ACHSWEROS, aut OXYARES, qui primos quinque Principatûs sui annos, & ampliùs, consumpsit, dum Expeditionem in *Græcos* adornat: hæc autem Expeditio accidit Ludorum Olympicorum tempore, initio primi anni Olympiadis septuagesimæ quintæ, CALLIA *Athenarum Archonte*; ut omnes Chronologi affirmant. Cùm XERXES maximam populi vim è *Susâ* ad invadendam *Græciam* deduxisset, hinc factum est ut ÆSCHYLUS Poeta dixerit (*g*).

Tò

(*g*) Æschyl. Persæ. v. 763.

Digitized by Google

Τὸ δ' ἄρυ Σύσων ἐξοικίσασιν πεδίον

De Imperio Persarum.

Vacuam fecit cadentem Susam.

Hic exercitus *Hellespontum* transjicere cœpit ad finem vertente anno quarto quartæ & septuagesimæ Olympiadis, videlicet, mense *Junio*, anno NABONASSARI ducentesimo sexagesimo octavo; dum transit, mensis totus abiit, atque tribus mensibus pòst, autumno, decimosexto die mensis *Munychionis*, Lunâ plenâ, pugnata est pugna *Salaminia*, paulo post Lunarem Eclipsem, quæ, per computationes, accidisse die secundo Mensis *Octobris* apparet. Igitur primus XERXIS annus initium habuit vere, anno NABONASSARI ducentesimo sexagesimo tertio, ut supra; Regno, secundùm omnes Scriptores, potitus est annos ferè, viginti & unum, & ab ARTABANO, regiorum satellitum præfecto, fuit obtruncatus circa finem hiemis, anno NABONASSARI ducentesimo octogesimo quarto.

Septem menses imperavit ARTABANUS, &, cùm suspectus esse cœpisset de XERXIS cæde, ab ARTAXERXE *Longimano* XERXIS filio fuit interemptus.

Regnum inivit ARTAXERXES eâ dimidiâ anni parte, in quâ est autumnus, inter quartum & nonum *Judæorum* mensem, (Nehem. I. 1., & II. 1., & V. 14., & Esdra VII. 7. 8. 9.;) & ejus annus vicesimus incidit in quartum Olympiadis octogesimæ tertiæ, ut (*b*) ab AFRICANO discimus; quapropter ejus primus annus principium habuit intra mensem unum aut alterum ab autumnali Æquinoctio, anno NABONASSARI ducentesimo octogesimo quarto. Refert THUCYDIDES nuntium de illius morte *Athenas* pervenisse hieme, anno septimo belli *Peloponnesiaci*, hoc est, anno quarto Olympiadis octogesimæ octavæ; juxta Canonem, regnavit annum supra quadraginta; qui breve tempus, quo ejus prædecessor ARTABANUS imperavit, complectuntur;

(*b*) Apud Hieron. in Daniel. VIII.

Digitized by Google

CAP. VI. & mortuus est circa medium hiemem, anno NABONASSARI tercentesimo vicesimo quinto: *Persæ* quidem nunc istum ARDSCHIR, & BAHAMAN, Orientales verò Christiani ARTAHASCT appellant.

Deinde Regnum obtinuerunt, XERXES duos menses, SOGDIANUS septem menses, & DARIUS *Nothus*, spurius ARTAXERXIS filius, annos undeviginti, quatuor aut quinque mensibus diminutos; diem ultimum obiit æstate, paulò post finitum bellum *Peloponnesiacum*, & eodem anno Olympico, & ideo mense vel *Maio* vel *Junio*, anno NABONASSARI tercentesimo quadragesimo quarto. Decimus tertius, ex quo Regnum adivit, annus, hieme coincidit cum vicesimo belli *Peloponnesiaci*, cujus belli annos certissimi characteres definiunt, & de illis inter omnes Chronologos convenit: belli hujus initium fuit anno primo Olympiadis octogesimæ septimæ, diuturnitas annorum septem & viginti, & finis die decimo quarto mensis *Aprilis* anno quarto Olympiadis nonagesimæ tertiæ.

Proximus ab eo Regnum adeptus est ARTAXERXES *Mnemon* DARII filius; Principatum suum perduxit ad annos sex & quadraginta, decessitque anno NABONASSARI nonagesimo supra tercentesimum. Deinde imperaverunt, ARTAXERXES *Ochus* annos viginti unum, duos ARSES aut ARGOUS, quatuor autem DARIUS *Codomannus* usque ad pugnam *Arbellæ*, quâ *Persicum* Imperium ad *Græcos* translatum fuit die secundo mensis *Octobris*, anno NABONASSARI quatercentesimo decimo septimo; at aliquot mensibus supra annum unum ab eâ pugnâ DARIUS fuit obtruncatus.

Hactenus juxta *Græcos Latinósque* Scriptores hujus Imperii tempora digessi; quandoquidem *Judæi* nihil norunt de Imperiis *Babylonico* & *Medo-Persico*, nisi quæ in Sacris Veteris Testamenti Libris leguntur; & idcirco neque plures Reges, neque plures Regum annos, quàm quos invenire possunt in Libris hisce, recipiunt: solos recensent Reges NABUCHODONOSORUM, EVILMERODACHUM, BALTHASSARUM, DARIUM *Medum*, CYRUM, ASSUERUM, & DARIUM *Persam*; & iis postre-

Digitized by Google

De Imperio Perſarum.

poſtremus hic DARIUS eſt ARTAXERXES ille, quo imperante, *Jeroſolymam* venerunt ESDRA & NEHEMIAS; putant enim *Artaxerxis* nomen omnibus *Perſarum* Regibus commune fuiſſe. NABUCHODONOSORUS, aiunt, Regno potitus eſt annos quinque & quadraginta, (II. Reg. XXV. 27.); tres BALTHASSARUS, (Daniel. VIII. 1.); igitur EVILMERODACHUS viginti tres, quò ſeptuaginta captivitatis anni compleantur; non enim in hunc cenſum referunt primum NABUCHODONOSORI annum, quo, ſecundùm illos, Prophetia de ſeptuaginta annis facta fuit. Annum unum tribuunt DARIO *Medo*, aut, ut maximè, duos, (Daniel IX. 1.); CYRO tres annos, eóſque non completos, (Daniel X. 1.); ASSUERO duodecim, uſque ad conjectam ſortem *Pur*, (Eſtheræ III. 7.); unum præterea, uſque ad pœnas à *Judæis* de hoſtibus ſumptas, (Eſtheræ IX. 1.); & adhuc unum uſque ad Litteras iterum datas ab ESTHERA & MARDOCHEO ut celebrarentur dies *Purim*, (Eſtheræ IX. 29.); unde omnino quatuordecim anni conficiuntur. Iidem DARIO *Perſæ* duos, aut potiùs ſex, ſupra triginta annos aſſignant, (Nehem. XIII. 6.): ita ut Imperium *Perſicum* à Templo condito, anno DARII HYSTASPIS ſecundo, ad illud Imperium ab ALEXANDRO Magno everſum, triginta quatuor dumtaxat annos floruerit: hæc eſt computatio, quam *Judæi* in magnis eorum Chronicis, *Seder Olam Rabbah*, ſecuti ſunt. JOSEPHUS, tunc è Sacris, tum ex aliis libris, hos *Perſarum* Reges tantummodo numerat, CYRUM, CAMBYSEM, DARIUM HYSTASPIS, XERXEM, ARTAXERXEM, & DARIUM; hunc DARIUM, qui eſt DARIUS *Nothus*, ponit eundem fuiſſe ac DARIUM illum poſtremum, quem ALEXANDER Magnus ſuperavit; atque hoc pacto SAMBALLATUM & JADDUAM ad ea tempora refert, quibus ALEXANDER Magnus *Perſarum* Imperium evertit. Ita, ſecundùm *Judæos*, finem habuit Imperium hoc cum ARTAXERXE *Longimano* & DARIO *Notho*; nam, illi non plures *Perſidis* Reges agnoſcunt, quàm quos in libris ESDRÆ & NEHEMIÆ relatos inveniunt, & ad ARTAXERXEM hunc atque hunc DARIUM refe-

Digitized by Google

CAP. VI. referunt, quidquid in profanis hiſtoriis de ſequentibus cognominibus Regibus offendunt: itaque iis ARTAXERXES *Longimanus*, ARTAXERXES *Mnemon*, & ARTAXERXES *Ochus* ſunt unus idémque ARTAXERXES; ac DARIUS *Nothus*, & DARIUS *Codomanus* unus idémque DARIUS; item JADDUA atque SIMEON *Juſtus* unus idémque ſummus Sacerdos. *Judæorum* illi, qui HERODEM eſſe *Meſſiam* crediderunt, quíque eâ de cauſâ dicti fuerunt *Herodiani*, hanc ſententiam ſeptuaginta annorum hebdomadibus, quas inter CYRI & HERODIS Principatus inveniunt, innixi videntur; deinde verò, cùm Prophetiam illam THEUDÆ, JUDÆ *Galilæo*, &, multo pòſt BARCHOCHAB applicaverunt, diuturnitatem Imperii *Perſici* breviorem feciſſe videntur. Quoniam hæ computationes ſatìs imperfectæ ſunt, neceſſariò ad commentarios & monumenta *Græcorum Latinorúm*que & ad Canonem à PTOLEMÆO relatum fuit confugiendum ut hujus Imperii tempora definirentur. Quo facto, meliùs licet intelligere *Judæorum* hiſtoriam libris ESDRÆ & NEHEMIÆ comprehenſam, & in ordinem illam redigere: ſiquidem hi libri, cùm temporis injuriâ fuerint corrupti, illuſtrationum indigent. Et primò quidem hiſtoriam *Judæorum* ſub ZOROBABELE, imperantibus CYRO, CAMBYSE, & DARIO HYSTASPIS, reſtituam.

Illam continent, partim tria priora Capita libri ESDRÆ, & quinque primi verſiculi Capitis quarti; atque partim liber NEHEMIÆ à quinto ſeptimi Capitis verſiculo ad nonum duodecimi: etenim NEHEMIAS illa omnia tranſcripſit è *Judæorum* Chronicis antea ſcriptis, ut manifeſtò perſpiciet quiſquis locum illum leget, & animadvertet quòd Sacerdotes & Levitæ, qui fœdus obſignaverunt die ſeptimi menſis viceſimo quarto, (Nehem. X.,) & ii, qui *Jeroſolymam* è captivitate remeaverunt primo CYRI anno, (Nehem. XII.,) iidem ſunt, & quòd omnes ii, qui reduces fuerunt, fœdus illud obſignârunt, quemadmodum ex nominibus inter ſe collatis, ut vides hìc, apparebit.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes Reduces.	Obſignantes.	De Imperio Perſarum.
NEHEMIAS. (Eſdra II. 2.)	NEHEMIAS.	
SERAÏAS.	SERAÏAS.	
*	AZARIAS.	
JEREMIAS.	JEREMIAS.	
ESDRA.	ESDRA. (Nehem. 8.)	
*	PASHUR.	
AMARIAS.	AMARIAS.	
MALLUCH: vel MELICU. (Nehem. XII. 2. 14.)	MALCHIJAS.	
HATTUS.	HATTUS.	
SHECHANIAS; aut SHEBANIAS. (Nehem. XII. 3. 14.)	SHEBANIAS.	
*	MALLUCH.	
REHUM: aut HARIM. (ibidem. 3. 15.)	HARIM.	
MEREMOTH.	MEREMOTH.	
IDDO.	OBADIAS: vel OBDIAS.	
*	DANIEL.	
GINNETHO: aut GINNETHON. (Nehem. XII. 4. 16.)	GINNETHON.	
*	BARUCH.	
*	MESHULLAM.	
ABIJAS.	ABIJAS.	
MIAMIN.	MIJAMIN.	
MAADIAS.	MAASIAS.	
BILGAS.	BILGAI.	
SHEMAJAS.	SHEMAJAS.	
JOSUA.	JOSUA.	
BINNUI.	BINNUI.	
KADMIEL.	KADMIEL.	

Digitized by Google

CAP. VI. SHEREBIAS. שרביה. SHEBANIAS. שבניה.
JUDAS: aut HODIJAS.
HODAVIAS. (Esdr. II. 40.,
& III. 9. . Ωδοία; Septuag.)

Levitæ JOSUA, KADMIEL, & HODAVIAS aut JUDAS, de quibus hìc mentio fit, recensentur inter præcipuos patres ex populo, qui cum ZOROBABELE reversus est, (Esdr. II. 40.) & adfuerunt, tum quando Templi fundamenta jacta fuerunt, (Esdr. III. 9.,) tum quando Lex lecta fuit, & fœdus percussum atque obsignatum, (Nehem. VIII. 7., & IX. 5. & X. 9. 10.)

Quapropter, simul collatis libris ESDRÆ & NEHEMIÆ, quæ *Judæis* acciderunt sub CYRO, CAMBYSE, & DARIO HYSTASPIS hæc sunt. E captivitate reversi sunt anno primo CYRI cum Sacris Vasibus, & veniâ Templi rursus condendi; venerunt igitur *Jerosolymam* & *Judæam*, quisque in civitatem suam, ubi morati sunt ad septimum mensem usque; tunc omnes *Jerosolymæ* convenerunt, ubi statim erexerunt Altare, & primo septimi mensis die quotidie holocausta offerre, & Legis Librum legere cœperunt, solemne jejunium celebrârunt, & fœdus obsignaverunt; deinde populi Moderatores quidem *Jerosolymæ* manserunt, sed reliqui sortiti sunt quinam *Jerosolymam* colerent, & quinam in alias *Judææ* civitates concederent; & secundo anno, ex quo reduces fuerant, Templi fundamenta jecerunt: at *hostes* Judæ *illos ædificantes turbabant, & contra eos conducebant Consiliarios omnibus diebus* CYRI, quin *etiam usque ad* DARII *Regis* Persidis *Principatum*: secundo autem, ex quo hic Regnum adeptus fuerat, anno, juxta Prophetias AGGÆI & ZACHARIÆ: opus intermissum rursus aggressi sunt, & novo DARII decreto freti, ultimam illi manum imposuerunt die tertio mensis *Adar*, anno sexto ejus Regni, & magno cum gaudio Templi Dedicationem, Pascha, & Azymorum festum celebraverunt.

Jam, hic DARIUS fuit non DARIUS *Nothus*, sed DARIUS HYSTASPIS, ut conjicio animadvertens, quòd annus hujus DARII secundus fuit septuagesimus Divinæ in *Jerosolymam* & urbes

urbes *Judæ* indignationis, quæ cœpit quando *Jeroſolyma* & *Judæ* civitates à NABUCHODONOSORO fuerunt invaſæ, anno SEDECIÆ nono, (Zach. I. 12., Jerem. XXXIV. 1. 7. 22., & XXXIX. 1.;) quartus autem annus ejuſdem DARII fuit ſeptuageſimus, ex quo Templum incenſum fuerat undecimo SEDECIÆ anno, (Zach. VII. 5., & Jerem. LII. 12.;) quæ duo veriſſima ſunt de DARIO HYSTASPIS: ſecundo hujus DARII anno inter vivos agebant nonnulli, qui primum Templum viderant, (Agg. II. 3.;) ſecundus autem annus DARII *Nothi* centum ſexaginta ſex annorum intervallo diſtabat ab illo, quo Templi & urbis excidium accidit. Præterea, ſi Templi perfectio referenda eſt ad ſextum DARII *Nothi* annum, conficietur JOSUAM & ZOROBABELEM fuiſſe, illum Summum Sacerdotem, hunc populi Ducem, centum & duodeviginti continuos annos, præter eos quos antea egerant; quod tempus certè nimis longum eſt: quandoquidem primo CYRI anno Principes Sacerdotum fuerunt, SERAIAS, JEREMIAS, ESDRAS, AMARIAS, MALLUCH, SHECHANIAS, REHUM, MEREMOTH, IDDO, GENNETHO, ABIJAS, MIAMIN, MADDIAS, BILGAS, SHEMAIAS, JOIARIB, JEDAIAS, SALLU, AMOS, HILKIAS, JEDAIAS; hi fuerunt Sacerdotes temporibus JOSUÆ; & horum omnium filii natu maximi, videlicet MERAIAS filius SERAIÆ, ANANIAS, filius JEREMIÆ, MESHULLAM filius ESDRÆ &c., fuerunt Sacerdotum Principes temporibus JOAKIMI filii JOSUÆ; (Nehem. XII.;) unde conſtat ſolito diuturnius non fuiſſe Summum hujus Sacerdotium. De Imperio Perſarum.

Jam igitur hiſtoriam *Judæorum* ſub CYRO, CAMBYSE, & DARIO HYSTASPIS digeſſi; reſtat, ut idem de eorum hiſtoriâ ſub XERXE & ARTAXERXE *Longimano* faciam; etenim ad tempus, quo ARTAXERXES hic, non *Mnemon* ille, Regno potitus eſt, hiſtoriam ESDRÆ & NEHEMIÆ refero: ſiquidem, quandiu ſtetit *Perſicum* Imperium uſque ad poſtremum DARIUM, de quo Sacræ Litteræ mentionem faciunt, & qui mihi eſt DARIUS *Nothus*, fuerunt dumtaxat ſex Summi Sacerdo-

Digitized by Google

CAP. VI. cerdotes ordine continuo ſibi ſuccedentes è patre ad filium, nominatim, JOSUA, JOAKIMUS, ELIASIB, JOIADAS, JONATHAN, & JADDUA, & ſeptimus Summus Sacerdos fuit ONIAS filius JADDUÆ; octavus SIMEON *Juſtus* filius ONIÆ; nonus denique ELEAZARUS frater SIMEONIS natu minimus. Nunc, nobis, mediam computationem ſecutis, tribuenda foret ſingulis Generationibus per filios natu maximos, diuturnitas annorum ſeptem aut octo ſupra viginti, ut ſupra conſtituimus; ſed ſi nunc unicuique Generationis triginta annos aſſignemus, & inſuper ſupponamus JOSUAM, cùm primo anno Imperii *Perſici* è captivitate reverſus eſt, agere annum ætatis triceſimum ſive quadrageſimum, circiter, JOAKIMUS totidem ferè annis natus invenietur anno decimo ſexto DARII HYSTASPIS; atque ELIASIB anno XERXIS decimo; & JOÏADAS *Longimani* ARTAXERXIS undeviceſimo; ac JONATHAN octavo DARII *Nothi*; JADDUA decimo nono ARTAXERXIS *Mnemonis*; ONIAS tertio ARTAXERXIS *Ochi*; & SIMEON *Juſtus* altero ante ALEXANDRI Magni mortem: quæ ratiocinatio, tum cum ſolitis naturæ legibus, tum cum hiſtoriâ mirè conſentit: nam, hoc pacto fieri poteſt, ut ELIASIB Summo Sacerdotio inſignitus & Nepotibus ex filiis auctus fuerit ante ſeptimum annum ARTAXERXIS *Longimani*, (Eſdr. X. 6.), & ut intra ætatem, ad quam plures Seniores perveniunt, Summo Sacerdotio potitus fuerit uſque ad triceſimum ſecundum ejuſdem Regis annum & ultra, (Nehem. XIII. 6. 7.), atque ut ejus ex filio nepos JOHANAN ſeu JONATHAM in Templo cellam habuerit ſeptimo memorati Regis anno, (Eſdr. X. 6.) atque ut fuerit Summus Sacerdos antequam ESDRAS *Levitas* in *Chronicorum* libro deſcripſerit, (Nehem. XII. 23.); atque ut, dum eſſet ſummus Sacerdos, fratrem natu minimum JESUM ante finitum ARTAXERXIS *Mnemonis* Principatum, in Templo obtruncaverit, (Joſeph. Antiq. l. XI. cap. 7.). Item fieri poteſt, ut JADDUA Summum Sacerdotium adeptus fuerit

Digitized by Google

fuerit ante SANBALLATI mortem, (Joseph. ibidem,) & ante obitum NEHEMIÆ; (Nehem. XII. 22.), & etiam antequam DARIUS *Nothus* Regno cederet; & ut ita locus datus fuerit JOSEPHO & recentioribus *Judæis*, qui Regem hunc pro ultimo DARIO ceperunt, labendi in eam sententiam, quòd nempe SANBALLATUS, JADDUA, & MANASSES hujus frater natu minimus vitam ad finem Dominationis ultimi DARII produxerunt, (Joseph Antiq. l. XI. c. 7. 8.). Memoratus MANASSES duxisse potest NICASUM filiam SANBALLATI & eâ de causâ pulsus fuisse à NEHEMIA antequam ARTAXERXIS *Longimani* Regnum finem haberet, (Nehem. XIII. 28., Joseph. Antiq. l. XI. c. 7. 8.); fieri quoque potest ut eodem tempore SANBALLATUS fuerit *Samariæ Satrapes*, &, imperante DARIO *Notho*, Templum *Samaritanorum* in Monte *Garizim* condiderit in gratiam Generi sui MANASSIS, qui primus illius Templi Summus Sacerdos fuit, (Joseph. ibidem;) neque à verosimile alienum est SIMEONEM *Justum* Summum Sacerdotium exercuisse eo tempore, quo ALEXANDER Magnus *Persicum* Imperium invasit, ut *Judæi* affirmant, (Joma fol. 69. 1. Liber Juchasis. R. Gedaliah. &c.), & eâ de causâ fieri potest, ut *Judæorum* nonnulli eum habuerint pro uno eodémque Sacerdote ac JADDUA; & nihil obstat quin mortuus fuerit aliquandiu ante quàm liber *Ecclesiasticus* hebraïcè scriptum fuit *Jerosolymæ* ab ejus avo, qui anno duodequadragesimo *Ægyptiacæ Æræ* DIONYSII, hoc est anno ab ALEXANDRO mortuo septuagesimo septimo, illius libri exemplum offendit in *Ægypto*, & illum ibi in *Græcam* linguam transtulit. (Ecclesiast. cap. 50., & in Prolog.), & ELEAZARUS SIMEONIS Successor & Frater natu minimus occasionem præbuisse potest Legis *Græcè* vertendæ, PTOLEMÆO *Philadelpho* Regnum ineunte, (Joseph. Antiq. l. XII. c. 2.); & fieri potest, ut ONIAS filius SIMEONIS *Justi*, qui, cùm pater mortuus est, puer erat, & idcirco patre jam

De Imperio Persarum.

Digitized by Google

CAP. VI. seniore natus, adeò grandævus fuerit imperante PTOLEMÆO *Evergete*, ut Rex ejus stultitiis veniam dederit cùm novit illum ætate confectum in puerilem simplicitatem recidisse, (Joseph. Antiq. l. XII. c. 4.). Hoc pacto Summorum Sacerdotum facta cum Regum Dominationibus conveniunt non violatis naturæ legibus: &, juxta hanc computandi rationem, ESDRAS & NEHEMIAS vixerunt sub primo ARTAXERXE; quandoquidem hi, Summum Sacerdotium exercente ELIASIB, floruerunt, (Esdr. X. 6., & Nehem. III. 1., & XIII. 4. 28.). Sed, si ELIASIB, ESDRAS, & NEHEMIAS ad secundi ARTAXERXIS tempora referantur, quoniam ad tricesimum secundum ARTAXERXIS annum & ultra vitam produxerunt, (Nehem. XIII. 28.), ad minimum anni centum & sexaginta tribus primis Sacerdotibus concedantur, oportet, quatuor autem aut quinque postremis duo & quadraginta tantummodo tribuantur, quæ divisio est in partes nimium inæquales: nam, temporis spatium, quo JOSUA, JOAKIMUS, & ELIASIB Summo Sacerdotio potiti sunt, diuturnitatis omnino solitæ vulgarísque fuit; siquidem JOSUÆ Pontificatus incidit in unâ Principum Sacerdotum Generatione, illúmque in proximâ JOAKIMUS obtinuit, ut jam ostendimus; tertiam verò Generationem Pontificatus ELIASIB occupavit; dum enim fieret murorum consecratio, ZACHARIAS filius JONATHAN filii SHEMAIÆ erat inter Sacerdotes, (Nehem. XII. 35.,) & JONATHAN, ejúsque pater SHEMAIAS eodem, quo JOAKIMUS, hujúsque pater JOSUA, tempore vixerunt, (Nehem. XII. 6. 18.,) Insuper observo, quòd, primo CYRI anno, JOSUA & BANI seu BINNUI erant præcipui *Levitarum* patres-familias, (Nehem. VII. 7. 15.;) & quòd JOZABAD filius JOSUÆ, & NOADIAS filius BINNUI erant ex *Levitarum* primoribus septimo ARTAXERXIS anno, quando ESDRAS *Jerosolymam* venit, (Esdr. VIII. 33.;) itaque ARTAXERXES Regnum adivit ante finem secundæ Generationis: quòd autem tertiâ Generatione

Digitized by Google

ratione vigente Regni potiretur duobus adhuc argumentis confirmatur : quandoquidem MESHULLAM filius BARACHIÆ filii MESEZEBELIS, & AZARIAS filius MAASIÆ filii ANANIÆ erant quisque suæ familiæ princeps & caput quo tempore muri restituti sunt, (Nehem. III. 4. & 23.;) & horum avi MESEZEBEL & ANANIAS fœdus, regnante CYRO, obsignaverunt, (Nehem. X. 21. 23.,) Adhuc, NEHEMIAS, hic ipse NEHEMIAS ACHALIÆ filius, erat *Athersata*, seu Legatus Regis, & idem fœdus obsignavit, (Nehem. X. 1., & VIII. 10., & Esdr. II. 2. 63.,) igitur hic anno ARTAXERXIS *Mnemonis* tricesimo secundo centum octoginta, & amplius, annos natus fuisset, quæ ætas certè nimium diuturna est. Idem dici potest de ESDRA, si erat ille Sacerdos & Scriba, qui Legem perlegebat, (Nehem. VIII.;) nam fuit filius SARAIÆ filii AZARIÆ filii HILKIÆ filii SELLUM, &c., (Esdr. VII. 1.;) & hic SARAIAS in captivitatem abductus fuit, quando Templum combustum est, & ibi obtruncatus, (I. Chron. VI. 14., II. Reg. XXV. 18.:) at ab ejus interitu ad vicesimum ARTAXERXIS *Mnemonis* annum, sunt plusquam ducenti anni; quot ESDRAS tunc natus esse nequibat. De Imperio Persarum.

Animadverto præterea, quòd ESDRAS, capite quarto, recenset CYRUM, *, DARIUM, ASSUERUM, & ARTAXERXEM, serie continuâ, & tanquam qui, alter in alterius locum, successerint; hæc nomina sanè conveniunt cum nominibus, CYRUS, *, DARIUS HYSTASPIS, XERXES, & ARTAXERXES *Longimanus*, diversa autem sunt ab omnibus aliis Regum *Persidis* nominibus : putant aliqui hunc ARTAXERXEM fuisse non Successorem sed Prædecessorem Darii HYSTASPIS, non animadvertentes, quòd eo imperante *Judæi* Civitati & Muris condendis operam dederunt, (Esdr. IV. 12.,) & idcirco quod jam Templo manum ultimam imposuerant. ESDRAS primò describit quo pacto Regionis incolæ obstaculo fuerunt

CAP. VI. fuerunt Templo ædificando omnibus diebus CYRI, & amplius, usque ad DARII Principatum; &, postquam Templum conditum fuit, quemadmodum iidem sese interposuerunt, quominus, regnantibus ASSUERO & ARTAXERXE, Civitas extrueretur, deinde ad historiam de Templo sub CYRO & DARIO regreditur; quod melius dispicietur, si inter se conferantur liber ESDRÆ Canonicus & liber ESDRÆ Apocryphus: nam, si in illo omittas historiam ASSUERI & ARTAXERXIS, &, si in hoc omittas historiam ARTAXERXIS & trium Sapientium, hi duo libri consentient: quapropter liber Apocryphus ESDRÆ, præter historiam trium Sapientium ab authenticis & Divinæ Auctoritatis libris transcriptus fuit. Nunc, historia ARTAXERXIS, quæ, æquè ac historia ASSUERI, historiam DARII interrumpunt in libro Canonico, id non faciunt in Apocrypho; sed facta DARII interserta sunt gestis CYRI inter primum & secundum caput libri Canonici; quæ verò dicenda supersunt de CYRO & DARIO, ordine & sine intermissione relata sunt in libro Apocrypho; ita ut DARIUS ille, qui in primo præcedit ASSUERUM & ARTAXERXEM, atque ille, qui in eodem libro eos sequitur, ad unum eundémque DARIUM à secundo redigantur; & mihi quidem Apocryphus optimus Canonici Interpres videtur. Itaque DARIUS, qui inter CYRUM & ASSUERUM positus legitur, est DARIUS HYSTASPIS; quocirca ASSUERUS & ARTAXERXES, qui post eum Imperio potiti fuerunt, sunt XERXES & ARTAXERXES *Longimanus*; ac *Judæi*, qui sub ARTAXERXE *Jerosolymam* venerunt, & Civitatem atque Muros condere cœperunt, (Esdr. IV. 13.,) sunt ESDRAS ipse, & ejus socii; quibus intellectis, historia *Judæorum* sub his Regibus erit hæc.

Templo ex ædificato, & DARIO HYSTASPIS mortuo, *Judæorum* hostes illos apud Regem ASSUERUM aut XERXEM, qui in DARII locum successerat, atque nuper Imperium

rium adiverat, per epistolam accusaverunt, (Esdr. IV. 6.;) sed, anno septimo ARTAXERXIS, qui huic suffectus fuerat, ESDRAS & ejus socii è *Babylone* venerunt cum oblationibus & Vasibus in usum Templi; iisque fuerat concessum, ut è Regiis aerariis, quidquid putarent necessarium, desumerent. (Esdr. VII.); eâ de causâ Templum dictum fuit exædificatum *jussu* CYRI, DARII, atque ARTAXERXIS *Regum* Persarum, (Esdr. VI. 14.). Jussi etiam fuerant constituere Magistratus & Judices super Regionem; quapropter, in novum corpus Politicum coeuntes, convocaverunt magnum Concilium aut Sanhedrim, quo populus ab extraneis uxoribus segregaretur; pariter excitati fuerunt ad aggrediendam *Jerosolymæ* & Murorum ædificationem; hinc ESDRAS ait in precatione suâ, quòd *Deus extendit commiserationem erga* eos *coram Regibus* Persidis, *& fecit* illos denuò *vivere ad extollendam Domum Dei* eorum, *& restituendas ejus devastationes, atque dandum* Murum *in* Judam, *& etiam in* Jerosolymam, (Esdr. IX. 9.). Vix autem murum reparare cœperant, cùm eorum hostes iterum ad ARTAXERXEM scripserunt; *Notum sit Regi*, ajunt, *venisse* Jerosolymam Judæos, *qui à te ad nos descenderunt, illósque condere Civitatem rebellem & malam, ejúsque muros restituisse, ac fundamenta junxisse*, &c. Rex autem respondit, *Judæis* desistendum, nec urbem condendam esse, donec ipse aliquid novi constitueret; quapropter illorum hostes *venerunt* Jerosolymam, *& ab ædificando* Judæos *vi & auctoritate arcuerunt*, (Esdr. IV.), sed anno Regis ejusdem vicesimo, NEHEMIAS audiens Judæos multis & magnis ærumnis angoribúsque vexari, atque *Jerosolymæ* murum, murum illum, inquam, quem nuper ESDRAS reparaverat, *eversum fuisse, & portas igne consumptas*; veniam hanc à Rege impetravit, ut iret conditum urbem & prætorium, (Nehem. I. 3., & II. 6. 8. 17.), & *Jerosolymam* adveniens eodem anno, eam gubernavit duodecim annos continuos, ac murum ædificavit; & quamvis SANBALLATUS, TOBIAS, & GOSSEM obsisterent, opus constantiâ

De Imperio Persarum.

CAP. VI. & patientiâ summâ prosecutus est, donec murus, quacunque dirutus fuerat, reficeretur; tunc SANBALLATUS & GOSSEM illum à valvis ponendis absterrere legatis quinquies missis conati sunt; at ille, nihilominus propositum persecutus, portas valvis munivit: itaque muri perfecti fuerunt octavo & vicesimo Regis illius anno, (Joseph. Antiq. l. XI. c. 5.), quinto & vicesimo die mensis *Elul*, sive sexti, die quinquagesimo sexto, ex quo ruinæ reparatæ fuerant, & portarum opus incœptum. Dum lignum, quo valvæ conficiendæ erant, parabatur & aptabatur, dirutæ muri partes reficiebantur; opus utrumque spatium temporis aliquod sibi vindicabat, neque putandum est ambo confecta fuisse quinquaginta duobus diebus; tempus sibi postulavit ultimum opus muri, nempe, locandarum valvarum, postquam lignum aptatum & murus reparatus fuit. Peractis portis, murum cum magno apparatu & pompâ consecravit, & ministros præfecit *cellis ærarii*, *oblationibus*, *primitiis*, *decimis*, *& colligendis in agris urbibúsque portionibus*, *quas Lex Sacerdotibus & Levitis assignaverat*; *& constituit Cantores & Janitores*, *custodiæ Dei præpositos* (Nehem. XII.); sed populus rarus in urbe apparebat, & domus jacebant, (Nehem. VII. 1. 4.); ita se habebat *Jerosolyma*, quando NEHEMIAS eam reliquit anno Regis tricesimo secundo; &, aliquo tempore pòst, iterum à Rege *Jerosolymam* reversus, aliquas corruptelas, quæ illo absente irruperant, emendavit, (Nehem. XIII.). Interim, Genealogiæ Sacerdotum & Levitarum descriptæ fuerunt in libris *Chronicorum*, diebus ELIASIB, JOÏADÆ, JONATHANI, & JADDUÆ usque ad Dominationem proximi Regis DARII *Nothi* quem NEHEMIAS *Persam* DARIUM appellat, (Nehem. XII. 11. 22. 23:) unde conficitur NEHEMIAM *Judæorum* præfectum fuisse usque ad DARII *Nothi* Principatum. Et hìc absolvitur Sacra *Judæorum* Historia.

Historiæ *Persarum* adhuc in Oriente existentes asserunt antiquissimas Regum *Persidis* Dynastias esse Dynastias eorum, quos illi vocant *Pischdadianos* & *Kaianides*, & Dynastiam *Kaianidum* statim in *Pischda-*

Digitized by Google

chdadianorum locum succeſſiſſe. Nomen *Kainidum* derivant à verbo *Kai*, quod, in veteri *Perſarum* linguâ, ſignificabat, ajunt illi, Gigantem aut magnum Regem; atque primos quatuor hujus Dynaſtiæ Reges appellant *Kai*-COBAD, *Kai*-CAUM, *Kai*-COSROEM, & LOHORASP; quem dicunt LOHORASP eſt *Kai*-AXERES, aut CYAXARES; quandoquidem dicunt LOHORASP Regum primum bonæ diſciplinæ & recto ordini *Perſarum* copias ſubjeciſſe; quæ eadem de CYAXARE narrat HERODOTUS; addunt LOHORASP Orientem verſùs progreſſum eſſe, & plures *Perſidis* Provincias Imperio ſuo adjeciſſe; atque unum ex ejus imperatoribus, quem *Judæi* vocant NABUCHODONOSORUM aut NEBUCHADNEZZARUM, & *Arabes* BOCKANASSARUM, alii denique RAHAM & GUDARS Occidentales plagas petiiſſe, *Syriam* atque *Judæam* domuiſſe, & *Jeroſolymam* urbem cepiſſe & evertiſſe: NABUCHODONOSORUM dicere videntur LOHORASP imperatorem, quia ei ſuppetias tulit in hoc bello. Quintum ejuſdem Dynaſtiæ Regem nuncupant KISCHTASP, quem aliquando faciunt eundem ac DARIUM *Medum*, aliquando verò DARIUM HYSTASPIS: etenim *Perſæ* affirmant illum eodem, quo OZAIR, aut EZRA vel ESDRAS, & ZARADUST ſive ZOROASTRES, Legiſlator *Ghebrorum* ſive Ignicolarum, tempore vixiſſe, & curaviſſe ut ejus doctrina in univerſâ *Perſide* reciperetur: tunc eum exiſtimant DARIUM HYSTASPIS: ſed rurſus affirmant eum coæqualem fuiſſe JEREMIÆ, & DANIELI, atque LOHORASP filium & ſucceſſorem fuiſſe; & tunc illum putant DARIUM *Medum*. Sextum ex *Kaianidibus* Regem vocant BAHAMAN, & aſſerunt hunc BAHAMAN fuiſſe ARDSCHIR *Diraz*, hoc eſt ARTAXERXEM *Longimanum*, ſic dictum à vaſtâ ſuæ Dominationis extenſione: attamen referunt BAHAMAN iſtum ad Orientales Regiones, *Meſopotamiam*, *Syriámque* veniſſe, & ſuperâſſe BALTHASSARUM filium NABUCHODONOSORI, & Regnum donaviſſe CYRO, ſuo in *Mediâ* Legato; jam BAHAMAN cum DARIO *Medo* confundunt. Statim ab ARDSCHIR *Diraz* ſtatuunt HOMAI Reginam, matrem DARII *Nothi*, quanquam reipſa nunquam Regnum adep-

De Imperio Perſarum.

Digitized by Google

CAP. VI. ta fuerit : duos autem proximos poſtremóſque Reges *Kaianidum* appellant DARAB nothum filium ARDSCHIR *Diraz* & DARAB, qui ab ASCANDRO *Roumi* ſuperatus fuit: hi ſunt DARIUS *Nothus*, & DARIUS ab ALEXANDRO *Græcorum* devictus: omittunt Reges, qui inter duos hoſce DARIOS interceſſerunt, æquè ac CYRUM, CAMBYSEM, & XERXEM. Igitur Dynaſtia *Kaianidum* eſt *Medorum* & *Perſarum*, atque initium ducit à defectione *Medorum* ab *Aſſyriis* quæ accidit ad finem vergente SENNACHERIBI Principatu, & finem habet ad *Perſidem* ab ALEXANDRO Magno ſub poteſtatem redactam. Sed valde imperfecta eſt iſta hujus Dynaſtiæ recenſio; ſiquidem nonnulli Reges prætermittuntur, alii inter ſe confunduntur; neque rectiùs hujus Dynaſtiæ Chronologia digeſta eſt: nam, primum Regem, centum & viginti annos; ſecundum, centum & quinquaginta; ſexaginta, tertium; quartum, centum & viginti; totidem, quintum; at ſextum, centum & duodecim, Imperio potitos affirmant.

Cùm hæc Dynaſtia fuerit eadem, quæ Monarchia *Medorum* & *Perſarum*; Dynaſtia *Piſchdadianorum*, quæ ſtatim ante eam fuit, debet eſſe Imperium *Aſſyriorum*; &, ſecundùm Orientales Hiſtoricos, fuit antiquiſſimum omnium Regnorum; ſiquidem nonnulli horum Regum vitam ad millenos annos, ſinguli, produxerunt, & horum unus quingentos annos, alius ſeptingentos, alter etiam mille Regnum obtinuit.

Igitur mirum non eſt *Ægyptios* tantam antiquitatem, & vitam adeò diuturnam tribuiſſe Regibus primam illius Imperii Dynaſtiam conficientibus, cujus ſedes erant *Thebæ*, temporibus DAVIDIS, SALOMONIS, atque ROBOAMI; cùm idem tribuerint *Perſæ* Regibus ſuis, qui in *Aſſyriam* dominari cœperunt ducentos ab interitu SALOMONIS annos; idem *Syrii Damaſceni* Regibus ſuis ADAR & HAZAELI, qui poſt eundem SALOMONEM centum annos imperaverunt, *eos colentes tanquam Deos, & eorum antiquitatem jactantes, neſcii* (ait JOSEPHUS) *eos admodum recentes eſſe.*

Neque mirum eſt; ſi, dum omnes hæ Gentes tam immodicè ſuas Antiquitates extollunt, *Græci Latiníque* primos Reges ſuos aliquantiſper æquo vetuſtiores finxerunt. *OPUS-*

Digitized by Google

OPUSCULUM XXIV.

ISAACI NEWTONI,

REGIÆ SOCIETATIS PRÆSIDIS

ANIMADVERSIONES

IN

OBSERVATIONES FACTAS

In ejuſdem

BREVIA CRONICA

GALLICE VERSA

AB

OBSERVATIONUM AUCTORE

Et Edita Lutetiæ Pariſiorum.

Editæ

IN PHILOSOPHICIS TRANSACTIONIBUS.

Menſium JULII & AUGUSTI Ann. 1725.

Num. 389. pag. 315.

Digitized by Google

ISAACI

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI,

ANIMADVERSIONES

IN

OBSERVATIONES FACTAS

In ejuſdem

BREVIA CHRONICA.

Puſculum impreſſum traditum mihi fuit die undecimo Novembris Ann. 1725. tamquam munus miſſum à WILLIAMO *Cavelier* Jun. Bipliopolâ *Lutetiæ Pariſiorum* degente, viro mihi prorſus ignoto. Libello autem titulus erat, *Abregé de Chronologie de Mr. le Chevalier* NEWTON *fait par lui même, & traduit ſur le Manuſcrit Anglois.* Huic Bibliopola monitum præmiſerat, quo conabatur ſe purgare, quòd libellum hunc, veniâ à me non impetratâ, typis mandâſſet, dicens, quòd tribus Epiſtolis ad me datis

Digitized by Google

datis veniam hanc petierat, in quarum ultimâ declaraverat silentium ipsum meum sibi consensûs loco futurum; addens se curam Amico *Londini* degenti dedisse me conveniendi, & apertam Responsionem exorandi; quam cùm diù expectaverit, opinatus est sibi licere silentium meum pro quodam assensu sumere; quapropter sibi Privilegium curavit, librúmque edidit, quo facto, ab Amico suo accepit Responsionem meam, quæ hoc exemplo est.

Memini me viro amicissimo morem gerentem scripsisse Indicem Chronologicum eâ lege, ne cuiquam legeretur. Cùm non viderim scriptum mihi tributum, quod apud te est, nescio an idem sit. Quod conscripseram, planè factum non fuerat ut ederetur. De eo, quod apud te est tanquam meum, nullam omnino curam suscipere volo, & nullo pacto assentio, ut typis detur. Vale; Londini A. D. 27. Maii 1725. S. V. &c.

Privilegium concessum fuit die vicesimo primo *Maii*, recensitum die vicesimo quinto ejusdem mensis, V. S., Litteræ à me datæ A. D. vicesimum septimum,& Index Chronologicus, sive Summarium, ut dicunt, prorsus impressum fuit ante quàm hæc Epistola redderetur, & deinde asservatum, ut apto tempore vulgaretur. Bibliopola sciebat me hujus Summarii Translationem non vidisse, quâ non visâ prudenter permittere nequibam, ut ederetur. Sciebat me non cognoscere illum, qui verterat; sciebat illum à me dissentire; & idcirco sciebat iniquum esse me quidem hanc veniam dare, illum verò petere. Non ignorabat, quòd is, qui librum illum verterat, eum refutaverat, nec quòd ista Confutatio ad libelli Calcem sub *Observationum* nomine edenda erat; de eâ, & de Observatoris nomine ne mutit quidem, & tamen postulat, ut per me hæc edere liceat, tamquam si aliquis adeò hebes inveniri posset, ut assentiatur, ut primùm publicâ luce donetur suorum Scriptorum Versio, quam non vidit, cujus Auctorem ignorat, cui subjungitur Confutatio, neque additur huic Confutationi Responsio.

Meis litteris allatis, subdit, quòd is, qui hunc Libellum vertit & refutavit, contendit sibi compertum certúmque esse, quòd hic Chronologicus Index, seu Summarium, idem est ac Scriptum

tum, quod meum fateor in meâ Epiſtolâ, ſéque perſuaſum habere, quòd Scriptum ſibi communicatum deſumptum fuerat ex illo ipſo, quod Amico tradideram, huic ſcilicet Familiari meo, de quo in ſupra relatâ Epiſtolâ. Idcirco Scriptum ei communicatum pertinebat ad *Abbatem* CONTI Nobilem *Venetum* nunc *Lutetiæ Pariſiorum* degentem. Ab illo, cùm in *Angliâ* eſſet ante hos ſeptem annos, didici Amicum, de quo ſupra, me alloqui velle. Hic autem petebat exemplum earum rerum, quæ de Chronologiâ ſcripſeram. Reſpondi hæc eſſe imperfecta & confuſa, ſed me paucis diebus Summarium conficere poſſe, ſi rem arcano tegere vellet. Aliquamdiu pòſt illud perfeci, cúmque Amicus id accepiſſet, optavit, ut liceret exemplum ejuſdem dare *Abbati* CONTI; hic unus hujus Summarii exemplum habebat, nec ignorabat rem ſilentio premendam eſſe, ſéque hoc Amico rogante ac me permittente exemplum obtinere; & quidem promiſſis manſit quamdiù in *Angliâ* moratus eſt. Attamen idem, neque à me neque ab Amico impetratâ veniâ, exempla per *Galliam* diffudit, ſubornavit Antiquarium, ut libellum hunc *Gallico* ſermone donaret, ac refutaret; Antiquarius autem à Typographo quodam impetravit, ut illum ſic verſum & confutatum ederet; cujus rei faciendæ veniam à me obtinere conatus eſt Typographus, qui tamen neque miſit exemplum, ut legerem, neque didicit quiſnam vertiſſet, neque indicavit ſibi propoſitum eſſe illi jungere Confutationem, cui non reſponderam, & quam ignorabam.

Verſionis Auctor circa ſuarum Obſervationum finem ait; Ea, quæ dixi de *Argonautarum Epochâ*, & de *Generationum* duratione ſufficiunt, opinor, ut quiſque reliqua cautè legat. Hæc enim ſunt duo Fundamenta, quibus totum innititur novum hoc Chronologiæ Syſtema. Quæ dicit de *Argonautarum Epochâ* tota vertuntur in eo, quod aſſerit me ſtatuiſſe Æquinoctium ad Expeditionis *Argonauticæ* tempora in decimum quintum Gradum à primâ *Arietis* Stellâ: Ego autem illud ſtatuo in meditullio Conſtellationis, quod non eſt in decimo quinto Gradu à primâ Stellâ *Arietis*. Concedit Conſtellationes diſtinctas fuiſſe à CHIRONE, Solſtitia & Æquinoctia fuiſſe in Conſtellationum meditullio, &

Digitized by Google

EUDOXUM in suo *Enoptro*, sive *Speculo*, de quo meminit HIPPARCHUS, hanc sententiam secutum fuisse. HIPPARCHUS * autem nominatim indicat Stellas, per quas in hac vetere Sphærâ transibant *Coluri* juxta EUDOXUM, & apertis verbis ait, quòd EUDOXUS egit unum Colurum per medium *Cancrum*, & per medium *Capricornum*, alium verò per meditullium *Chelarum*, & per *Arietis* Dorsum. Atqui Colorus transiens per Dorsum *Arietis*, transit per medium *Arietem*, & octo tantùm Gradibus distat à primâ Stellâ *Arietis*. Ego, EUDOXUM secutus, loco Æquinoctialem Colurum ad 7. *gr.* 36′, circiter, à primâ *Arietis* Stellâ. Sed Auctor Observationum asserit me Colurum ponere in decimo quinto Gradu à primâ Stellâ *Arietis*, & hinc conficit, quòd facere debuissem *Argonauticam* Expeditionem recentiorem, quàm facio, quingentis triginta duobus annis. Hoc Erratum corrigat, & *Argonautarum* Expeditio recidet ad tempus, in quo eam statui.

De *Generationum* duratione, Auctor Observationum ait, quòd ego tribuo, unam alterâ pensando, singulis octodecim, aut viginti annos; Quod est aliud Erratum. Ego cum Veteribus convenio, ponens centum annos, aut circiter, continere tres Generationes. Sed tempus, per quod Reges singuli potiuntur Imperio, Generationibus singulis æquale non facio, ut putârunt *Græci*, & *Ægyptii*: Ego verò dinumero tantùm octodecim, aut viginti annos, circiter, habitâ longiorum, & breviorum ratione, quando decem, duodecim, aut plurium Regum sibi succedentium Series consideratur. Ita viginti quatuor priores *Galliæ* Reges (PHARAMUNDUS, &c.) Regno potiti sunt quatercentos quinquaginta octo annos, qui, æqualiter distributi, recidunt ad novemdecim annos pro quoque Rege. Proximi viginti quatuor *Galliæ* Reges (LUDOVICUS *Balbus*, &c.) annos quatercentos quinquaginta, & unum, ideſt singuli duodeviginti cum mensibus novem. Quindecim Reges, qui hos secuti sunt, (PHILIPUS *Valesius*, &c.) tercentos quindecim annos, videlicet unusquisque viginti, & unum. Omnes autem sexaginta tres *Galliæ* Reges, mille ducentos viginti quatuor annos, nempe singuli novemdecim annos, & sex menses. Si his vis

*Vide HIPPARCHUM PETAVII, Vol. III. pag. 116, 117. 119. 120.

Digitized by Google

vis addere LUDOVICUM XIV, qui diutiſſimè Regnum obtinuit, reperies quemque ſexaginta quatuor Regum *Gallorum* regnaviſſe tantùm viginti annos. Idem in aliis Regionibus accidiſſe perſpicient, qui rem conſiderabunt: Et, quia breviorem feci Diuturnitatem veterum Regnorum *Græciæ* in eâdem ratione, ac Regum Dominationem, ideo poſui Expeditionem *Argonauticam* ad quadrageſimum quartum annum, circiter poſt SALOMONIS mortem, & ad annum, poſt eam, ſeptuageſimum ſextum, circiter, & reperio SESOSTRIM vixiſſe eodem tempore, quo SESACHUS.

Igitur Auctor Obſervationum à ſententiâ meâ aberravit in duobus præcipuis Argumentis, quibus totum nititur; & aggreſſus eſt vertere ac refutare Scriptum, quod non intelligebat, ac deſiderio illius edendi flagravit me non aſſentiente, quamquam illud nihili penderet, quò ſibi nomen aliquod faceret, librum hunc vertens, ut eum confutaret, & refutans id, quod ipſe verterat.

Idem ait, quòd, ſecundùm me, *Ægyptii* cœperunt circiter nongenteſimum annum ante CHRISTUM ſibi Religionem ornare, & Homines, qui Artes inveniſſent, inter Deos referre, cùm tamen liqueat ex ſacris Litteris, eos Idola & Artes habuiſſe viventibus MOYSE, & JACOBO. Sed rurſùs fallitur. Nunquam affirmavi, quòd Regnum inferioris *Ægypti* dictum *Mizraim* nullam habuerit ſibi propriam Religionem, antequàm à Paſtoribus invaderetur ac ſubmitteretur; à Paſtoribus, inquam, aliam Religionem ſequentibus: Sed dixi, quòd *Thebani*, expulſis Paſtoribus, adduxerunt morem adorandi Reges, & Principes ſuos. Dixi pariter, quòd Artes in *Europam* maximè allatæ fuerunt à *Phœniciis*, & *Curetibus* viventibus CADMO, & DAVIDE, circiter annum milleſimum quadrageſimum primum ante CHRISTUM; ſed nunquam aſſerui eas notas non fuiſſe in *Phœniciâ*, *Ægypto*, atque *Lumæâ*, antequam in *Europam* tranſveherentur.

Auctor Obſervationum ait quoque, quòd ad annum octingenteſimum octavum quartum, ante CHRISTUM, ſtatuo Initium Canicularis Ægyptiorum Cycli in verno Æquinoctio, tametſi nunquam Vere inceperit Cyclus ille. Sed denuò fallitur. Loquor enim de anno *Ægyptio* conſtante diebus tercentis ſexaginta quinque: De Cyclo autem iſto, ne verbum quidem. Dicit

Digitized by Google

Dicit me habere magnum Opus edendum. Sed nuſquam id dixi. *Cantabrigiæ* degens aliquando ſolebam me aliis Studiis fatigatum aliquantiſper reficere Hiſtoriâ, & Chronologiâ. Sed nunquam faſſus ſum me hujus generis Librum Typis deſtinâſſe.

Abbas CONTI venit in *Angliam* Vere Anni 1715; &, quamdiù ibi fuit, mihi ſe Amicum præ ſe tulit, ſed ſe LEIBNITIO Adjutorem præſtavit, me ad novas Quæſtiones trahendo, nec aliter poſtea ſe geſſit in *Galliâ*. Quas Partes ſibi hìc tuendas ſuſceperit intelligi poterit ex Indole, quæ ei tribuitur in *Actis Eruditorum An.* 1721. *Pag.* 90, ubi Editor ſe excuſans, quòd repetat aliquot Diſputationes jam divulgatas in iiſdem *Actis*, ait: *Suffecerit itaque adnotaſſe Abbatem quemdam Italum de* CONTI *nobilem Venetum,* (*de quo admiratione digna ſibi præſcripta eſſe ab* HERMANNO *fatetur* LEIBNITIUS,) *cùm ex Galliâ in Angliam trajeciſſet, Mediatoris vices in ſe ſuſcipere voluiſſe, atque litteras* NEWTONI *ad* LEIBNITIUM *deferri curâſſe* LEIBNITIANAS *cùm* NEWTONO *communicaſſe.*

Et quomodo LEIBNITIUS per eum tentaverit me invitum conjicere in novas Diſputationes de occultis Qualitatibus, univerſali Gravitate, Senſorio Dei, Spatio, Tempore, Vacuo, Atomis, Perfectione Mundi, Supramundanâ Intelligentiâ, & Mathematicis Problematibus, legi poteſt in Præfatione præfixâ ad ſecundam *Commercii Epiſtolici* Editionem. Quod verò idem Abbas fecerit in *Italiâ*, concipi poteſt ex controverſiis, quas nuper incepit quidam ex ejus Amicis, qui negat plures ex meis Opticis Experimentis, quamquam omnia ad trutinam in *Galliâ* revocata benè proceſſerint Sed hæc, ſpero, & motus perpetuus, erunt ultima hujus Generis conamina.

OPUS.

Digitized by Google

OPUSCULUM XXV.

ISAACI NEWTONI

AD

DANIELIS PROFETÆ VATICINIA,

NEC NON

SANCTI JOANNIS APOCALYPSIN,

OBSERVATIONES.

Ex Anglicâ linguâ in Latinam convertit &c.

GUILIELMUS SUDERMAN.

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONES
AD
DANIELIS PROFETÆ
VATICINIA.

CAPUT PRIMUM.
INTRODUCTIO.
De Scriptoribus & Collectoribus Librorum Veteris Teſtamenti.

UM MANASSES ſignum ſculptile in Domo Domini poſuiſſet, atque in duobus ejus atriis *cuncto exercitui* cœli ædificâſſet Altaria, nec non incantationibus ac magicis artibus & Pythonicis ſeſe dediciſſet (*a*), magnæque ſuæ impietatis cauſâ ab ASSERHADONE, *Aſſyriæ* Rege, exercitu illum adorto, captivus abductus fuiſſet *Babylonem*; *liber Legis* ad undecimum uſque annum nepotis ipſius JOSIÆ fuit perditus: Quem cùm HILKIAS, Ponti-

Liber Legis, qui nunc extat, idem eſt quo uſus *Joſias.*

(*a*) 2 Paral. XXXIII. 5, 6, 7.

Digitized by Google

CAP. I. Pontifex Maximus, in instaurando Templo reperisset, Rex, lamentatus, quòd non ex præscripto ejus libri majores egissent, jussit ut coram populo legeretur, populúmque adduxit ut sanctum cum Deo instauraret fœdus. Hic est ille ipse liber Legis, qui nunc exstat.

Et ante illum *Josaphatus.*

Ut verò altiùs adscendamus: Postquam SESACUS, *Ægypto* egressus, *Hierosolymitanum* Templum diripuisset, ac *Judam* subjecisset Monarchiæ *Ægyptiorum*, (quod anno contigit quinto (*a*) ROBOAMI) per viginti ferè continuos annos *Judæi* magnis molestiis fuere pressi. *Agebantur*, quippe, *illis* hæc tempora *sine Deo vero, & sine Sacerdote docente, ac sine Lege. Non erat tum pax exeunti & redeunti, verùm vexationes magnæ super omnes habitatores Regionum illarum: Adeò ut contundebantur gens gente & civitas civitate: quia Deus vexabat eos omni angustiâ* (*b*). Morte autem SESACI *Ægypto* turbata, per decem annos *Juda* quietis rebus gavisus est; quo temporis spatio Rex ASA munitas in *Judâ* urbes condidit, excercitúque quingentorum & octoginta millium armatorum collecto, regni sui anno quintodecimo, ZERAM *Æthiopem*, *Ægypto*, *Libyâ*, & *Troglodytide* subactis cum decies centenorum millium exercitu *Libycorum* & *Æthiopum* ad recuperandas à SESACO domitas Regiones egressum, prælio superavit. Post hanc victoriam ASA matri, propter idololatriæ crimen, dignitatem Reginæ abrogavit. Altare instauravit, novâque ex auro & argento vasa in Templum intulit; denique ipse & populus novum fœdus inierunt, quo se obstringebat quisque ad Deum patrum suorum colendum, sancitâ in alios quicumque Deos coleret pœnâ mortis (*c*). Porrò ASÆ filius JOSAPHATUS *excelsa* sustulit (*d*), tertio etiam regni anno quosdam è Principibus, nec non ex Sacerdotibus & Levitis, misit qui in urbibus *Judæ* docerent, quod hi quidem, singulas urbes circumeundo ac secum allato Legis libro, præstitere. Atque hic est ille liber Legis, qui postmodum, regnante MANASSE, fuerat perditus, ac denuo JOSIA imperante repertus. Is igitur scriptus fuit ante annum tertium JOSAPHATI.

Idem

(*a*) 2 Paral. XII. 2–4. 8. 9.
(*b*) Ibid. XV. 3. 5, 6.
(*c*) Ibid. 12, 13. 16. 16.
(*d*) Ibid. XVII. 6. &c.

Digitized by Google

Introductio.

Idem ille Legis liber conservatus est, ac per manus posteris traditus, à *Samaritanis*, adeóque à decem Tribubus, antequam abducerentur captivæ, receptus. Cùm enim hæ abductæ essent, mox reductus est *Bethelem* jussu Regis *Assyriorum* aliquis ex captivis Sacerdos, qui novos *Samariæ* incolas ritum Dei ejus terræ doceret (*a*). Atque ab hoc Sacerdote *Samaritani* acceperunt *Pentateuchum*, ut qui Legem, sive ritum, Dei ejus terræ, quem ipsos hic edocturus erat, contineret. In eâ quippe religione, quam is ipsos docuit, perstiterunt, addito illi suorum Deorum cultu. In eo autem, quod edocti erant, perseverantes, hunc suæ Legis librum genuinâ ac antiquâ *Hebræarum* litterarum formâ conservârunt; dum duæ Tribus reliquæ, *Babylone* reduces, illam formâ *Chaldaicâ* commutarent, quod *Babylone* didicerant.

Idem liber Samaritanis traditus, atque ab his posteris Tribus autem *Juda* & *Benjamin* litterarum formam mutarunt.

Cùm, igitur, Pentateuchus, ut Legis liber, tam duabus quàm decem Tribubus receptus fuerit, sequitur utrasque illum recepisse priusquam in duo Regna discessissent. Postea enim nullas à se mutuò acceperunt leges, sed in dissidio mansere. Nec *Juda Israëlem* à peccato JEROBOAMI retrahere, nec *Israël Judam* eò adducere valuit. Pentateuchus, igitur, Legis liber erat temporibus DAVIDIS & SALOMONIS. Quæ Tabernaculum & Templum spectabant ab hisce Regibus ex hujus libri præscripto ordinata sunt; ejusdémque libri Legem innuit DAVID (*b*) septuagesimo octavo Psalmo, populum monens ut ad Dei Legem attendat. Narrans enim qui non obedierint illi ipsorum majores, multa historica citat ex *Exodo* & *Numeris*.

Eodem libro Legis usi fuere *David* & *Salomo*.

Regum *Idumææ* genealogia *priusquam regnaret Rex posteris Israëlis*, in libro Geneseos describitur (*c*): Ille liber, itaque, non integer, eâ quâ nunc extat formâ, perscriptus fuit, antequam regnaret SAUL. Scriptor autem eorum Regum genealogiam ad sua usque tempora notavit, adeóque priùs scripsit quàm DAVID perdomuisset *Idumæam*. Constat Pentateuchus Lege simul & populi Dei historiâ, & hac quidem ex variis collectâ libris; quales fuere His-

Pentateuchus & liber *Josuæ* ex *Mosis* & *Josuæ* commentariis conscripti à *Samuele*.

(*a*) 2 Reg. XVII. 27, 28. 32, 33.
(*b*) [Psalmus, ut habet inscriptio, est *Asaphi*].
(*c*) Genes. XXXVI. 31.

Digitized by Google

CAP. I. toria creationis (*a*), à MOSE conſcripta, Liber genealogiæ ADAMI (*b*), & Liber bellorum Domini (*c*). Hujus quidem argumentum erant ea, quæ contigerant ad *Mare Rubrum*, ínque itineribus *Iſraëlis* in deſerto, eúmque adeò orditus eſt MOSES; JOSUA eumdem uſque ad perdomitam *Cananæam* perduxiſſe potuit; ſcripſit enim is quædam *in volumine Legis Domini* (*d*), ergo & ſua ipſius bella ſcripſiſſe potuit in libro bellorum, cùm illa præcipuè *bella Domini* fuerint. Hi libri erant libri publicè recepti; non, itaque, ſcripti abſque MOSIS & JOSUÆ auctoritate. SAMUEL autem ſatis otio abundabat, dum regnabat SAUL, ut illos eâ, quâ nunc MOSIS & JOSUÆ libri exſtant, formâ componeret, inſertâ in libro Geneſeos Regum *Idumeæ*, uſque ad Regni apud *Iſraëlitas* initium, genealogiâ.

Idem librum Judicum compoſuit.

Liber *Judicum* continua eſt Judicum hiſtoria uſque ad mortem SAMSONIS. Poſt hanc ergo eſt compoſitus ex Judicum Actis. Varia hoc in libro contigiſſe dicuntur, *cùm nullus eſſet Rex in Iſraele* (*e*), adeóque demum poſt Regni *Saulini* initia conſcriptum fuiſſe patet. Cùm ſcriberetur, *Jebuſitæ Hieroſolymas* incolebant (*f*). Itaque ſcriptus fuit ante Regni *Davidici* annum octavum, quo is inde ipſos expulit (*g*). MOSIS, JOSUÆ, & *Judicum* libri unam perpetuam hiſtoriam, inde à creatione ad SAMSONIS uſque mortem, continent. Hiſtoriæ filum, illic, ubi in fine Pentateuchi abrumpitur, liber JOSUÆ reſumit, hujus autem finem protinus excipit liber *Judicum*. Omnes, itaque, hi libri compoſiti fuerunt ex MOSIS & JOSUÆ aliiſque commentariis, ab uno eodémque Auctore poſt initium Regni SAULIS, & ante DAVIDIS annum octavum. Jam verò SAMUEL fuit Sacer Scriptor, in MOSIS ac *Judicum* hiſtoriâ verſatus, illíque, dum regnabat SAUL, non minùs otii quàm auctoritatis fuit ad hoſce libros componendos (*h*).

Idem

(*a*) Geneſ. II. 4.
(*b*) Geneſ. V. 1.
(*c*) Num. XXI. 14.
(*d*) Joſu. XXIV. 6.
(*e*) Jud. XVII. 6. XVIII. 1. XIX. 1. XXI. 25.
(*f*) Jud. I. 21.
(*g*) 2. Sam. V. 8. 1. Paral. XI. 6.
(*h*) 1. Sam. X. 25. XII. 8---12.

Digitized by Google

Idem erat Profeta, atque *Iſraëlis*, quamdiu vixit, Judex; præterea, maximæ apud populum æſtimationis: nec Lex, quâ populum judicaret, minori, quàm ipſius, auctoritate erat promulganda, cùm Legiſlator non inferior ſit Judice. Porrò liber JASHERI, qui in libro JOSUÆ citatur (*a*), adhuc exſtabat cùm SAUL moreretur (*b*). *Introductio.*

Cùm SALOMO exſtructum à ſe Templum dedicaret, atque Arca Fœderis in ſanctiſſimum locum inferretur, nihil in eâ erat, præter duas Legis tabulas (*c*). Hinc colligere licet *Philiſtæos*, cùm Arcâ illâ eſſent potiti, ex eâ librum Legis, urnam auream, in quâ Manna, & virgam AARONIS abſtuliſſe. Et hæc quidem jactura, & aliæ, quas paſſi fuerunt *Iſraëlitæ*, dum victores *Philiſtæi* ipſos deſolarent; occaſionem præbere potuerunt SAMUELI, poſt tranquillas aliquantùm ab his hoſtibus res, diſperſa MOSIS & JOSUÆ ſcripta, nec non Patriarcharum & Judicum commentarios, colligendi, atque omnia, eâ quâ nunc exſtant formâ, componendi. Quando & quâ occaſione *Samuel* hos libros conſcripſerit.

Liber RUTHÆ hiſtoriam continet rerum temporibus Judicum geſtarum, haberíque poteſt libri, qui de horum rebus agit, ſupplementum, ab eodem Auctore & eodem tempore conſcriptum. Scriptus enim fuit poſt natum DAVIDEM (*d*), nec diu tamen pòſt, quia BOAZI & RUTHÆ, Avi & Aviæ DAVIDIS, eorúmque, qui ipſis æquales fuerunt, hiſtoria non adeò memoriæ obverſari potuit poſt duas vel tres hominum ætates. Porrò, cùm hic liber genealogiam DAVIDIS à BOAZO repetat, majoréſque natu fratres illius ut & filios omittat, ſcriptus fuiſſe patet in DAVIDIS honorem, poſtquam is jam unctus eſſet à SAMUELE Rex, antequam verò ipſi nati eſſent *Hebronæ* filii, atque adeò regnante SAULE. Non progreditur uſque ad ipſius DAVIDIS hiſtoriam, unde protinus poſt ipſius unctionem ſcriptus videtur. Rectè, itaque, judicant qui, SAMUELI adſcribunt JOSUÆ, *Judicum* & RUTHÆ libros. Idem Auctor libri *Ruthæ.*

Idem etiam celebratur Auctor *primi libri* SAMUELIS uſque ad ipſius mortem. In neutro *librorum* SAMUELIS, alii citantur Auctores. Et primi libri *Sa-*

(*a*) Joſu. X. 13.
(*b*) 2 Sam. I. 18.
(*c*) 1. Reg. VIII. 9.
(*d*) Ruth. IV. 17. 22.

Digitized by Google

muelis usque ad ipsius mortem.

tores, unde uterque archetypus videtur. Incipiunt ab ipsius genealogiâ, natalibus, & educatione, scriptíque esse possunt, ex parte ab ipso dum viveret, vel ab ipsius discipulis, profetis, qui *Najothis* in *Ramâ* degebant (*a*); ex parte ab hisce post ipsius decessum.

Libri Regum & duo sequentes ex commentariis antiquorum Profetarum fuere conscripti.

In libris *Regum* alii citantur; ut libri *Actuum* SALOMONIS *Chronicorum Regum* Israelis & *Chronicorum Regum* Judæ. In libris παραλειπομένων citantur libri SAMUELIS *Videntis*, NATHANIS *Profetæ*, & GADIS *Videntis*, in DAVIDIS rebus gestis: liber NATHANIS *Profetæ*, & AHIJÆ *Schilonitæ vaticinia*, & *visiones* IDDONIS *Videntis*, in rebus gestis à SALOMONE: liber *Schemajæ Profetæ*, cum libro *Iddonis* Videntis, in genealogiis & rebus gestis ROBOAMI & ABIÆ: liber Regum *Judæ* & *Israëlis*, in gestis ab ASA, JOAZO, AMAZIA, JOTHAMO, ACHAZO, HEZEKIA, MANASSE & JOSIÁ; liber HANANI *Videntis*, in rebus JHOSAPHATI, & Visiones ISAIÆ in gestis UZZIÆ & HEZEKIÆ. Hi libri, ergo, scilicet Regum & παραλειπομένων, compositi fuerunt ex historicis antiquorum Profetarum scriptis, eorúmque quos *Videntes* appellabant. Præterea, cùm à se mutuo citentur, uno eodémque tempore conscriptos utrosque oportet. Et illud quidem tempus fuit post reditum ex captivitate *Babylonicâ*; ad eam quippe captivitatem historiam *Judæ*, & Regum ejus gentis, nec non summorum Pontificum genealogiam, deducunt. Liber ESDRÆ primitus fuit pars alterius ex *Chronicorum* libris, à quo posteà separatus est: incipit quippe à duobus postremis illius commatibus & primus ESDRÆ Apocryphus à postremis duobus ejusdem capitibus. ESDRA, itaque, Regum & *Chronicorum* libros composuit, historiámque ad sua usque tempora deduxit. Scriba is erat promptus in Lege Domini: quem ut in hoc opere adjuvaret NEHEMIAS, *librariam instruxit, collegítque Regum & Profetarum &* DAVIDIS *Acta, & de donariis Regum epistolas* (*b*). *Actis* DAVIDIS hìc innui credo utrumque SAMUELIS librum, certè posteriorem. Ex Actis Regum, à Profetis subinde conscriptis, ESDRA Libros Regum *Israëlis* & *Judæ*, nec non Chronica Regum

Idque ab *Esdra.*

Judæ

(*a*) 1. Sam. XIX. 18–20. (*b*) 2. Macab. II. 13.

Digitized by Google

Judæ & Chronica Regum *Israëlis* compoſuit; atque eo pacto hæc Acta in unum conjunxit, juſto temporum ordine ſervato, ipſis etiam Auctorum verbis deſcriptis, ut inde patet, quòd Regum & Chronicorum libri ſæpiſſimè inter ſe in verbis, per varia continua commata, conveniunt. Ubicumque conveniunt ſenſu, etiam conveniunt verbis. *Introductio.*

Eâdem ratione vaticinia ISAIÆ, diverſis temporibus conſcripta, in unum corpus redegit, atque idem fecit in JEREMIÆ ac reliquorum, uſque ad ſecundum Templum, Profetarum vaticiniis. Liber JONÆ hujus Profetæ hiſtoria eſt ab alio conſcripta. Liber DANIELIS eſt collectio libellorum diverſis perſcriptorum temporibus. Sex poſteriora capita vaticinia continent, quæ diverſis temporibus ſcripſit ipſe DANIEL. Sex priora ſunt hiſtoricarum narrationum collectio, quas alii in litteras retulerunt. Caput primum poſt DANIELIS mortem exaratum eſt: ait quippe ejus Auctor DANIELEM *floruiſſe uſque ad annum primum* CYRI *Regis* (*a*), id eſt, ad annum primum, quo is *Perſis* ac *Medis*, tertium autem, quo *Babyloniis*, imperavit. Eâdem de cauſâ quintum etiam & ſextum poſt ipſius obitum conſcripta fuiſſe ſtatuendum eſt: Hæc enim ipſorum poſtrema verba: DANIEL *iſte proſperè egit in regno* DARII *& in regno* CYRI *Perſæ*: Quæ tamen verba addita fuiſſe poſſunt ab eo, qui hæc ſcripta collegit, quem ego quidem ESDRAM fuiſſe exiſtimo. De ſcriptis Profetarum.

Pſalmi, à MOSE, DAVIDE, aliiſque compoſiti, ab eodem etiam ESDRA in unum congeſti volumen videntur. Hunc propterea illorum collectorem cenſeo, quòd illo in volumine Pſalmos quoſdam non ante captivitatem *Babyloñicam* conſcriptos invenium, nullos autem illâ tempore poſteriores. De Pſalmis.

Poſt hæc ANTIOCHUS *Epiphanes* Templum diripuit, *Judæis* ut à lege recederent juſſit, pœnam mortis, ni obedirent, comminatus, Libros ſacros, ubicumque reperiundos, fecit comburi. Atque in eâ rerum perturbatione liber Chronicorum Regum *Iſraëlis* prorſus periit. Verùm ubi ex hac oppreſſione Reſpublica emerſit, JUDAS *Maccabæus*, quæcumque reperiri potuerunt, ſcripta collegit (*b*): quæ dum ordine diſponerentur, pars vaticiniorum ISAIÆ, aut alterius Profetæ, ZACHARIÆ vaticiniis fuit adjecta, liber verò ESDRÆ De fatis Codicis V. T. poſt Babyloniam captivitatem.

(*a*) Dan. I. ult. (*b*) 2. Maccab. II. 14.

Digitized by Google

CAP. I. à libro Chronicorum disjunctus, & duplici, eâque diversâ, ratione, alterâ in libro ESDRÆ in Canone recepto, alterâ in primo ESDRÆ Apocrypho, dispositus.

Post captivitatem *Romanam Judæi*, conservandarum Traditionum suarum ergò, eas scripto in Talmude consignârunt: útque suas conservarent Scripturas, consenserunt de iis in publicum emittendis, postquam vocalia puncta appossuissent, ac singuli generis litteras in singulis enumerâssent libris: cúmque hanc tantùm editionem servarent, variæ antiquioris ævi lectiones, iis exceptis, quæ ope versionis τῶν LXX. deteguntur, hodie periêre: ejusmodi verò notæ in marginibus, aliæque corruptelæ, quæ, Descriptorum errore, antequam hæc fieret editio, in textum irrepserant, vix hodie corrigi tollíque possunt.

Iidem, priusquam à *Romanis* patriâ pellerentur, libros sacros in *Legem*, *Profetas*, & *Hagiographa*, sive scripta sacra, distinguebant, nec, præter Legem & Profetas, in suis Synagogis quidquam prælegebant. CHRISTUS etiam & Apostoli Religionis momentum in Lege ac Profetis posuêre (*a*). Hagiographorum vocabulo intelligebant *Judæi* historicos libros JOSUÆ, *Judicum* & RUTHÆ, SAMUELIS, *Regum*, *Chronicorum*, ESDRÆ, NEHEMIÆ & ESTHERÆ, librum JOBI, *Psalmos*, SALOMONIS scripta & JEREMIÆ *Lamentationes*. *Samaritani* solum Pentateuchum legebant, cùmque JOSAPHATUS mitteret, qui docerent in urbibus, hi Legis tantùm librum habebant; quippe, quæ nunc extant vaticinia, nondum scripta erant. Tum & duabus Tribubus è *Babylonicâ* captivitate reversis, ESDRA tantùm Legis librum (*b*), à mane usque ad meridiem populo prælegit, primo septimi mensis die, & per festum Tabernaculorum quotidie: nec dum, enim, Profetarum scripta, in illud, quod nunc exstat, volumen collegerat; eorum verò prælectionem publicam, pòst quàm ea collegerat, instituit. Hinc, autem, quòd Lex & Profetarum scripta in Synagogis prælegerentur, magis quàm Hagiographa, à corruptelis immunia fuêre.

In

(*a*) Matth. VII. 12. XXII. 4. Luc. XVI. 16. 29. 31. XXIV. 44. Act. XXIV. 14. XXVI. 22. Rom. III. 21.

(*b*) Nehem. VIII. 3. 4. 16 – 19.

Digitized by Google

In populi *Israëlitici* pueritiâ, Deus, cùm iis legem dedisset, cúmque ipsis pepigisset fœdus, quo se illorum Deum futurum promisit, si ipsius mandatis obsequerentur, Profetas misit, qui, quotiescunque ad alienorum Deorum cultum deficiebant, illos ab eo peccato revocarent. Ipsi, autem, cùm ad veri Dei cultum reverterentur, renovabant subinde fœdus, quod ruperant. Hos Profetas Deus mittere perseveravit usque ad Esdræ tempora. Pòst quàm, verò, illorum vaticinia & scripta in Synagogis prælegerentur, hæc sufficere sunt visa. Quòd si, enim, populus Mosi veteribúsque Profetis auscultare renueret, satis patebat nec novis auscultaturum, imò ne tum quidem, si qui ex morte in vitam redirent. Cùm, denique, nova veritas gentibus esset annuncianda, nempe Jesum *esse Christum*, novos misit Deus Profetas atque Doctores: Pòst quàm, autem, & horum scripta pro Divinis recepta essent, atque à Christianis in suis Synagogis prælegerentur, secundùm cessavit divinus adflatus. Mosem jam *habemus & Prophetas*, & Apostolos, atque ipsius *Christi* verba, quibus si nolimus obtemperare, minùs quàm *Judæi* excusandi erimus. Profetæ, enim, & Apostoli prædixerunt, fore ut, quemadmodum *Israëlitæ* sæpè rebellârunt, & fœdus ruperunt, quod sibi cum Deo erat, deinde, pòst quàm facti pœnituissent, illud renovârunt; ita quoque inter Christianos defectio accideret, brevi post ipsa Apostolorum tempora: fore etiam ut postremis temporibus Deus perderet pervicaces rebelles, novúmque cum suo populo fœdus feriret. Tum, Profetis adtendere veræ Ecclesiæ insignis nota est. Eâ, enim, ratione Deus vaticinia ordinavit, ut postremis temporibus *Sapiens intelligat; improbè, autem, agent improbi, nec ulli improbi animadvertent* (*a*). Auctoritas Imperatorum, Regum, Principum, humana est: Conciliorum, Synodorum, Episcoporum, Presbyterorum auctoritas humana. Profetarum auctoritas divina est, ac summam Religionis continet, Mose & Apostolis etiam in Profetarum numero comprehensis: Et *si Angelus è cœlo aliud Evangelium annunciet*, quàm quod illi tradiderunt, *Anathema esto* (*b*). Horum scripta fœdus continent, quod est Deum inter ejúsque populum, cum monitis de præstandis, quæ illud fœdus exigit, exemplis pœnarum divinarum in ejus

Introductio.

De diversâ Dei œconomiâ sub V. & N. T. quod ad adflatum divinum.

(*a*) Dan. XII. 9. 10. (*b*) Gal. I. 8. 9.

Digitized by Google

ruptores, ad prædictionibus rerum futuratum. Dum populus Dei, quæ in fœdere ab ipso exiguntur, præstant, manent ejus populus: cùm rumpunt illud, ejus populus, vel Ecclesia, esse cessant, fiúntque *Synagoga Satanæ*, *qui se Judæos esse dicunt, nec sunt*. Nec ulli in terris potestati concessa est auctoritas hujus fœderis immutandi.

De vaticiniis, & præsertim *Danielis*.

Rerum futurarum prædictiones Ecclesiæ conditionem per omnia sæcula respiciunt. Inter veteres, autem, Profetas, DANIEL, quod ad temporum ordinem, maximè distinctus ac intellectu facillimus, adeóque, quantùm ad res, quæ ad postrema tempora referuntur, eo, tamquam clave, quâ ad intelligentiam reliquorum aditus reseratur, uti debemus.

CAPUT SECUNDUM.

De Stylo Profetico.

De Stylo Profetarum allegorico. Is desumtus est

UT sacra intelligamus vaticinia, necesse est, primùm nobis perspectum reddamus figuratum Profetarum stylum. Hujus allegoria desumta est ab analogiâ, quæ est inter mundum naturalem, & Imperium quoddam, vel Regnum, instar mundi consideratum.

à Mundo, & iis quæ in ipso sunt, & fiunt;

Sic *Mundus naturalis universus*, ex Cœlo & Terrâ constans, totum denotat Mundum politicum, constantem ex Imperantibus & populo, vel tantum ejus, quantum in vaticinio consideratur. *Res, quæ in illo sunt mundo*, significant eas, quæ illis in hoc respondent: *Cœli*, enim, & *quæ in iis sunt*, thronos, ac dignitates significant, eósque qui in hisce sunt collocati; *Terra*, verò, cum iis, quæ in illâ, vulgus populi; *infimæ*, denique, *terræ partes*, *Hades* vel *infernum* dictæ, infimam vel miserrimam vulgi partem. Hinc *adscensus ad cœlum*, & *descensus in terram*, ponuntur pro incremento ac decremento potestatis ac honoris; *Adscensus è terra*, vel *ex aquis*, & *in has prolapsio* pro adscensu ad quamdam dignitatem, vel ad quoddam imperium, ex inferiori sorte vulgi, vel prolapsione ex alterutro in inferiorem illam conditionem; *Descensus in ter-*

ra

Digitized by Google

ræ infimæ, pro delapsu in humilem, valdè, ac miserum statum; *Loqui voce debili ex pulvere*, pro degere in humili atque inferiori conditione; *Moveri ex uno loco in alterum*, pro dimoveri ex hoc illóve munere, dignitate, imperio, ad aliud: *Ingentes terræ motus & cæli terræque concussio*, pro concussione Regnorum ejusmodi, ut scindantur in partes, vel evertantur: *Novi Cæli novæque Terræ creatio & veteris interitus*, vel *initium & finis mundi*, pro ortu vel ruinâ corporis politici, illo mundo significati. In Cœlis *Sol* & *Luna*, ab interpretibus somniorum, pro personis Regum ac Reginarum sumuntur: in sacris, autem, Oraculis, quæ non singulas personas respiciunt, *Sol* ponitur pro integro Regum genere & stirpe, in Regno vel Regnis mundi politici, æquali potestate ac gloriâ illustrium; *Luna* pro corpore populi, considerato tanquam Regis uxore; *Stella* pro inferioribus Principibus & magnis viris, vel pro Episcopis Rectoribúsque populi Dei, ubi *Sol* est *Christus*; *Lux* pro gloriâ, veritate ac scientiâ, quibus magni boníque viri splendent, aliósque illustrant; *Tenebræ* pro obscurâ conditione, tum & pro errore, cœcitate & ignorantiâ; *Obscuratio*, *percussio*, vel *occasus Solis*, *Lunæ*, & *Stellarum*, pro cessatione alicujus Regni, vel pro ejus desolatione, tenebris illis æquâbili. *Obscurare Solem*, *Lunam in sanguinem convertere*, & *Stellarum lapsus*, idem, quod proximè dictum, significant: *Novæ*, autem, *Lunæ*, dispersi populi reditum, in politicum vel ecclesiasticum corpus. *De Stylo Profetico.*

Ignis & *Meteora*, tum ad *Cœlum*, tum ad *Terram*, referuntur, ac sequenti usurpantur ratione. *Conflagratio cujusdam rei per ignem*, ejus rei absumtionem bello significat; *Conflagratio terræ*, vel *rei cujusdam in stagnum ignis conversio*, Regnum bello destructum: *In fornace esse*, denotat esse in servitute, alii genti subjectum; *Adscensus fumi*, *rei cujusdam flagrantis in æternum*, perpetuæ servitutis miseriam. *Exurens Solis æstus*, acerba bella, persecutiones & molestias à Rege immissa; *Vehi nubibus*, idem est, quod imperare multo populo; *Obvelatio Solis fumo*, vel *nube*, Regis ab exercitibus hostium oppressionem innuit; *Procellosi venti*, *nubiúmve motus*, bella; *Tonitru*, vel *nubis vox*, vocem multitudinis; *Procella tonitrûs*, *fulminis & grandinis*, nec non *imbres* ab Igne & Meteoris;

Digitized by Google

CAP. II. *magni*, tempestatem belli, è cœlo & nubibus politicis, in eorum, qui ipsis hostes sunt, capita ruentem; *Pluvia*, si non immodica, *ros*, *& perennes aquæ*, gratiam & doctrinas Spiritûs; *Pluviæ penuria*, sterilitatem spiritualem.

à Terrâ, &c. In Terrâ, *arida* & *collectæ aquæ*, ut *mare*, *fluvius*, *fluentum*, ponuntur pro diversarum Regionum, Nationum & Imperiorum populis. *Aquas amaras reddere*, significat populum quemdam bello & vexatione valde adfligere; *Conversio rerum in sanguinem*, allegoricam corporum politicorum mortem, id est, eorum dissolutionem; *Maris* vel *fluvii exundatio*, invasionem orbis politici à populo aquarum; *Ipsarum*, verò, *aquarum exsiccatio*, expugnationem Regionum illarum à Terrâ. *Fontes aquarum* pro urbibus ponuntur, fluviorum politicorum permanentibus capitibus; *Montes*, & *insulæ*, pro orbis Marisque politici oppidis, cum agris ipsorum, ditionibúsque; *Speleæ* ac *rupes* montium, pro urbium Templis; *Hominum in speleis rupibúsque absconsio*, pro Idolorum in suis Templis inclusione; *Domus* ac *naves* pro familiis, cœtibus, ac oppidis, in Mari ac Terrâ politicis; *Navium*, denique, *bellicarum classis*, pro ejus, quod per *Mare* significatur, Regni exercitu.

ab Animalibus & Plantis. *Animalia*, quoque, & *plantæ* ponuntur pro diversarum Regionum, diversæque sortis hominibus; & speciatim *arbores*, *herbæ*, & *terrestria animalia*, pro Terræ politicæ populo; *Herbæ palustres*, *arundines* & *pisces*, pro iis, qui in politicis aquis; *Volucres* & *insectæ*, pro iis qui in Cœlo politico ac Terræ degunt; *Pratum*, pro Regno: *Desertum*, pro devastato tenuíque populo.

Si Mundus ex variis regnis constans consideretur, paulò alia est Allegoria. Si Mundus politicus, in vaticinio consideratus, ex multis Regnis constet, hæc per totidem *Mundi naturalis* partes exprimuntur. Exempli gratiâ, nobilissima ex iis per *cœlestem fabricam*, & tum *Luna* & *nubes* pro vulgo populi ponuntur; ignobiliora per *Terram*, *Mare* & *flumina*, nec non *animalia* & *plantas* & *ædificia*, *quæ in illis sunt*; tum etiam *majora* & *fortiora animalia*, & & *altiores arbores*, ponuntur pro Regibus, Principibus, ac Nobilibus. Porrò, cùm integrum Regnum sit politicum Regis corpus, idcircò *Sol*, vel *arbor*, vel *bestia*, vel *avis*, vel *vir*, quo Rex denotatur, latiori significatione ponitur pro integro Regno; variá-

que

Digitized by Google

que *animalia*, ut *Leo*, *Urſus*, *Pardus*, *Caper*, pro variis ſuis proprietatibus, varia Regna & politica corpora ſignificant; tum *ſacrificatio beſtiarum* pro cruentâ Regnorum expugnatione ponitur, & *inter beſtias amicitia*, pro pace inter Regna. Aliquando, tamen, animalium & plantarum nomina, certis epithetis aut circumſtantiis, ad alias ſignificationes extenduntur: ut *arbor*, ubi vocatur *arbor vitæ* vel *ſcientiæ*, & *beſtia*, ubi *Serpens antiquus* adpellatur, vel *coli* dicitur. *De Stylo prophetico.*

Cùm *beſtia*, vel *homo*, ponitur pro Regno, *partes* ipſius ac proprietates, pro iis, quæ reſpondent illis Regni partibus & proprietatibus, ponuntur: ut *beſtiæ caput*, pro viris magnis; qui aliis præcedunt atque imperant; *cauda* pro inferioris vulgi hominibus, qui ſequuntur ac reguntur; *capita*, ſi uno plura occurrant, pro numero præcipuarum partium, Dynaſtiarum, vel Principatuum in eo Regno, ſive eæ, quod ad imperii adminiſtrationem civilem, ſimul exſiſtant, ſive una ſuccedat alteri; *cornua in quodam capite*, pro Regnorum, quæ in eo Imperio, ſunt, numero, cum reſpectu ad vim militarem; *videre* pro intelligere, & *oculi*, pro viris intelligentibus, inque Reipublicæ adminiſtratione verſatis; in rebus, autem, quæ ad Religionem pertinent, pro Επισκόποις, Epiſcopi; *loqui* pro legumlatione; *os* pro Legiſlatore, ſive is civilis, ſit, ſive ſacer; *intenſio vocis* pro potentiâ, imperióque; *ejuſdem debilitas*, pro infirmitate; *edere* & *bibere*, pro eorum, quæ comeſis vel epotis ſignificantur, adquiſitione; *pili beſtiæ*, vel *viri*, & *pluma volucris*, pro populo; *ala* pro numero Regnorum, *beſtiâ* ſignificatorum; *brachium* pro Regni potentiâ, vel pro populo, in quo ejus potentia & vires conſiſtunt; *pedes ipſius* pro infimis ex populo, vel pro extremâ Regni parte; *pedes*, *ungues* ac *dentes ferarum*, pro exercitibus eorúmque turmis; *oſſa* pro robore, nec non pro munitis locis; *caro* pro divitiis ac poſſeſſionibus; *dies*, tandem, *quos agunt*, pro annis. Cùm verò *arbor* pro Regno ponitur, ejus *rami*, *foliæ* & *fructus*, eadem ſignificant, quæ *volucris* vel *beſtiæ ala*, *pluma*, & *victus*. Nec non cum beſtia vel homo vel arbor pro regno ponitur.

Cùm *homo* metaphorico ſenſu accipitur, qualitates ejus ſæpe ipſius actionibus deſignantur, ac rerum circumſtantiis, in quibus verſatur. Denique, cùm homo, ejuſ-

Ita,

CAP. II. Ita, quòd quis populorum Rector ſit, ipſius *equitatione ſuper beſtia* ſignificatur; bellicoſus & expugnator, *tenente gladium & arcum* vir potens, *ſtaturâ giganteâ*; Judex, *ponderibus & menſuris*; *albo* autem, *atróve lapillo*, abſolutionis vel condemnationis ſententia denotatur; *novo nomine*, dignitas; *veſtibus*, morales vel civiles qualitates; *ſplendido ornatu*, honor & gloria; *purpurâ* & *cocco*, vel *diademate*, regia dignitas; juſtitia, verò, *albis* & *puris ſtolis*; impietas, veſtimentis *maculoſis* & *ſqualidis*; adflictio, luctus & pœnitentiæ teſtificatio, *cilicino veſtitu*; probrum, pudor, & bonorum operum defectus, *nuditate*; errores & miſeria, *potione ex vino* ejus, qui vel quæ eorum cauſa eſt: propagatio alicujus Religionis, lucri ergò, *mercaturam exercendo* cum eâ, cujus Religio innuitur, Gente falſorum Deorum alicujus Gentis adoratio vel cultus, *patrationadulterii* cum ipſius principibus, vel horum *cultu*; alicujus Regn concilium, ejuſdem *imagine*; idololàtria, *blaſphemiâ*; clades bell accepta, *vulnere viri*, vel *beſtiæ*; diutinæ ærumnæ belli, *ulcere* & *dolore*; adflictio, vel vexatio, quam patitur quidam populus, dum laborat ut novum edat Regnum, *doloribus mulieris*, *dum* maſculam *paritura* prolem nititur; corporis politici vel eccleſiaſtici diſſolutio, *morte viri*, vel *beſtiæ*; denique, diſſoluti Imperii inſtauratio, *reſurrectione mortuorum*.

que actiones & fata, metaphoricè uſurpantur.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Visum Imaginis Metallinæ.

De viso Imaginis ex quatuor metallis compositæ.

DANIELIS vaticinia ad se invicem, mutuâ quâdam ratione, omnia referuntur (*a*), quasi tantùm diversæ essent uniùs generalis vaticinii partes, diversis editæ temporibus. Primum omnium intellectu facillimum est, & singula sequentium novi aliquid prioribus addunt. Primum oblatum fuit NABUCHODONOZORO, *Babyloniæ* Regi, in somnis, anno Regni ipsius secundo; illo, autem, somnii sui oblito, denuo idem in somnis DANIELI oblatum est, atque ab hoc Regi enarratum (*b*). Hinc protinus DANIEL, sapientiæ & occulta recludendi laude inclaruit, usque adeo ut EZEKIEL, ejus æqualis, undevigesimo anno NABUCHODONOZORI, hac ratione adversùs *Tyri* Regem dixerit: *Ecce, sapientior tu es* DANIELE, *non est secretum quod tibi abscondant* (*c*). Idem EZEKIEL, alio loco, DANIELEM cum NOACHO & HIOBO, in maximâ apud Deum gratiâ positis, conjungit (*d*). Tum &, postremo BALTASSARI anno, de ipso, Regina mater Regi hunc in modum loquuta est: (*e*) *Est in tuo regno vir, cui spiritus sanctorum Deorum inest; & patris* (*f*) *tui temporibus lux, & scientia, & sapientia, qualis Deorum sapientia est, in eo inventæ sunt: quem & Rex* NABUCHODONOZORUS, *pater tuus, Rex*, inquam, *pater tuus, principem Magorum, Astrologorum, Chaldæorum & Aruspicum constituit. Quoniam spiritus excellens & scientia & intelligentia, & inter-*

Omnia *Danielis* vaticinia se mutuò respiciunt.

Danielis fama.

(*a*) *Are all related to one another.*
(*b*) Dan. II. 1. 19. 31. &c.
(*c*) Ezek. XXVIII. 3.
(*d*) Ibid. XIV. 14. 16. 18. 20.
(*e*) Dan. V. 11. 12.
(*f*) [Ita Angli; & in margine, *Avi tui:* quomodo etiam habet *Junii* & *Tremellii* versio. Re verâ fuit *Balthassarus* nepos *Nabuchodonozori*, sive eum statuas eumdem cum *Nabonadio*, postremo *Babyloniæ* Rege, ut vult Cl. *Prideaux Hist. Jud. &c. Libro II. ad initium regni Balthassari*; sive eumdem cum *Laborosoarchodo*, ut censet Doctiss. *Drieberge*, *in suis*, *ad Belgicam citatæ Historiæ versionem*, *notis*, *paulò post loc. citatum.* Jam verò *Hebræis* אבות quoscunque majores significare pernotuit est.]

CAP. III. *interpretatio somniorum, & solutio rerum implexarum & dubiorum in ipso* DANIELE *inventa sunt, cui Rex imposuit nomen* BELTESAZZAR. Maximæ fuit DANIEL apud *Judæos* æstimationis, usque ad HADRIANI, Imperatoris *Romani*, imperium; atque illius vaticinia rejicere tantumdem est ac rejicere Religionem Christianam; Hæc enim Profetæ hujus de *Messiâ* vaticinio, tamquam fundamento, nititur.

De imagine è quatuor Metallis compositâ.

Jam, in hoc viso imaginis ex quatuor metallis compositæ, fundamentum struitur omnium vaticiniorum DANIELIS. Imago illa quatuor magnarum Gentium corpus designat, quæ, una post aliam, terrarum orbi essent imperaturæ: gentem scilicet *Babylonicam*, *Persas*, *Græcos*, & *Romanos*. Porrò, per lapidem, sine manibus excisum, qui in pedes imaginis incidit, omnia illa quatuor metalla contrivit, factúsque est mons ingens, implevítque universam terram; repræsentatur novum Regnum, quod post quatuor illa, priora exoriturum esset, omnes eas Gentes subacturum, valdè magnum evasurum, atque ad omnium usque sæculorum finem perduraturum.

Caput ejus imaginis constabat ex auro, illúdque Gentes *Babyloniæ* significabat, quæ primæ regnarent, ipso DANIELE interprete: *Tu es caput hoc aureum*, inquit ille NABUCHODONOZORO (*a*). Hæ Gentes imperârunt donec CYRUS *Babylonem* expugnaret, at paucis post eam expugnationem mensibus ad *Persas* defecerunt, eósque evexerunt supra *Medos*. *Pectus* & *brachia* imaginis ex argento erant, designabántque *Persas*, qui proximè regnârunt. *Venter* & *femora* ex ære, significant *Græcos*, qui, regnante ALEXANDRO *Magno Persas* devicerunt & proximi ab ipsis imperârunt. *Tibiæ* erant è ferro, & hæ *Romanos* designabant, qui Imperium tenuêre post *Græcos*, quos sibi subjicere cœperunt octavo anno ANTIOCHI *Epiphanis*. Quippe, tum *Romani* debellârunt PERSEA, Regem *Macedoniæ*, quo Regno propriè *Græcorum* Monarchia occœperat; atque hinc in potentissimum Imperium excreverunt, ingentíque imperârunt potestate, usque ad THEODOSII *Magni* tempora. Tum, incursionibus multorum è Septem-

(*a*) II. 38.

Digitized by Google

Septemtrione populorum, in multa minora Regna Imperium Romanum dissipatum est, atque hæc significabantur pedibus imaginis, eorúmque digitis, partim ferro partim luto constantibus. Tum enim, *Regnum divisum iri* docet DANIEL (*a*), *sed in eo futurum de robore ferri, quandoquidem* Rex *ferrum luto mixtum viderat; non autem inter se cohæsuras* ejus partes, *sicut ferrum & lutum non* exactè *miscentur.* *Visum quatuor bestiarum.*

Horum autem Regum temporibus, pergit, *Deus cœli Regnum suscitabit, nunquam destruendum, atque illud alteri populo non relinquetur, verùm omnia illa Regna comminuet atque consumet; ipsum autem in æternum consistet: Quandoquidem vidisti lapidem absque manibus ex montibus excindi, eúmque ferrum, æs, lutum, argentum atque aurum comminuisse.*

CAPUT QUARTUM.

De viso quatuor bestiarum.

PRoximo viso, quod est quatuor bestiarum, vaticinium de quatuor Imperiis repetitur cum quibusdam additamentis, qualia sunt duæ *Leonis* alæ, tres costæ in ore *Ursi*, quatuor alæ totidémque capita *Pardi*, undecim *quartæ bestiæ* cornua, *Filius*, denique, *hominis*, in nubibus veniens atque ad *Antiquum diebus*, pro tribunali sedentem, accedens. Explicatio Capitis VII. apud *Danielem.*

Prima bestia Leoni erat similis, alæque ipsi aquilinæ, ut denotentur *Babylonia* & *Media* Regna, quæ *Assyriorum* Imperium everterunt, illúdque inter se sunt partita, unde & illustria facta sunt inque ingentia Imperia creverunt. Præcedenti vaticinio *Babyloniorum* Imperium repræsentabatur capite imaginis aureo: Hoc verò utrumque, scilicet, *Babylonicum* & *Medum*, simul denotatur duabus Leonis alis. *Adspiciebam*, inquit DANIEL, *usque dum avulsæ essent ipsius alæ, atque* (*b*) *è terrâ sublata, inque pedes, velut* De Primâ bestiâ.

(*a*) Dan. II. 41. 43, 44. &c.
(*b*) J. & T. & Angli in margine, habent *quibus.*

Digitized by Google

CAP. VI. *velut homo, ſtare coacta eſſet, & cor humanum ipſi eſſet inditum* (*a*): id eſt donec repreſſum & ſubactum eſſet, adactúmque ad perceptionem ſtatûs ſui humano non majoris.

De Alterâ. Altera beſtia *ſimilis erat Urſo*, eáque Imperium repræſentat, quod proximum à *Babyloniis* præpolluit, nempe *Perſarum. Diviſum*, ſive fractum, *eſt Regnum tuum, datúmque Medis ac Perſis*, inquit poſtremo *Babylonio* Regi DANIEL (*b*). *Hæc beſtia ſeſe in unam partè ſuſtulit* (*c*). Fuêre, nempe ſub *Medis Perſæ*, cùm *Babylon* expugnaretur, ſed protinus ſupra ipſos ſurrexêre. *Et tres ipſi erant in ore coſtæ inter dentes* (*d*), quibus denotentur Regna *Sardium*, *Babylonis* & *Ægypti*, à *Perſarum* Imperio expugnata, non autem ad proprium ejus corpus pertinentia. *Multas*, denique, *carnes* devoravit; divitias, ſcilicet, trium illorum Regnorum.

De Tertiâ. Tertia beſtia Imperium erat, quod *Perſico* ſucceſſit, atque hoc fuit *Græcorum* (*e*). *Pardo erat ſimilis*, quo ejus ferocia ſignificetur; *quatuor illi erant capita, quatuor cornua*, quibus innuitur in quatuor Regna diviſum iri (*f*). Forma enim monarchica duravit quamdiu ALEXANDER Magnus, ejúſque frater ARIDÆUS, filiíque juvénes ALEXANDER & HERCULES imperârunt; tum in quatuor Regna divulſum eſt, Præfectis Provinciarum ſuis ipſorum capitibus imponentibus diademata, & mutuo conſenſu ſuis Provinciis Regiâ auctoritate imperantibus. *Macedoniæ*, *Græciæ* & *Epiro* imperavit CASSANDER; LYSIMACUS *Thraciæ* & *Bithyniæ*; PTOLEMÆUS *Ægypto*, *Libyæ*, *Arabiæ*, *Cœle-Syriæ*, & *Paleſtinæ*; SELEUCUS, denique, *Syriæ*.

De Quartâ. Quarta beſtia illud, quod *Græcorum* ſucceſſit Imperio, ſignificabat, atque id *Romanorum* fuit. *Præter modum horrenda erat terribiliſque hæc beſtia; ingentes illi è ferro dentes; devorabat ac perfringebat & pedibus conculcabat quod erat reliquum.* Atque ejuſmodi verè fuit Imperium *Romanum*. Fuit illud amplius, fortius, ac

(*a*) Dan. VII. 4.
(*b*) Ibid. V. 28.
(*c*) Ibid. VII. 5. Angli in margine, ut & J. & T. habent *dominatum unum eremit.*
(*d*) Loco citato.
(*e*) Dan. VIII. 6. 7. 20. 21.
(*f*) Ibid. v. 22.

Digitized by Google

ac horrendum magis & diutinum ullo ex prioribus. Regnum *Macedoniæ* cum *Illyrico* & *Epiro*, ſubegit anno octavo ANTIOCHI *Epiphanis*, Æræ NABONASSARI 580. Hæreditate adquiſivit Regnum *Pergami* anno NABONASS. 615. *Syriæ* Regnum debellavit ejuſdem Æræ anno 679. Ægypti, denique, ejuſdem 718. Et his aliiſque victoriis majus evaſit magiſque terribile, quàm ulla ex prioribus tribus beſtiis fuerat. Duravit, porrò, hoc Imperium, eâ, quam dixi, magnitudine, ad uſque principatum Magni THEODOSII. Tum in decem Regna, decem quartæ beſtiæ cornibus repræſentata, diffractum eſt, eáque fractâ formâ permanſit donec *Antiquus diebus ſolio, igneæ flammæ ſimili, conſideret* : — *ad Judicium ſedit, & aperti ſunt libri*, — *& interfecta eſt beſtia ejúſque corpus perditum, ignique comburendum traditum eſt* ; — *& cum cœli nubibus venit quaſi filius hominis, acceſſítque ad Antiquum diebus, íque omnes Nationes accepit Imperium, & datum eſt judicium Sanctis Altiſſimi, venítque tempus quo hi obtinuerunt Regnum* (*a*). *Vidi*, inquit DANIEL, (*b*) *donec occiſa eſſet beſtia, perditúmque ejus corpus, traditúmque comburendum igne. Quod ad reliquas beſtias, ipſis ablata eſt ſua poteſtas, vita tamen* (*c*) *ipſorum*

Viſum quatuor beſtiarum

Pp 3

(*a*) Dan. VII. 10, 11. 13. 22.

(*b*) Ibid. ℣. 11, 12.

(*c*) [Ita Angli. Alii aliter. Cùm autem hujus verſûs expoſitioni Noſter, integram ſuam, de nobilis hujus vaticinii ſenſu, ſententiam ferè ſuperſtruat, digna eſt ea, quæ attentè examinetur. Durum videtur hunc verſum ita intelligere, ac ſi ſcripſiſſet *Daniel* : *Reliquis Gentibus ablatum eſt imperium, at ipſa manſerunt*. Nam, primò ; *beſtiarum* nomine, non tam ipſas Gentes, quam ipſarum Imperia, ſignificat Profeta, ut ipſe Noſter paſſim rectè exponit : patet illud hinc, quòd una poſt alteram ſurrexiſſe dicitur : Gentes, verò, ipſæ jam antea ſimul extabant. Imperia autem, cùm beſtiarum nomine venirent, Imperia ceſſâſſe, æquè ſic exprimi potuit, *beſtiis ablatam eſſe poteſtatem*, quàm *beſtias occiſas eſſe*. Et hæc idem ſignificare liquet ex verſu undecimo, ubi ipſe Noſter poſtremam phraſin ita intelligit. Secus dicendum fuiſſet, quartam Gentem cum ſuo ſimul imperio periiſſe, jam, verò, eam cum ceteris viventem conſiderat. Sed &, ſecundò, in hoc ipſo ſecum non conſentire videtur. Vir Summus, ubi mox dicit : *Omnes quatuor beſtiæ ad hunc uſque diem vivunt* : quarta, enim, expreſsè *occiſa* dicitur ; & in verſione textûs profetici, quâ Anglos hìc ſequitur, licèt alibi quandoque ab iis recedat, *poteſtate orbari τῷ occidi ἀνᾳιρεθαι*. Melior, itaque, videtur *Calvini* verſio, quæ habet : *Et reliquis beſtiis abſtuleranr poteſtatem* [*vel* dominationem] *& longitudo in vitâ data illis fuerat &c.* ut ſenſus ſit, *quod ad reliqua Imperia, etiam hæc everſa fuerant, poſt quàm per conſtitutum tempus præpolluiſſent*, ſcilicet, everſa *fuerant* jam antea, ab ipſo quarto ? quod.

Digitized by Google

CAP. IV. *ſorum producta eſt, per tempus, & conſtitutum tempus (a).* Idcircò omnes quatuor beſtiæ ad hunc uſque diem vivunt, quamvis tribus prioribus poteſtas ablata ſit. *Chaldæa* & *Aſſyria* populi adhuc ſunt prima beſtia; qui *Mediam* & *Perſiden* incolunt, adhuc ſecunda; Gentes *Macedoniæ*, *Græciæ*, *Thraciæ*, minoris *Aſiæ*, *Syriæ*, & *Ægypti*, adhuc ſunt tertia; qui, denique, *Europam* tenent, cis *Græciam*, adhuc ſunt quarta. Cùm, igitur, tertiæ corpus non ultra Gentes cis *Euphratem*, quartæ verò non ultra eas, quæ cis *Græciam* in *Europâ* ſunt, extendatur; integra quatuor capita *illius*, in populis cis Euphratem; integra, autem, undecim *hujus* cornua in populis cis *Græciam* nobis quærenda ſunt. Atque hac de cauſâ *Græci* Imperii, in quatuor *Græcorum* Regna, ſolutionem conſiderantes, nullam *Chaldæorum*, *Medorum*, *Perſarúmve* partem, his in Regnis numeramus, quippe, quæ Gentes ad duarum priorum beſtiarum corpora pertinuerant. Nec magis *Græcorum*, cujus ſedes fuit *Conſtantinopoli*, Imperium numeramus inter undecim cornua quartæ beſtiæ, cùm ad corpus tertiæ illud pertinuerit.

CAPUT

quod hìc demum notat *Daniel*, cùm, de ſuperbis verbis parvi cornu beſtiæ quartæ agens, etiam continuò ejus beſtiæ cædem adjeciſſet. Fortaſſis etiamnùm melior eſt ſententia *Jo. Medi*, qui, cum pro הַיּוֹתָא *plur.* legat. הַיּוֹתָא *ſing.* [quomodo & codices habere non in controverſiam vocare videtur, & re verâ legitur in editione, quam *Manaſſe Ben-Iſraël* adornavit] locum vertit, non *reſiduum beſtiarum*, ut *Junius*, ſed *reſiduum beſtiæ*; adeòque non *reliquas beſtias*, tres videlicet priores, intelligit, ſed id, quod de quartâ, cujus *corpus igne comburendum erat datum*, reſtabat; nempe ejus *cornua*, maximè *parvum* ejus *cornu*; quorum fata, æquè ac ipſius *corporis*, ℣. 19. & 20. ſcire ſe deſiderâſſe, & quidem diſtinctè, *Daniel* teſtatur. Ceterùm, quod ad *rem ipſam*; Gentes, nempe, illas, quarum Imperia beſtiis, tam tribus, quàm quartâ, ſignificabantur, adhuc exſtare; id jure dicitur: ſiquidem *eædem* Gentes vocari poſſint ii, qui jam illas terras incolunt, populi, cum iis, qui olim illas incoluerunt, quâ ratione prorſus nulla unquam Gens *deleta* poſſit dici. Verùm in vaticinio nulla *ejus rei* ratio haberi videtur.]

(a) Dan. VII. 11. 12. Angli, *for a ſeaſon and a time.*

Digitized by Google

Pedes Imaginis.

CAPUT QUINTUM.

De Regnis, pedibus imaginis, qui ferro & luto conſtabant, denotatis.

De veteri Daciâ ejúſque incolis, Romanorum Imperio ſubjectis.

INgens quondam Regio erat *Dacia*, cujus termini ad Meridiem *Danubius*, ad Orientem *Pontus Euxinus*, ad Septemtrionem fluvius *Tyras* & mons *Carpatus*, ad Occidentem fluvius *Tibeſis*, ſive *Tibiſcus*, qui Meridiem verſùs fluit donec paulò ſupra *Albam Græcam* in Danubium incidat. Complectebatur illa Regiones, quæ hodie vocantur *Tranſſylvania*, *Moldavia* & *Wallachia*, nec non *ſuperioris Hungariæ* Orientalem partem. Veteres ejus incolæ à *Græcis* dicebantur *Getæ*, à *Latinis Daci*, à ſeipſis *Gothi*. ALEXANDER Magnus eos adortus eſt, TRAJANUS ſubegit, eorúmque terram in Provinciæ *Romani* Imperii formam redegit; quo factum eſt, ut prædicatio Evangelii apud ipſos valdè promota ſit. Conſtabant hæ Gentes ex variis *Gothorum* populis, quales erant *Oſtrogothi*, *Viſigothi*, *Vandali*, *Gepides*, *Longobardi*, *Burgundiones*, *Alani*, aliíque: quibus omnibus, ut eos PROCOPIUS deſcribit, iidem mores, eadem lingua erat (*a*). Quamdiu *Romanorum* hi ſubditi Imperio, *Gothi*, ſive *Oſtrogothi*, Orientales *Daciæ* partes tenebant, *Vandali* Occidentalem ad flumen Tibeſin, eo ferè loco ubi in hunc *Mariſius* & *Chryſius* (*b*) incidunt. Inter hos medii erant *Viſigothi*. *Gepides*, ſecundùm JORNANDEM, habitabant ad *Viſtulam*: *Burgundiones*, Gens *Vandalica*, inter Viſtulam & Auſtralem *Boryſtenis* fontem, non procul à monte Carpato, Septemtrionem verſùs, ubi eos ponit PTOLEMÆUS, cui dicuntur *Phrugundiones*, & *Burgiones Alani*, alia è *Gothis* Gens, habita-

(*a*) Libr. 1. de bello Vandalico.

(*b*) [*Muresb* and *Keresb*. Prior eſt, procul dubio, qui hodie *Marocs* dicîtur, veteribus *Rhabo* & *Mariſius*: alterum in veteribus tabulis nomine notatum non invenio. *Jornandi Chryſium*, aliis *Cuſum* dici teſtatur *Car. Stephanus*. Ita & alii hodierni vocant. Verùm apud *Jornandem* legitur *Griſſia*; Cap. XXII. aitque hoc flumen *Mariſiam*, ut vocat, excedere; in quo tamen errat.]

Digitized by Google

CAP. V. habitabant inter Septemtrionalem fontem Boryſthenis & oſtium *Tanais* fluviorum, ubi PTOLEMÆUS ponit *Alanum* montem, & Occidentalem partem *Paludis Mœotidis*.

Horum regna & Reges, poſtquam adverſùs Romanos rebellâſſent.

Hæ Gentes ſub Imperio *Romanorum* manſerunt uſque ad alterum Imperatoris PHILIPPI annum, cùm, propterea quod ſtipendium ipſis non penderetur, rebellare occœperunt; Regnum condentibus *Oſtrogothis*, quod, ſub Regibus ipſorum OSTROGOTA, CNIVA, ARARICO, GEPERICO, & HERMANARICO adolevit uſque ad A. C. 376, & tum, *Hunnorum* è tractibus trans Tanaim incurſione & morte HERMANARICI, in varia minora Regna diſruptum eſt. HUNNIMUNDUS, HERMANARICI filius, Rex evaſit *Oſtrogothorum*; FRIDIGERNUS *Viſigothorum*; WINITHARUS, vel VINITHARUS, partis *Gothorum* AMMIANO *Gruthungi*, CLAUDIANO *Gothungi*, aliis *Sermatæ* & *Scythæ* dictorum, ATHANARICUS imperabat alii *Gothorum* parti in *Daciâ*, cui nomen *Thervingi*; BOXUS *Antibus* in *Sarmatiâ*; etiam *Gepidibus* ſuus Rex fuit. *Vandali* à GEBERICO trans Danubium aufugerunt poſtremis imperii CONSTANTINI Magni annis, iiſque ab hoc Imperatore ſedes in *Pannoniâ* conceſſæ ſunt, in quibus quieti vixére quadraginta annos, ſcilicet ad annum 377, cùm variæ *Gothorum* Gentes, fugientes *Hunnos*, tranſgreſſæ ſunt Danubium, quibus ſedes conceſſæ in *Mœſiâ* & *Thraciâ*, ab Imperatore *Græcorum* VALENTE. Hi autem proximo anno rebellârunt, atque, in auxilium vocatis quibuſdam *Gothis*, *Alanis*, & *Hunnis*, è Regionibus ab alterâ parte Danubii, exercitum *Romanum* fuderunt, cæſo etiam VALENTE Imperatore, ac ſeſe per *Græciam*, & *Pannoniam* ad Alpes uſque diffuderunt. Deinde, annis C. 379 & 380, armis Imperatorem GRATIANI & THEODOSII repreſſi ſunt, atque obnoxiam pacem fecerunt. *Viſigothi* & *Thervingi* ſuas repetierunt ſedes in *Mœſiâ* ac *Thraciâ*, *Hunni* reverſi ſunt trans Danubium, *Alani* autem & *Gruthungi* ſedes in *Pannoniâ* obtinuerunt.

Eorundem res geſtæ.

Circa annum 373 vel 374. *Burgundiones* è ſuis ad Viſtulam ſedibus ſurrexére cum octinginta millium exercitu, *Galliam* invaſuri; repulſi autem conſederunt ad Septemtrionalem *Rheni* partem

ex

Digitized by Google

ex adverso *Moguntiæ*. Anno 358 turba *Saliorum Francorum*, quæ cum suo Rege, à fluvio *Salâ* venerat, ab Imperatore JULIANO intra Imperium recepta est, eique sedes adsignatæ in *Galliâ* inter *Brabantiam* & Rhenum: Ejus Rex MELLOBAUDES deinde à GRATIANO Imperatore factus est *Comes Domesticorum*. RICHOMERUS, alius nobilis hujus gentis Franco, Comes Domesticorum nec non Utriusque Militiæ Magister creatus est ab Imperatore THEODOSIO; atque is etiam, A. C. 384 cum CLEARCHO fuit Consul. Magnâ apud THODOSIUM hic fuit gratiâ, quem etiam comitatus est in bellis cum EUGENIO, eâ autem in expeditione mortuus, relicto filio, cui nomen THEUDOMIRUS, qui postea Rex *Saliorum Francorum* in *Brabantiâ* evasit. Tempore hujus belli quidam *Franci* è Regionibus trans Rhenum, ductu GENOBALDI, MARCOMIRI, & SUNONIS, *Galliam* invasêre, à STILICONE autem repulsi sunt, & MARCOMIRO occiso successit in *Germaniâ* filius ejus PHARAMUNDUS. *Pedes Imaginis.*

Dum hæ Gentes quietæ permanerent in Imperio *Romanis* subjectæ, multæ aliæ quoque trans Danubium ita manserunt usque ad mortem Imperatoris THEODOSII, post quam surrexerunt in armis. PAULUS enim *Diaconus*, in *Hist.* suâ *Miscell.* Lib. XIV, de temporibus, quæ hujus Imperatoris mortem proximè excepe-runt, verba faciens, hæc habet: *Eodem tempore erant Gothi & alia Gentes maximæ, trans Danubium habitantes: ex quibus rationabiliores quatuor sunt, Gothi, scilicet, Huisigothi, Gepides, & Vandali; & nomen tantùm & nihil aliud mutantes. Isti sub* ARCADIO *&* HONORIO *Danubium transeuntes, locati sunt in terrâ Romanorum: Et Gepides quidem, ex quibus postea divisi sunt Longobardi & Avares, villas, quæ sunt circa Singidonum & Sirmium, habitavêre.* Et PROCOPIUS, in principio *Historiæ* suæ *Vandalicæ*, in eamdem sententiam scribit. Hactenus Occidentis Imperium integrum permansit, jam autem in multa Regna disruptum est. *& rebellionis ac bellorum cum Romanis historia.*

Mortuus est THEODOSIUS Anno C. 795, & tum *Visigothi*, duce ALARICO, FRIDIGERNI successore, è sedibus suis in *Thraciâ* surrexerunt, *Macedoniámque*, *Thessaliam*, *Achaiam*, Pe-

Digitized by Google

CAP. V. *Ioponnesum*, & *Epirum* ferro & igni quinque continuos annos devastârunt; quibus circumactis, ad Occidentem versi, invasêre *Dalmatiam*, *Illyricum*, & *Pannoniam*; atque inde *Italiam* sunt profecti A. C. 402, & proximo anno adeò ad *Pollentiam* & *Veronam* cæsi sunt à STILICONE, summo copiarum Imperii Occidentis Duce, ut CLAUDIANUS reliquias copiarum ALARICI vocet *tantâ ex gente reliquias breves* (*a*), & PRUDENTIUS, *Gentem deletam* (*b*). Hinc ALARICUS pacem fecit cum Imperatore, cùm eâtenus depressus esset, ut dicat OROSIUS eum *pro pace optimâ & quibuscumque sedibus supplicitèr & simpliciter orâsse* (*c*). Rata facta est hæc pax obsidibus ultrò citóque datis; ÆTIUS obses datus est ALARICO, & ALARICUS Princeps liber mansit in iis, quæ jam ipsi concessa erant, sedibus.

Cùm ALARICUS arma caperet, moveri coeperunt Gentes trans Danubium; & proximâ hieme, quæ annos A C. 395 & 396 intercessit, magna *Hunnorum*, *Alanorum*, *Ostrogothorum*, *Gepidum*, aliorúmque Septemtrionalium populorum, à RUFINO invitatorum, manus gelu constrictum Danubium transiit: quo facto etiam ipsorum fratres, qui sedes in Imperio obtinuerant, arma ceperunt. HIERONYMUS ingentem hanc multitudinem vocat *Hunnos*, *Alanos*, *Vandalos*, *Gothos*, *Sarmatas*, *Quados*, & *Marcomannos*, aïstque eos omnia inter *Constantinopolin* & *Julias Alpes* loca invasisse, devastantes *Scythiam*, *Thraciam*, *Macedoniam*, *Dardaniam*, *Daciam*, *Thessaliam*, *Achaiam*, *Epirum*, *Dalmatiam*, omnémque *Pannoniam* (*d*). Etiam *Suevi Rhætiam* invasêre: Dum enim ALARICUS *Pannoniam* vastaret, *Romani* in defendendâ *Rhætiâ* erant occupati; quod ALARICO occasionem invadendi *Italiam* præbuit, ut hunc in modum narrat CLAUDIANUS (*e*):

— — persi-

(*a*) [De sexto Consulatu *Honorii*, v. 156.

(*b*) Contra *Symmachum*, libro secundo, v. 714.

(*c*) Libr. VII. Cap. 38.

(*d*) In Epistolâ ad *Heliodorum*. Epist. Tom. I. p. 27. Editionis Erasmianæ 1524, in initio. Vide & paulò post.]

(*e*) De bello *Getico*, v. 278.

Digitized by Google

Pedes Imaginis.

- - perfidiâ nacti penetrabile tempus,
Irrupêre Getæ, noſtras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio deſudans Marte cohortes.

Porrò dum ALARICUS ex hiſce tractibus *Italiam* peteret, aliæ quædam Gentes Barbaræ *Noricum* & *Vindeliciam* invaſêre, narrante eodem CLAUDIANO hiſce verbis (*a*):

- - - Jam fœdera Gentes
Exuerant, Latiique auditâ clade feroces
Vindelicos ſaltus & Norica rura tenebant.

Contigit hoc annis 402 & 403. Atque in his Gentibus etiam *Suevos*, *Quados*, & *Marcomannos* reputo; omnes enim hoc tempore erant in armis. *Quadi* & *Marcomanni* Gentes erant *Sueva*, ipſique & *Suevi* originem ducebant è *Bohemiâ* & à flumine *Suevo*, ſive *Spreâ* in *Luſatiâ*; jámque ſub uno Rege, dicto ERMERICO, coaluerant, qui brevi poſt eos in *Galliam* induxit. Etiam *Vandali*, & *Alani* circa hoc tempus ſeſe in *Noricum* diffundere potuerunt. Præterea ULDINUS, cum ingenti *Hunnorum* turbâ, Danubium tranſiit, circa tempus, quo in exilium CHRYSOSTOMUS miſſus eſt, ſcilicet A. C. 404, & *Thraciam* ac *Mœſiam* vaſtavit. RADAGAISUS, Rex *Gruthunnorum* VINITARIque ſucceſſor, pluribus Barbaris ad tranſeundum Danubium invitatis, *Italiam* invaſit cum exercitu plus ducentorum millium *Gothorum*; uno tamen vel altero anno, nempe C. 404 vel 406, victus à STILICONE, cum exercitu periit. Hoc in bello adjutus eſt STILICO ingenti turbâ *Hunnorum* & *Oſtrogothorum*, ductu ULDINI & SARI, quos Imperator HONORIUS mercede conduxerat. Per omnem hanc rerum conturbationem neceſſe fuit *Longobardis* in *Pannoniâ*, in ſui ſe armare defenſionem, ſuámque libertatem aſſerere, non ampliùs valentibus eos defendere *Romanis*.

Jámque STILICO, in animo habens ſe facere Imperatorem, ALARICO præfecturam militarem adquiſivit, eúmque in Orientem

(*a*) De bello *Getico* v. 363.

Digitized by Google

CAP. V. misit rebus pro HONORIO, Occidentis Imperatore, gerendis; copiis quibusdam *Romanis* ipsius ductui permissis, qui exercitum ejus è *Gothis* corroborarent, promisso etiam se cum suo exercitu brevi post sequuturum. Præ se ferebat recuperandas esse quasdam plagas *Illyrici*, quas Imperator Orientis accusabatur injuriosè detinere, cùm Occidentis Imperatoris essent ditiones; erat autem occultus ejus scopus se ipsum Imperatorem facere, *Vandalorum* eorúmque Sociorum auxilio, ipse quippe erat *Vandalus*. Quod ut melius succederet, ingentem invitavit Barbararum Gentium turbam quæ Occidentis Imperium invaderet, dum ipse cum ALARICO adgrederetur Imperium Orientis. Atque hæ Gentes, singulæ sui Regis ductu, *Vandali* duce GODEGESILO, *Alani* duabus turmis, hac GOARO, illâ RESPLENDIALO; *Suevi*, *Quadi*, & *Marcomanni* ERMERICO duce, per *Rhætiam* ad latera usque Rheni penetraverunt, relictis suis in *Pannoniâ* sedibus *Hunnis* & *Ostrogothis*: deinde junxêre sibi *Burgundiones* cum ipsorum duce GUNDICARO, & *Francos* in ulteriori itinere turbavêre. Ultimo Decembris die, A. C. 406 *Moguntiæ* Rhenum transiêre, séque diffudêre in *Germaniâ Primâ* terrísque adjacentibus, atque inter alias res ab illis gestas fuit, quòd *Vandali* ceperunt *Augustam Trevirorum*. Tum progressi sunt in *Belgium*, & devastare eam Regionem occœperunt: Quo facto *Franci Salii* in *Brabantiâ* arma cepêre, & duce THEUDOMIRO, RICHIMERE vel RICHOMERI, de quo supra, filio, tam fortiter *Vandalis* se opposuêre, ut ipsorum viginti ferè millia, cum GODEGESILO Rege, prælio occiderint; ceteris vix evadentibus, quòd in tempore adjuti essent parte *Alanorum*, quos ducebat RESPLENDIALUS.

De Britannis. Tum milites *Britanni*, harum rerum famâ perculsi, rebellârunt, ac sibi Tyrannos illic (*a*) præposuerunt. Primùm MARCUM, quem protinus obtruncârunt; dein GRATIANUM, quem occiderunt nondum quatuor elapsis mensibus; denique CONSTANTINUM, cujus auspiciis *Galliam* invasêre, A. C. 408, à GOARO & GUNDICARO adjuti. CONSTANTINUS, magnâ *Galliæ* parte in potestatem redactâ, filium suum CONSTANTEM Cæsarem creavit

(*a*) [*Libere*, non addit ubi: videtur vellè *in patriâ*.]

Digitized by Google

creavit, eúmque in *Hiſpaniam* miſit ad res illic ordinandas, A. C. 409. *Pedes Imaginis.*

Interea RESPLENDIALUS, intellectâ calamitate, quam diximus *Vandalorum*, nec non GOARUM ad *Romanos* tranſiiſſe, exercitum ſuum à Rheno abduxit; ac, ſimul cum *Suevis*, reliquíſque *Vandalis*, *Hiſpaniam* petiit; dum *Franci* interim eò ſuam proſequerentur victoriam, ut Auguſtam Trevirorum reciperent, quam mox direptam *Romanis* reliquerunt. Barbari primùm *Pyrenæis* montibus fuêre retenti, quæ ipſis cauſa fuit ſeſe diffundendi per *Aquitaniam*: Proximo autem anno, proditione à quibuſdam militibus CONSTANTIS factâ, ipſis via, quâ montes illi ſuperandi eſſent, innotuit, quâ *Hiſpaniam* ingreſſi 4 Kal. Oct. A. C. 409, unuſquiſque ex his populis, quæcumque potuit, expugnavit; ac tandem, A. C. 411, omnes, quæ ceperant, ſorte inter ſe diviſerunt; *Vandalis Batica* & pars *Gallæcia*; *Suevis*, quod *Gallæcia* erat reliquum, *Alanis Luſitania* & *Carthaginienſis provincia* obtigit: Imperatore, pacis cauſâ, donatione ſingulos iis in ſedibus ſtabiliente, A. C. 413.

Franci Romani, de quibus dictum, creato ſibi Rege THEUDOMIRO protinus à devictis *Vandalis* etiam ſuos vicinos invadere occœperunt. Primos adorti ſunt *Gallos Brabantes* (*a*): fortiter autem ab his repulſi, ipſorum amicitiam flagitârunt: Atque ita hi *Galli* à *Romanis* deſcivêre, conjunctiſſimúmque cum *Francis* ferière fœdus, ut velut una cum ipſis eſſent Gens, connubia inter ſe contrahentes & invicem ſe alterius accommodantes moribus, donec una Gens facti ſint abſque ullo diſcrimine. Eâ ratione, his *Gallis*, aliiſque etiam ipſis accedentibus, qui poſtea Rhenum tranſierant, *Francis*, *Saliorum* Imperium brevi tempore ingens & potentiſſimum evaſit. *De Francis Romanis.*

Expeditio STILICONIS in *Græcum* Imperatorem juſſu HONORII repreſſa eſt; & tum ALARICUS ex *Epiro* in *Noricum* venit ac pecuniæ ſummam, pro eo, quod præſtiterat, officio, flagitavit. Inclinabat Senatûs ſententia ad ipſi eam denegandum, interceſſione autem STILICONIS factum eſt, ut concederetur. Paulò *Stiliconis mores, &c.*

(*a*) *Galli arborici* his nomen erat, unde regio dicta fuit *Arboricbant* & contractè *Brabant*.

Digitized by Google

CAP. V. autem pòst, accusato nefandæ cum ALARICO conspirationis STILICONE, & occiso 10 Kal. Sept. A. C. 408, ALARICUS promissâ pecuniâ excidit, ac hostis Imperii judicatus est. Tum protinus in *Italiam* irrupit cum eo, quem ex *Epiro* adduxerat, exercitu, fratrémque ADOLPHUM in auxilium arcessivit, qui sequeretur cum turmis, quas habebat in *Pannoniâ*, non magnis quidem, attamen nec contemnendis. Quæ cùm ita se haberent, HONORIUS, veritus ne Româ includeretur, Ravennam se recepit mense Octobri A. C. 408, atque ex eo Ravenna mansit sedes Imperatorum Occidentis. Hisce etiam temporibus *Hunni* invaserunt *Pannoniam*; desertísque à *Vandalis*, *Alanis*, & *Gothis*, sedibus occupatis, novum ibi Regnum condidêre. ALARICUS Romam progressus, eam urbem obsedit ac nono Kal. Sept. A. C. 410, cepit: postea autem in *Africam* trajicere tentans naufragium passus est. Postmodùm HONORIUS cum ipso pacem fecit, collegitque exercitum, quem in CONSTANTINUM Tyrannum mitteret.

Barbarorum historiæ continuatio.

Eodem tempore GERONTIUS, unus è Præfectis CONSTANTINI, ab eo defecit, atque Imperatorem in *Hispaniâ* creavit MAXIMUM. Quo facto CONSTANTINUS EDOBECUM, alium ex suis Principibus, misit qui in auxilium adduceret Barbaros, queis duces erant GOARUS & GUNDICARUS in *Galliâ*, nec non *Francorum Alemanorúmque* è terris transrhenanis subsidia, commisitque porrò *Viennæ*, urbis in *Narbonensi Galliâ*, custodiam, filio CONSTANTI. Progressus GERONTIUS primùm Viennæ CONSTANTEM interfecit, & tum cœpit *Arelate* obsidere CONSTANTINUM. Misso autem eodem tempore ab HONORIO CONSTANTIO cum exercitu

(a) [Videtur Nostro, hæc dum notaret, quarta hujus urbis expugnatio menti obversata fuisse, quæ satis esset nota. Eorum verò temporum Historici non ita rem hanc illustrant, ut ex iis certa ejus notitia hauriri possit. *Salvianus* tamen (quem, licèt ad finem usque Sæculi quinti vixerit, suos *de Gubernatione Dei* libros procul dubio quidem post A. C. 439, verùm ante annum 451 scripsisse probat Cl. *de Bos*, *Hist. Crit. de l'Etabl. de la Monarchie Franç.* Tom. I. p. 481,) expresse, & sæpius quidem, expugnationis quadrifariæ mentionem facit; à quibus autem populis non addit, tantùm quartâ omninò prostratam fuisse urbem testatur: vide eum, *de Gubern. Dei*, pp. 113, 122, 125 & 126, *Ed. Brem. Vandalos* eam urbem cepisse non memorant Historici. *Francos* eam *secundâ irruptione cepisse atque incen-*

citu eumdem in finem, fugit GERONTIUS, atque obsidionem continuavit CONSTANTIUS, maximâ parte militum GERONTII, quæ ad eum accesserat, adjutus. Post quatuor mensium obsidionem, procurato ab EDOBECO auxilio, Reges Barbari Moguntiæ, GOARUS & GUNDICARUS, Imperatorem creant JOVINUM, cúmque eo ad liberandum Arelatum proficiscuntur. Accedentibus iis se recipit CONSTANTIUS, ipsis insequentibus, at ille, inopinatò eos adortus, vicit: cùm autem victoriam non prosequeretur, brevi recollegêre copias Barbari; non ita tamen, quin caderent Tyranni CONSTANTINUS, & JOVINUS, & MAXIMUS. *Britannia* numquam ad Imperium reduci potuit, verùm ex eo tempore in perpetuum singulare Regnum mansit. *Pedes Imaginis.*

Proximo anno, A. C. 412, *Visigothis* in *Italiâ* devictis *Aquitaniâ*, quò se reciperent, concessa est. Eam illi ingenti ferociâ invaserunt, ita ut *Alanos* & *Burgundiones*, qui tum eam depopulabantur, fugere coegerint. Eodem tempore *Burgundiones* ad pacem sunt adacti, issque concessit Imperator possessionem hæreditariam Regionis cujusdam ad Rhenum, quam invaserant: atque eâdem, ut suspicor, ratione egit cum *Alanis*. *Francis* autem non diu post recipientibus atque incendentibus Augustam Trevirorum, missus est in eos A. C. 415 cum exercitu CASTINUS, qui ipsos fudit, eorúmque Regem THEUDOMIRUM occidit. Altera hæc fuit ejus urbis à *Francis* expugnatio. Quater itaque ea fuit capta, semel à *Vandalis*, ter à *Francis* (*a*). THEUDOMIRO successit PHARAMUNDUS, *Saliorum Francorum* in *Germaniâ* Princeps, sive Rex. Hic novas inde copias eduxit, omnibus *Francis* imperavit, ejúsque populo concessæ fuêre sedes in Imperio *Romano* prope Rhenum.

Jámque

incendisse refert ex *Frigerido Gregorius Turonensis*, *Hist. libr. II. cap.* 9. Supra laudatus *du Bos*, accuratissimus harum antiquitatum investigator, primam ponit anno 411, alteram anno 413, *Castini* in eos expeditionem 417, 418, vel 419. Vid. libr. laud. p. 324. 340: *Theudomirum* verò à *Castino* occisum non docet. Vide tamen & Nostrum p. 38. Hic fortasse *quartâ* expugnatione eum intelligit de quâ p. 37. ex *Labbei Bibl. M. S. Meroveus* enim regnabat quo tempore *Salvianum* scripsisse, ex laudato *du Bos*, retulimus. Minus rectè, saltem, Vir hic Doctiss. tertiam expugnationem Trevirorum à *Francis* ad A. 462 refert, (Tom. II. p. 122.) cùm *Salvianus* eò, juxta ipsum, respicere non potuerit.]

CAP. V. Jámque pacati erant omnes Barbari, atque in variis ſtabiliti Regnis in Imperio *Romano*, non in iis ſolùm, quæ expugnaverant, ſed & in iis, quæ poſſidebant Imperatoris HONORII donationibus. RUTILIUS enim, in ſuo Itinerario, quod ſcripſit autumno Anni Urbis 1169, id eſt, ex ſupputatione VARRONIS, quæ tum in uſu erat, anno qui eſt à C. 416, ita deplorat vaſtatos agros (*a*):

Illa quidem longis nimium deformia bellis;

Et tum addit (*b*):

Jam tempus laceris poſt longa incendia fundis
Vel paſtorales adificare caſas.

Et paulo poſt (*c*):

Æternùm tibi Rhenus aret. ———

OROSIUS quoque, in fine ſuæ Hiſtoriæ, cui finis impoſitus A.C. 417, hoc tempore generalem cum barbaris Gentibus pacificationem innuit verbis *comprimere*, *coanguſtare*, *addicere Gentes immaniſſimas*; vocans eas *Imperio addictas*, propterea quòd fœdere & pacto ſedes in Imperio obtinuerant; & *coanguſtatas*, quia non amplius quaſcumque liberet Regiones invadebant, ſed, ex eodem pacto, quieti in ſedibus, tum temporis ipſis conceſſis, manebant. Atque hæc ſunt, Regna, ex quibus olim conſtabant pedes Imaginis, quæque ferro & luto repræſentabantur inter ſe mixtis, quæ ſecum mutuò non cohærebant, erántque roboris diverſi.

CAPUT

(*a*) [ℵ. 21.
(*b*) 29, 30.
(*c*) 145. adde duos proximè præcedentes:
Ditia pacatæ dent veſtigalia terræ,
Impleat Auguſtos barbara præda ſinus.]

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De decem Regnis, decem quarta Beſtiæ cornibus, repræſentatis.

JAm verò illis, quæ ſupra deſcripſimus, bellis, *Romanorum* in Occidente Imperium, eo tempore, quo à *Gothis* Roma obſeſſa fuit & capta, in decem Regna ſequentia diffractum eſt. Imperium Romanum in decem regna diſtractum.

1. Regnum *Vandalorum Alanorúm*que in *Hiſpaniâ* & *Africâ*.
2. Regnum *Suevorum* in *Hiſpaniâ*.
3. Regnum *Viſigothorum*.
4. Regnum *Alanorum* in *Galliâ*.
5. Regnum *Burgundionum*.
6. Regnum *Francorum*.
7. Regnum *Britannorum*.
8. Regnum *Hunnorum*.
9. Regnum *Longobardorum*.
10. Regnum *Ravennæ*.

Et hiſce Regnis ſeptem ita occurrunt apud SIGONIUM: HONORIO[1], inquit, *regnante, in Pannoniam Hunni*[2], *in Hiſpaniam Vandali*[3], *Alani*[4], *Guevi*[5], *& Gothi*[6], *in Galliam Alani*[4], *Burgundiones & Gothi*[6], *certis ſedibus permiſſis, accepti.* Adde *Francos*[7], *Britannos, & Longobardos*, & habebis decem: Hæc enim Regna eodem ferè, quo ſeptem illa, tempore ſunt exorta. Verùm ſingulatim ea contemplemur.

1. *Vandalorum* Reges fuêre A. C. 407 GODEGESILUS, 407 GUNDERICUS, 426 GEISERICUS, 477 HUNNERICUS, 484 GUNDEMUNDUS, 496 THRASAMUNDUS, 523 GEISERICUS, 530 GELIMERUS. GODEGESILUS eos in *Galliam* duxit A. C. 406, GUNDERICUS Reges Vandalorum in Galliâ Hiſpaniâ & Africâ, eorúmque

Digitized by Google

CAP. VI. res quædam gestæ.

in *Hispaniam* A. C. 409, GEISERICUS in *Africam* A. C. 427 & GELIMERUS à BELISARIO superatus est A. C. 533 Regnum ipsorum in *Galliâ*, *Hispania*, & *Africâ* simul 126 annos duravit; & in *Africâ* quidem fuêre valdè potentes. *Alanis* tantùm duo Reges proprii in *Hispaniâ* fuêre, RESPLENDIALUS & ATACES, UTACUS, sive OTHACAR. Regnante RESPLENDIALO profecti sunt in *Galliam*, A. C. 307, & in *Hispaniam* A. C. 469. ATACES cum omni ferè suo exercitu occisus est à VALLIA Rege *Visigothorum*, A. C. 419, & tum horum *Alanorum* reliquiæ sese dediderunt GUNDERICO, *Vandalorum* in *Bæticâ* Regi, ac postea cum ipsis in *Africam* trajecerunt, ut ex PROCOPIO intelligo. Hinc *Vandalorum* Reges sese Reges *Vandalorum* atque *Alanorum* dixerunt; ut videre est in Edicto HUNNERICI, quod habet VICTOR in persecutione *Vandalicâ*. Cum *Chattis* conjuncti hi *Alani Cathalaunia*, sive *Catth-Alania* nomen Provinciæ, adhuc usque diem sic nuncupatæ, indidêre. Inter hos *Alanos* etiam fuêre quidam *Gepides*; unde patet *Gepides* in *Pannoniam* venisse priusquam illam Regionem *Alani* relinquerent. Ibi illi in potestatem venêre *Hunnorum* usque ad mortem ATTILÆ, quæ contigit A. C. 454; ac tandem subacti sunt ab *Ostrogothis*.

Reges Suevorum eorumdémque res.

2. *Suevorum* Reges fuêre A. C. 407 ERMERICUS, 438 RECHILA, 448 RECHIARIUS, 458 MALDRA, 460 REGISMUNDUS; deinde, post alios quosdam Reges, quorum nomina latent, regnârunt A. C. 558 THEUDOMIRUS, 568 MIRO, 582 EUBORICUS, 583 ANDEGA. Hoc Regnum, postquam semel in *Hispaniâ* sedes fixerat, semper in *Gallaciâ* & *Lusitaniâ* permansit. ERMERICUS id, post casum Regni *Alanorum*, in omnem *Gallaciam* extendit, coactis in *Bæticam* & Provinciam *Carthaginensem* se recipere *Vandalis*. Regnum hoc, secundùm ISIDORUM, duravit annos 177, & tum subactum est à LEOVIGILDO Rege *Visigothorum*, & Regni, cui is imperabat, provincia factum A. C. 585.

Reges Visigothorum, eo-

3. Reges *Visigothorum* fuerunt A. C. 400 ALARICUS, 410 ATHAULPHUS, 415 SERGENICUS & VALLIA, 419 THEO-

THEODERICUS, 451 THORISMUNDUS, 452 THEODERICUS, 465 EURICUS, 482 ALARICUS, 505 GENSALARICUS, 526 AMALARICUS, 531 THENDIUS, 548 THENDISCLUS, *&c.* Initium hujus Regni pono ex quo ALARICUS *Thraciam* ac *Græciam* reliquit, Occidentis Imperium invasurus. Sub finem regni ATHAULPHI, *Gothi*, à *Romanis* depressi, tentârunt è *Galliâ* in *Hispaniam* transire. SERGERICUS paucos tantùm dies regnavit. Principio regni VALLIÆ, de novo *Romanos* adorti sunt, ast iterum sunt repulsi, & tum eâ lege fecêre pacem, ut, Imperii vicem suscipientes, Barbara Regna in *Hispaniâ* invaderent, quod & simul cum *Romanis* fecerunt Annis 417 & 418, evertentes *Alanos* & partem *Vandalorum*. Tum plenâ donatione ab Imperatore acceperunt *Aquitaniam*, relictis illi, quæ expugnârant in *Hispaniâ*: Atque hac ratione devictorum *Alanorum* sedes in *Romanorum* potestatem venerunt. Anno 455 THEODERICUS, à *Burgundionibus* adjutus, *Hispaniam* invasit, quæ tum ferè integra *Suevis* erat subdita, & ab his partem ejus cepit. A. C. 506 *Gothi* Galliâ pulsi sunt à *Francis*. A. C. 585 Regnum *Suevorum* expugnârunt atque omnis *Hispaniæ* evasêre Domini. A. C. 713 eos invaserunt *Saraceni*, illi verò lapsu temporis Principatus suos recuperârunt atque inde semper in *Hispaniâ* regnârunt. *Decem cornua.* *rumdémque bella.*

4. *Alanorum* in *Galliâ* Reges fuêre GOARUS, SAMBIDA, EOCHARICUS, SANGIBANUS, BEURGUS *&c.* Sub GOARO invasêre *Galliam* A. C. 407, & sedes ipsis datæ sunt propè Rhenum A. C. 412. Sub SAMBIDA, quem successorem, si non & filium, GOARI tradit BUCHERIUS, dati sunt ipsis ab ÆTIO, Imperatoriæ militiæ Præfecto, agri *Valentiæ*, A. C. 440. Sub EOCHARICO Regionem quamdam rebellantium *Gallorum Arboricorum* occupârunt, quam porrò etiam ipsis concessit ÆTIUS. Hæc Regio ab ipsis nomen accepit *Alenconium*, quasi *Alanorum conventus*. SANGIBANO ipsis imperante, invasit eos regiámque eorum urbem Aureliam obsessit ATTILA, *Hunnorum* Rex, cum vasto quingentorum millium exercitu. ÆTIUS verò & Barbari Reges *Galliæ* ad obsidionem solvendam venerunt, ac *Hunnos* memorabili *Reges Alanorum in Galliâ, & horum gesta.*

CAP. VI. rabili maximè prælio superârunt A. C. 451, *in Campis Catalaunicis*, ita dictis ab hisce *Alanis*, queis mixti erant *Chatti*. Hodie tractus ille vocatur *Campania*, Gallicè *Champagne*. Eo prælio cæsi sunt ab utrâque simul parte centum & sexaginta duo millia hominum. Uno vel altero anno pòst rediit cum immenso exercitu ATTILA ut hoc Regnum subigeret, ast denuò ab incolis, & *Visigothis*, qui se ipsis junxerant, victus est trium dierum continuo prælio, cæde priori ferè æquali. Sub BEURGO, sive BIORGONE, *Galliam* circumquaque infestârunt, donec regnaret Imperator MAXIMUS; Tum hieme Alpes sunt transgressi ac venerunt in *Liguriam*: victi autem sunt, eorúmque Rex BEURGUS occisus à RICIMERO, qui Imperatoris copias ducebat, A. C. 404. Postea iterum sunt victi junctis viribus ODOACRI, Regis *Italiæ* & CHILDERICI Regis *Francorum*, circa annum 480, atque iterum à THEUDOBERTO, *Austriacorum Francorum* Rege circa annum 511.

Burgundionum Reges, & res quædam gestæ.

5. *Burgundionum* Reges fuêre A. C. 407. GUNDICARUS, 436 GUNDIOCUS, 467 BELIMERUS, 473 GUNDOBALDUS cum fratribus, 510 SIGISMUNDUS, 517 GODOMARUS. Sub GUNDICARO invasêre *Galliam* A. C. 407; ipsísque sedes ab Imperatore datæ sunt propè Rhenum in *Galliâ Belgicâ*, A. C. 412. Erant inter illos *Saxones*, ipsíque jam adeò potentes erant ut OROSIUS A. C. 417 de iis scripserit (*a*): *Burgundionum esse prævalidam* (*b*), *manum Galliæ hodiéque testes sunt, in quibus præsumtâ possessione consistunt.* Circa annum 435 magnis cladibus sunt adfecti ab ÆTIO, nec diu pòst ab *Hunnis*. Quinque verò annis pòst concessa est ipsis *Sabaudia*, quam inter se & priscos incolas dividerent; atque ex eo potens rursus evasit ipsorum Regnum, cui terminus erat flumen *Rhodanus*, postea verò multò ulterius sese extenderunt usque ad *Galliæ* intima. GUNDOBALDUS terras circa Rhodanum & *Ararim* nec non agros *Massilienses* expugnavit; atque *Italiam* invadens, Imperante GLYCERIO, omnes suos fratres devicit. GODOMARUS Aureliam fecit regiam suam sedem; undè Regnum ejus dictum fuit *Regnum Aurelianorum*. Devictus fuit ipse à CLOTHARIO & CHILDEBERTO,

(*a*) Lib. VII. c. 19. (*b*) Addit & *perniciosam*.

Digitized by Google

BERTO, *Francorum* Regibus, A. C. 526. Ex eo Regnum hoc aliquando cum *Francorum* Regno fuit conjunctum, aliquando seorsim ab iis subſtitit uſque ad CAROLI Magni tempora, qui filium ſuum CAROLOTTUM Regem *Burgundiæ* creavit. Inde, trecentos ferè continuos annos proprios Reges habuit; & tum diffractum in Ducatum & Comitatum *Burgundiæ*, & Comitatum *Sabaudiæ*, qui & ipſi poſtea diffracti in alios Comitatus minores. *Decem cornua.*

6. *Francorum* Reges fuêre A. C. 407 THEUDOMIRUS, 417 PHARAMUNDUS, 428 CLODIO, 448 MEROVÆUS, 456 CHILDERICUS, 482 CLODOVÆUS, &c. WINDELINUS & RUCHERIUS, duo ex diligentiſſimis primordiorum hujus Regni inveſtigatoribus, ejus initium ſtatuunt eodem anno, quo Barbari invaſerunt *Galliam*, ſcilicet, A. C. 407. Primorum Regum hæc extat tabula in LABBEI *Bibliothecâ M. S.* Francorum Reges & res geſtæ.

Hiſtorica quædam excerpta ex veteri ſtemmate genealogico Regum Franciæ.

GENOBALDUS, MARCOMERUS, SUNO, THEODEMERIS. *Iſti Duces vel Reguli extiterunt à principio gentis Francorum, diverſis temporibus. Sed incertum reliquerunt Hiſtorici quali ſe procreationis lineâ ſucceſſerunt.*

PHARAMUNDUS; *ſub hoc Rege ſuo primo Franci legibus ſe ſubdunt, quas primores eorum tulerunt* WISOGASTUS, ATROGASTUS, SALEGASTUS.

CHLOCHILO. *Iſte, tranſito Rheno, Romanos in Carbonariâ ſylvâ devicit, Camaracum cepit & obtinuit, annis* 20 *regnavit. Sub hoc Rege Franci uſque Summam progreſſi ſunt.*

MEROVECHUS. *Sub hoc Rege Franci Trevirim deſtruunt, Metin ſuccendunt, uſque Aurelianum perveniunt.*

Jam, quod ad GENOBALDUM, MARCOMERUM & SUNONEM, hi *Francorum Thranſrhenanorum* fuêre Duces Imperante THEODOSIO, nec faciunt ad noſtram rem. Initium nobis faciendum à THEUDOMIRO, primo rebellantium *Saliorum* Rege; quem *Carnotenſis* DIDIONEM, *Rhenanus* THIEDONEM, & Pharamundus non fuit primus eorum Rex.

Digitized by Google

CAP. VI. THENDEMERUM vocat. Extat ejus effigies in aureo nummo qui repertus est cum hac inscriptione, THEUDEMIR REX; ejus typum edidit PETAVIUS; ipse, autem, adhuc exstat, certè non longum est quòd exstitit, ut testatur WINDELINUS: Hinc patet fuisse eum Regem & quidem in *Galliâ*; neque enim rudis *Germania* tùm noverat rationem cudendi nummos, nec etiam vel verbis vel litteris Latinis utebatur. Filius fuit RICIMERI, sive RICHEMERI, qui multùm apud Imperatorem THEODOSIUM gratiâ valuerat; cúmque adeò è *Romanis* esset *Francis*, & regio *Saliorum* sanguine prognatus, hi, rebellantes, eum Regem creavêre. Integrum, quo regnavit, tempus distinctè notatur in *Excerptis* GREGORII *Turonensis è* FREDIGARIO, Cap. 5, 6, 7, 8., ubi ejus electio ut esset Rex, tyrannis JOVINI, cædes hujus sociorum, expugnatio altera Augustæ Trevirorum à *Francis*, eorúmque cum CASTINO bellum, quo hic Rex occisus est, hac ratione, ut rerum quarum altera alteri successerit series, ordine describuntur. *Exstinctis Ducibus in Francis, denuò Reges creantur ex eâdem stirpe quâ prius fuerant. Eodem tempore* JOVINUS *ornatus regios assumpsit.* CONSTANTINUS *fugam versùs Italiam dirigit; missis à* JOVINO *Principe percussoribus super Mentio flumine, capite truncatur. Multi nobilium jussu* JOVINI *apud Avernos capti, & à Ducibus* HONORII *crudeliter interemti sunt. Trevirorum civitas, factione unius ex Senatoribus nomine* LUCII, *à Francis capta & incensa est.* . . . CASTINUS, *domesticorum Comes, expeditionem accipit contra Francos, &c.* Tum reversus ad THEUDOMIRUM, addit: *Franci electum à se Regem, sicut priùs fuerat, crinitum inquirentes diligenter ex genere* PRIAMI, FRIGI *&* FRANCIONIS, *super se creârunt nomine* THEUDEMERUM, *filium* RICHEMERIS, *qui in hoc prælio, quod supra memini, à Romanis interfectus est;* scilicet in prælio cum exercitu CASTINI. De ipsius morte ulteriorem hanc mentionem facit GREGORIUS *Turonensis In consularibus legimus* THEUDEMERUM, *Regem Francorum, Filium* RICIMERIS *quondam, &* ASCILAM *matrem ejus gladio interfectos.*

Ob hanc *Romanorum* victoriam *Franci* & rebellantes *Galli*, qui THEUDOMIRI tempore inter se bellum gerebant, sese conjunxerunt,

Digitized by Google

xerunt, quo validiores evaderent, ut hoc modo narrat ORDERICUS *Vitalis* (a): *Cùm Galli priùs contra Romanos rebellâſſent, Franci iis ſociati ſunt, & pariter juncti*, FERRAMUNDUM, SUNONIS *Ducis filium, ſibi Regem præfecerunt.* PROSPER notat tempus, *anno*, inquit, HONORII 25, PHARAMUNDUS *regnat in Franciâ.* Hoc, ut rectè obſervat BUCHERIUS, referendum ad finem Anni 416, vel ſequentis initium, (annis HONORII à VALENTINIANI morte numeratis,) & rectè porrò infert hoc tempore PHARAMUNDUM non ſolùm electione *Francorum* fuiſſe Regem, ſed & conſentiente HONORIO regium diadema capiti ipſius fuiſſe impoſitum, ipſíque fœdere fuiſſe adſignatam partem *Galliæ.* Atque hæc fuerit cauſa, quòd *Romani* ſcriptores ipſum cenſuerint primum fuiſſe Regem: quod aliqui non intelligentes, eum hujus Regni Conditorem crediderunt, atque illud condidiſſe exercitu *Francorum*, qui trans Rhenum habitaverant. Fieri potuit eum ejuſmodi cum exercitu veniſſe, quòd autem THEUDOMIRO ſucceſſit, jure conſanguinitatis fuit & conſenſu populi. Supra enim citatus è FREDIGARIO locus, *Exſtinctis Ducibus in Francis, denuò Reges creantur ex eâdem ſtirpe quâ prius fuerant*, involvit regiam dignitatem manſiſſe in hac recèns electâ familiâ per Regnum plurium numero Regum. Quòd ſi annos HONORII à patris ipſius morte numerare incipias, initium Regni PHARAMUNDI duobus annis ſerius fuerit quàm ſtatuit BUCHERIUS. Legum *Salicarum* hujus Regno latarum, quæque etiamnùm exſtant, nomen, argumento eſt *Saliorum* fuiſſe Regnum cui imperavit; Mulctæ porrò pecuniariæ, in illis ſtatutæ, probant locum, in quo regnavit, pecuniâ valdè abundâſſe, adeóque fuiſſe in ipſo *Romano* Imperio, ignorante pecuniæ uſum rudi *Germaniâ* donec cum *Romanis* ejus incolæ miſcerentur. Tum & in earumdem Legum præfatione, brevi poſt *Francorum* converſionem ad fidem Chriſtianam, id eſt, in fine regni MEROVÆI, vel brevi pòſt, ſcriptâ, iiſque præfixa, hujus Regni origo hiſce verbis deſcribitur: *Hac enim Gens, quæ, fortis dum eſſet & robore valida, Romanorum jugum duriſſimum de ſuis cervicibus excuſſit pugnando, &c.* Conditum, itaque, hoc: Regnum

Decem Cornua

(a) Apud *Bucherium*, li 14. c. 9. n. 8.

Digitized by Google

CAP. VI. Regnum fuit, non invasione, sed rebellione, ut supra descripsimus. PROSPER, Reges hujus Gentis ordine referens, hæc habet, PHARAMUNDUS *regnat in Franciâ*; CLODIO *regnat in Franciâ*; MEROVÆUS *regnat in Franciâ*: & quis sibi persuadeat omnibus hisce locis non unam eamdémque *Franciam* intelligi? Atqui certum est *Franciam* MEROVÆI, in *Galliâ* fuisse.

Quo sensu tamen res ita accidisse potuerit.

Fieri nihilominus potuit, cùm PHARAMUNDI pater Rex fuerit turbæ cujusdam *Francorum* in *Germaniâ*, Imperante, ut dictum est, THEODOSIO; ut & ipse PHARAMUNDUS eorundem in *Germaniâ Francorum* Rex fuerit priusquam THEUDOMIRO succederet in Regno *Saliorum* intra cancellos Imperii, imò antequam THEUDOMIRUS regnare cœperat; nempe anno primo HONORII, vel cùm illi *Franci*, à STILICONE repulsi, Reges suos MARCOMERUM & SUNONEM, quorum alter (*a*) PHARAMUNDI pater fuit, amiserunt: Potuerúntque *Franci Romani*, post THEUDOMIRI mortem, PHARAMUNDUM cum suo populo è terris *Transrhenanis* invitâsse. Sed non habenda nobis ratio Regni PHARAMUNDI in *Germaniâ*: Regni *Francorum* initium computandum est ab ejus ortu in Imperio *Romano*, & considerandum, ut aliorum è *Transrhenanis* terris *Francorum* accessione confirmatum, sive ea contigerit hoc Rege, sive ejus successore CLODIO regnante. Postremo enim Regni PHARAMUNDI in *Galliâ* anno, partem eorum, quæ is in *Galliâ* possidebat ipsi ÆTIUS eripuit: successor autem ejus CLODIO, (quem FREDIGARIUS quasi filium THEUDOMIRI repræsentat, alii CLOGIONEM, CLOIONEM & CLAUDIUM vocant,) ingenti *Francorum* è *Transrhenanis* terris invitato numero, omnia recepit, & victorias suas produxit usque ad flumen *Samaram* sive *Somonam*. Tum illi *Franci* subactis cum ipso divisis terris, nova quædam condidêre Regna *Coloniæ*, *Cameraci*, aliisque in urbibus: quæ omnia postmodum subegit CLODOVÆUS, qui & *Gothos Galliâ* expulit ac regiam sedem posuit *Lutetiæ Parisiorum*, ubi ad hunc usque diem ea manet. Atque hæc fuit origo Regni, quod nunc est, *Franciæ*.

7. Reges

(*a*) [*One of which* : Scilicet p. 25. *Marcomiri* filium dixit, & modò *Ordericum Vitalem* citavit, *Sunonis filium* vocantem. Plerique *Marcomiri* filium nuncupant.]

Digitized by Google

7. Reges *Britanniæ* fuêre A. C. 407 vel 408, MARCUS, GRATIANUS, CONSTANTINUS, unus post alterum. A. C. 425 VORTIGERNUS, 466 AURELIUS AMBROSIUS, 498 UTHER PENDRACO, 508 ARTHUR, 542 CONSTANTINUS, 545 AURELIUS CUNANUS, 578 VORTIPOREUS, 581 MALGO, 586 CÆRETICUS, 613 CADWANUS, 635 CADWALINUS, 676 CADWALLADERUS. Tres priores erant Tyranni *Romani* qui ab Imperio defecerant. OROSIUS, PROSPER, & ZOSIMUS defectionem eorum subjungunt irruptionibus Barbarorum in *Galliam*, ut quæ has sequuta sit. PROSPER, cum quo consentit ZOSIMUS, eo illam anno statuit, qui proximo ab istâ irruptione die incepit. Ipsum tempus ita colligo accuratiùs: MARCUS non multos dies regnavit, GRATIANUS quatuor menses, CONSTANTINUS tres annos. Hic occisus est anno post captam (ab ALARICO) *Romam*, id est A. C. 411, 14. Kal. Octob. Contigit itaque defectio, Vere A. C. 408. SOZOMENUS (*a*) CONSTANTINI expeditionem in *Galliam* tempore æqualem facit morti ARCADII vel temporibus hanc brevi sequutis; ARCADIUS autem mortuus est A. C. 408, Maji primo. Quamvis, jam, hi Tyranni per breve tantùm regnârint tempus, initium tamen dederunt Regno *Britanniæ*, atque idcirco tres priores Reges possunt haberi, præsertim, cùm CONSTANTINI posteri, AURELIUS AMBROSIUS, & UTHER PENDRACO ejus filii & ARTHUR ejus nepos, postea regnârint. Ab horum enim Regum defectione *Britannia* separatum mansit Regnum, Imperii *Romani* jugo solutum, cùm non posset carere Imperator, quos mitteret ad recuperandam eam retinendámque Insulam, militibus, ideóque illam non curaret. Hæc discimus è commentariis, quorum fides in dubium nequeat revocari. Sic enim PROSPER, A. C. 410: VARIANUS *Cos. Hac tempestate, præ valetudine Romanorum, vires funditùs attenuatæ Britanniæ.* Et SIGEBERTUS, hæc cum obsidione urbis Romæ conjungens: *Britannorum*, inquit, *vires attenuatæ, & substrahunt se à Romanorum dominatione.* ZOSIMUS

Decem Cornua. Reges & res Britannorum.

(*a*) (Hist. Eccl. Libr. IX. Cap. 4.)

Digitized by Google

CAP. VI. verò ita ſcribit, Libro VI. *Invadentes omnes terras Transrhenani Barbari, incolas Britanniæ Inſulæ, nec non Celtica quaſdam Gentes, eò adduxerunt ut à Romano Imperio deficerent; jámque non diutiùs Romanis legibus obtemperantes, καθ' ἑαυτὸν βιατεύειν, ſeparatis corporibus pro lubitu vixerunt. Britones igitur, arma capientes, propriámque ſuo periculo tentantes ſalutem, ab imminentibus Barbaris ſuas urbes immunes præſtitêre. Eodem modo etiam omnis Brabantia, aliæque quædam Gallorum Provinciæ, Britones imitatæ, ſe ipſas in libertatem aſſeruêre, pulſis Procuratoribus Romanis, ac Reipublicæ quâdam inter ſe pro lubitu conſtitutâ formâ. Hæc Britanniæ ac Celticarum Gentium rebellio contigit cùm Regnum occuparet* CONSTANTINUS. Ita & PROCOPIUS, Libr. I. Vandal. de eodem CONSTANTINO loquens: CONSTANTINUS, inquit, *prælio victus, cum liberis interfectus eſt*: βρετλανίαν μὲν τοι Ῥωμαῖοι ἀπαθάσθαι οὐκέτι ἴσχυσαν, ἀλλ' ὅσα ὑπὸ τυράννοις ἀπ' αὐτοῦ ἔμενε. *Attamen Romani non amplius Britanniam recuperare potuêre, ſed illa ex eo tempore ſub Tyrannis manſit.* Tum & BEDA Lib. I. C. 11: *Fracta eſt Roma à Gothis Anno* 1164 *ſuæ conditionis*; *Ex quo tempore Romani in Britanniâ regnare ceſſaverunt.* Nec non ETELWALDUS: *A tempore Romæ à Gothis expugnatæ, ceſſavit Imperium Romanorum à Britanniâ Inſulâ & ab aliis, quas ſub jugo ſervitutis tenebant, multis terris.* Denique THEODORETUS, *Serm. 9. de curand. Græc. affect.* circa annum 424 *Britones* in Gentibus non tum Romano Imperio ſubjectis numerat. Ita SIGONIUS, ad annum 411: *Imperium Romanum poſt exceſſum* CONSTANTINI *in Britanniâ nullum fuit.*

Inter CONSTANTINI mortem & regnum VORTIGERNI interregnum annorum ferè 14 interceſſit, quibus bella *Britonibus* fuêre cum *Pictonibus* & *Scotis*, atque illi bis obtinuêre auxilium legionis *Romanæ*, quæ hoſtes expulit, illis verò abſolutè declaravit ſuos non ampliùs venturos. De initio regni VORTIGERNI hæc exſtat commemoratio in Chronico veteri apud NENNIUM, quod CAMDENO aliiſque citatur: GUORTIGERNUS *tenuit Imperium in Britanniâ*, THEODOSIO *&* VALENTINIANO *Coſſ.* A. ſc. C. 425 *& in quarto anno Regni ſui Saxones ad Britanniam venerunt*,

FE-

Digitized by Google

FELICE & TAURO *Coss.* scilicet A. C. 428. Hunc *Saxonum* adventum SIGEBERTUS refert ad annum quartum VALENTINIANI, qui est idem cum anno C. 428, quem illi Chronicon citatum adsignat: duobus verò pòst annis *Saxones* simul & *Pictones* à *Britonibus* fuêre victi. Postmodùm, imperante MARTIANO, id est, annum inter 450 & 456, advocati à *Britonibus* fuêre *Saxones* sub HENGISTO, sex autem pòst annis ab iis defecerunt, ipsis bellum intulerunt, idque vario gesserunt marte; denique gradatim iis successerunt. *Britones* tamen Regnum florens mansêre donec ipsis regnaret CÆRETICUS; & bellum inter duas hasce Gentes duravit usque ad Pontificatum SERGII, A. C. 688. *Decem Cornua.*

8. *Hunnorum* Reges fuêre A. C. 406 OCTAR & RUGILA, 433 BLEDA & ATTILA. OCTAR & RUGILA fratres erant MUNZUCI, *Hunnorum* in *Gothiâ* ultra Danubium Regis; BLEDA & ATTILA ipsius erant filii, MUNZUCUS autem filius BALAMIRI. Duo priores, ut Auctor est JORNANDES, *Hunnorum* fuêre Reges, non autem omnium, iisque duo posteriores successerunt. *Hunnorum* in *Pannoniâ* Regnum ego computo ex quo ipsis *Vandali Alani*que eam Regionem reliquerunt, A. C. 407, SIGONIUS ex quo inde abierunt *Visigothi*, A. C. 438. *Constat*, ait ille, *quòd Gothis ex Illyrico profectis Hunni successerunt, atque imprimis Pannoniam tenuerunt. Neque enim* HONORIUS, *viribus ad resistendum in tantis difficultatibus destitutus, prorsus eos prohibere potuit, sed meliore consilio, animo ad pacem converso, fœdus cum eis, datis acceptisque obsidibus, fecit; ex quibus qui dati sunt,* ÆTIUS, *qui &* ALARICO *tributus fuerat, præcipuè memoratur.* Quomodo ÆTIUS *Gothis & Hunnis* obsessus fuerit, narrat FRIGERIDUS, qui, cùm retulisset THEODOSIUM, Orientis Imperatorem, dura misisse mandata JOANNI, qui post HONORII mortem Imperium Occidentis occupârat, addit: *Iis permotus* JOANNES, ÆTIUM *id tempus curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere ad Chunnos transmisit, notos sibi obsidiatûs sui tempore, & familiari amicitiâ devinctos.* ——— Et paulo pòst: ÆTIUS *tribus annis* ALARICI *obses, deinde Chunnorum, postea* CARPILIONIS *gener ex Comite Domesticorum* Hunnorum Reges & Historia.

Digitized by Google

CAP. VI. & JOANNIS *Curopolatæ* (*a*). Jam, ostendit BUCHERIUS ÆTIUM fuisse obsidem ALARICO ad annum usque 410, quo hic mortuus est; & *Hunnis* inter annos 411 & 415, & CARPILIONIS generum circa annum 417 vel 418, & Curopalatem JOANNI circa finem anni 423: undè verosimile est eum datum fuisse obsidem *Hunnis* circa annum 412 vel 413, quo HONORIUS cum omnibus ferè Gentibus barbaris fœdera junxit iisque concessit sedes. Potiùs autem cum SIGONIO dixerim, ÆTIUM ALARICO datum fuisse obsidem A. C. 403. Porrò ex PROSPERO manifestum est, *Hunnos* quietè possedisse *Pannoniam* anno 432. Hic enim, primo *Eusebiani* Chronici libro, ita scribit: *Anno decimo post obitum* HONORII, *cùm ad Chunnorum Gentem, cui tunc* RUGILA *prærat, post prælium cum* BONIFACIO *se* ÆTIUS *contulisset, impetrato auxilio ad Romanorum solum regreditur.* Et libro secundo: ÆTIO & VALERIO *Coss.* ÆTIUS, *depositâ potestate, profugus ad Hunnos, Pannonias pervenit; quorum amicitiâ auxilioque usus, pacem principum & jus interpellatæ potestatis obtinuit.* Hinc patet eo tempore RUGILAM, sive, ut eum vocat MAXIMUS, RECHILLAM, *Hunnorum* fuisse Regem in *Pannoniâ*; nec jam in Imperii solo quidem *Pannoniam* fuisse habitam, quippe quæ antea *Hunnis* donata erat; & hos eumdem fuisse populum *Hunnorum*, cum quo, dum illi obses fuit, amiciam contraxerat ÆTIUS: cujus amicitiæ gratiâ, ut antea ipsos ad auxilium JOANNI Tyranno ferendum sollicitaverat, A. C. 424, ita nunc ipsorum pro se apud Imperatorem intercessionem comparavit. OCTAR mortuus est A. C. 430; narrat enim SOCRATES (*b*), circa illud tempus *Burgundiones*, cùm denuò ab *Hunnis* vexarentur, ubi mortuum esse OCTARUM intellexerunt, videntes eos absque Duce, tantâ subitò vi illos adortos fuisse, ut 3000 *Burgundiones* 10000 *Hunnorum* occiderint. RUGILAM hoc tempore Regem fuisse in *Pannoniâ* jam dictum. Mortuus est is A. C. 433, eique successit BLEDA, ut nos docent PROSPER & MAXIMUS. Hic BLEDA ejúsque frater

(*a*) (Videtur legendum *Curopalatâ* vel *Curopalatæ*.
(*b*) (Hist. Eccl. Libr. VII. Cap. 30.)

Digitized by Google

frater ATTILA ante hæc Reges erant *Hunnorum* ultra Danubium, diviso inter ipsos MUNZUCI patris Regno; & hi jam Regnum *Pannoniæ*, suo junxerunt: undè dixit PAULUS *Diaconus* eos *Regnum intra Pannoniam Daciámque gessisse*. Anno 441 de novo invadere *Romanum* Imperium occœperunt, additis *Pannonicis* copiis novis magnísque excercitibus è *Scythiâ*. Hoc autem bello protinus compositò, ATTILA, BLEDAM ad pacem inclinatum videns, ipsum occidit A. C. 444, & hæreditario jure ejus Principatus excepit ac denuò *Romanum* Imperium invasit. Denique, pòst varia ingentia bella cum *Romanis*, periit ATTILA A. C. 454; ejúsque filii, de Principatibus ipsius contendentes, *Gepidibus*, *Ostrogothis*, aliísque Gentibus sibi subditis, rebellandi ac sibi bellum inferendi occasionem præbuerunt. Eodem anno *Ostrogothis* sedes in *Pannoniâ* concessæ fuêre ab Imperatoribus MARCIANO & VALENTINIANO; atque illi cum *Romanis Pannoniâ Hunnos* ejecêre, brevi post mortem ATTILÆ, ut omnes Historici consentiunt. Hæc ejectio contigit AVITO imperante, quod notatur in *Chronico Boiorum*, & in SIDONII Carmine 7 in AVITUM, quo hæc de illo Imperatore habentur: *Decem Cornua.*

— cujus solùm amissas post sæcula multa
Pannonias revocavit iter, jam credere promptum est
Quid faciat bellis. ———

Hoc vult Poëta, veniente AVITO faciliùs *Hunnos Gothis* cessisse. Scripsit hoc ille principio imperii AVITI: incepit autem hoc in fine anni 445, nec integrum duravit annum.

Scribit JORNANDES (*a*). *Duodecimo anno regni* VALIÆ *quando & Hunni post penè quinquaginta annos invasâ Pannoniâ, à Romanis & Gothis expulsi sunt*, &c., & MARCELLINUS (*b*): HIERIO & ARDABURIO *Coss. Pannoniæ, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptæ sunt*: unde quis existimaret *Hunnos* invasisse & retinuisse *Pannoniam* ab anno 378 vel 379 ad annum 427, & tum eâ fuisse pulsos. Verùm hic manifestus est error: quippe certum

(*a*) Cap. XXXII. (*b*) in Chronico.

CAP. VI. est THEODOSIUM Imperium reliquisse integrum; & è PROSPERO ostendimus *Hunnis* quietam fuisse *Pannoniæ* possessionem anno 432. Nihil hisce temporibus cum *Pannoniâ* fuit *Visigothis*; *Ostrogothi* autem *Hunnis* mansêre subditi ad mortem usque ATTILÆ A. C. 454; & VALLIA, *Visigothorum* Rex, non regnavit duodecim annos. Regnare hic cœpit in fine anni 415, regnavit annos tres, ac A. C. 419 occisus est, ut testantur IDACIUS, ISIDORUS & *Hispanica Chronica MSS*, GROTIO visa. Præterea OLYMPIODORUS, qui Historiam suam non ultra annum 425 extendit, in ea tamen refert mortem VALLIÆ, Regis *Visigothorum*, eámque conjungit cum morte CONSTANTII, quæ contigit A. C. 420. Quapropter VALIA, de quo loquitur JORNANDES, quique minimùm duodecim annos regnavit, alius quidam Rex est. Quinimò suspicor hoc nomen, errore quodam, fuisse positum pro VALAMIRO, *Ostrogothorum* Rege: facinus enim quod ibi narratur, *Romanorum* fuit & *Ostrogothorum*, simul è *Pannoniâ Hunnos* expellentium post mortem ATTILÆ; non autem est verosimile Historicum res gestas *Ostrogothorum* ad annos Regum *Visigothorum* referre voluisse. Contigit ea expulsio in fine anni 455, qui VALAMIRI in *Pannoniâ* duodecimus, ut puto, fuerit, certè quinquagesimus ferè fuit ab anno 406, quo *Vandalis Alanisque* in *Pannoniâ* succesêre *Hunni*. Deficiente stirpe HUNNIMUNDI, filii HERMANERICI, per quadraginta ferè annos continuos *Ostrogothi* sine suæ Gentis Regibus vixêre, *Hunnis* subjecti: cúmque ATTILA bellum *Romanis* inferre occiperet, quod fuit anno 444. (*a*), VALAMIRUM ejúsque fratres THEODOMIRUM & VIDEMIRUM, nepotes VINETHARI, horum *Ostrogothorum* sub se Duces creavit. Duodecimo VALAMIRI anno, inde factâ supputatione, *Pannoniâ Hunni* expulsi sunt.

Non ita tamen hi expulsi, quin ulteriores fuerint ipsis cum *Romanis* contentiones, donec caput DENSIXI, filii ATTILÆ, Constantinopolim deferretur, A. C. 469, ZENONE & MARCIANO Coss. ut refert MARCELLINUS. Neque etiam tum Imperio prorsus ejecti fuêre

(*a*) [Manifesto errore typographico hic legitur in Anglo *Alaric*, quod adeo corrigere haud gravatus sum.]

Digitized by Google

fuêre. Præterquam, enim, quòd ipſorum in *Pannoniâ* reſtiterint reliquiæ, narrat SIGONIUS, MARCIANUM & VALENTINIANUM Imperatores, cùm *Gothis Pannoniam* permitterent, quod anno fuit 454, partem *Illyrici* quibuſdam ex *Hunnis* & *Sarmatis* conceſſiſſe. Tum, & anno 526, cum *Longobardi*, in *Pannoniam* migrantes, bellum ibi *Gepidibus* intuliſſent, *Avares*, (*Hunnorum* pars, quæ nomen ab aliquo ex ſuis Regibus duxerat,) eo bello *Longobardis* auxilio fuerunt; ipſique poſtea *Longobardi*, cùm in *Italiam* deſcenderent, ſuas in *Pannoniâ* ſedes *Avaribus* amicitiæ præmium reliquerunt. Ex eo tempore denuò potentiſſimi evaſêre *Hunni*, multùm infeſtantibus *Romanum* Imperium ipſorum Regibus, (quos *Chaganos* nuncupabant,) MAURITII, PHOCÆ, & HERACLII Imperatorum temporibus. Atque hæc fuit origo Regni, quod nunc eſt, *Hungariæ*, quæ ab *Avaribus* hiſce, aliiſque *Hunnis*, inter ſe mixtis, nomen accepit *Hunavaria*, poſtea contractum in *Hungaria*. *Decem Cornua.*

9. *Longobardis*, priuſquam Danubium tranſirent, duo præerant Duces IBORUS & AYONUS: iis autem mortuis Reges AGILMUNDUS, LAMISSO, LECHUS, HILDEHOCUS, GUDEHOCUS, CLAFFO, TATO, WACHO, GUALTERUS AUDOINUS, ALBOINUS, CLEOPHIS, &c. AGILMUNDUS AYONI erat filius, atque is, teſte PROSPERO ipſorum Rex factus eſt, HONORIO & THEODOSIO Coſſ. A. C. 489. Regnavit annos triginta tres, ut refert PAULUS WARNEFRIDUS, & in prælio cum *Bulgaris* cæſus eſt (*a*). Mortem ejus PROSPER ſtatuit MARINIANO & ASCLEPIODORO Coſſ. A. C 423. LAMISSO *Bulgaros* fugavit, regnavítque annos tres; LECHUS ferè quadraginta. GUDEHOCUS æqualis fuit ODOACRI, *Herulorum* Regis in *Italiâ*, duxítque ſuam Gentem è *Pannoniâ* in *Rugiam*, ad Septentrionem *Norici* proximè ultra Danubium ſitam Regionem, è quâ tum ſuos in *Italiam* ducebat ODOACER. TATO *Herulorum* ultra Danubium Regnum evertit. WACHO devicit *Suevos*, quorum tum Regni ad Orientem *Bavaria*, ad Occidentem *Francia*, ad Meridiem *Burgundiones* erant termini. AUDOINUS in *Pannoniam* reverſus eſt A. C. 526, *Lonogbardorum Reges & fata.*

(*a*) [Libr. I. a XIV. XVI. & ad ſequentia capp. ſeqq.] ibi-

Digitized by Google

CAP. VI. ibique *Gepides* superavit. ALBOINUS A. C. 551 evertit *Gepidum* Regnum, eorúmque Regem CHUNNIMUNDUM interfecit: A. C. 563 *Græco* Imperatori, contra TOTILAM, *Ostrogothorum* in *Italiâ* Regem, auxilium tulit; denique A. C. 568. suam Gentem è *Pannoniâ* in *Longobardiam* duxit, ubi regnavit ea usque ad annum 774.

Secundùm PAULUM *Diaconum*, *Longobardi* cum variis aliis populis *Gothicis* è terris trans Danubium in *Romanum* Imperium venerunt ARCADIO & HONORIO imperantibus, adeóque inter annos C. 395 & 408. Fieri autem potuit ut venerint paulò priùs: docemur namque *Longobardos* sub Ducibus suis IBORO & AYONO, prælio superâsse *Vandalos*; eámque victoriam refert PROSPER ad AUSONII & OLYBRII consulatum, id est, ad A. C. 379. Ante hoc bellum quieti manserant *Vandali* quadraginta annos, sedibus, quas in *Pannoniâ* ipsis jam CONSTANTINUS M. permiserat; adeóque, si iidem hi *Vandali* fuerint, bellum hoc fuerit in *Pannoniâ* necesse est, eíque ansa fuerit data *Longobardorum* trans Danubium in *Pannoniam* adventu, uno vel altero ante bellum anno; atque ita finem illi quieti feciſſe, quæ per quadraginta annos duraverat. Postquam, nempe, pacaverant GRATIANUS & THEODOSIUS Barbaros, hi, vel trans Danubium se recipere potuerunt, vel pacati sub *Romanis* ad mortem usque THEODOSII manere; & tum, vel denuo Imperium *Romanum* invadere, vel omnem ei abjicere obedientiam. E bellis ipsorum, primò cum *Vandalis*, deinde cum *Bulgaris*, Gente *Scythicâ* (ita dictâ à *Volga* flumine, undè venerat) patet etiam illis temporibus non contemnendum ipsorum Regnum fuisse.

De Regno Ravennæ. 10, Dilaceratis novem hisce Regnis, proximè nobis considerandum est quod Imperii Occidentis fuit reliquum. Hoc, dum integrum manebat, ipsa erat bestia; quod autem ejus tandem fuit reliquum, bestiæ tantùm pars est. Quod si jam hæc pars consideretur ut cornu, Regni illius cornu initium computari queat à translatâ Imperii sede Româ Ravennam, quod contigit mense Octobri A. C. 408. Tum, enim, HONORIUS Imperator, veritus ne, si illic maneret, Romæ se obsideret ALARICUS, *Mediolanum* se recepit, atque indè Ravennam: sequuta autem urbis Romæ obsi-

Digitized by Google

obsidio ac direptio sedem ejus illic confirmavit, ita ut ipse ejúsque successores, inde ex eo tempore, fixam habitationem suam Ravennam habuerint (a): itaque & (b) MACHIAVELLUS, in *Historiâ Florentinâ*, scribit VALENTINIANUM, relictâ Româ, sedem Imperii Ravennam transtulisse. Decem Cornua.

Quamdiu Imperium Occidentis stetit, in eorum Imperatorum ditione fuit *Rhætia:* Dein, simul cum *Italiâ* & *Romano* Senatu, in potestatem venit ODOACRI, *Herulorum* in *Italiâ* Regis, & post eum THEODERICI, Regis *Ostrogothorum*, ejúsque successorum, Imperatorum *Græcorum* concessione. Cùm moreretur VALENTINIANUS *II. Alemani* & *Suevi Rhætiam* invaserunt, A. C. 455, non autem invenio fixum aliquod ipsos condidisse Regnum, Anno enim 457, dum adhuc *Rhætiam* depopulabantur, adortus eos est ac vicit BURTO, Magister Equitum MAJORANI Imperatoris; nec amplius eos *Rhætiam* invasisse lego. CLODOVÆUS, *Franciæ* Rex, anno 496; vel circa, Regnum quoddam *Alemannorum* debellavit, eorúmque postremum Regem ERMERICUM occidit: Regnum verò istud situm erat in *Germaniâ* & tantùm *Rhætiæ* contiguum. Quippe ejus incolæ, CLODOVÆUM fugientes, vicinum petierunt Regnum *Ostrogothorum*, quibus tum Rex erat THEODERICUS, qui & amicè eos excepit, & in eorum gratiam benevolas ad CLODOVÆUM litteras dedit. Atque hac ratione illi *Rhætiæ* evaserunt incolæ, ut *Ostrogothorum* dominationi subditi.

Cùm *Græcus* Imperator *Ostrogothos* deviciset, ipsis in Regno Ravennæ succesit, non belli tantùm sed & hæreditatis jure, quandoquidem *Romanus* Senatus etiamnùm hoc Regnum comitabatur. Itaque censere licet continuatum fuisse hoc Regnum Exarchatu Ravennæ & *Romano* Senatu. Quod enim Imperii Occidentis fuit reliquum, *Romanum* Senatum comitatum fuisse statuendum est, propter jus, quod hic Senatus etiam tùm retinebat, & quo tandem usus est, eligendi nempe Imperatorem Occidentis.

Atque ita decem Regna enumeravi, in quæ divisum est Occidentis Imperium, cùm primùm divelleretur in partes; eo, nempe, tempore

(a) *Made it their home.* (b) *Accordingly.*

Digitized by Google

CAP. VI. quo à *Gothis* obſeſſa & capta Roma eſt. Quædam ex hiſce Regnis temporis tractu ceciderunt, & nova exorta ſunt: verùm, quicumque etiam fuerit poſtea ipſorum numerus, nomen adhuc decem Regum à primo ſuo numero obtinent.

CAPUT SEPTIMUM.

De undecimo cornu quartæ beſtiæ apud DANIELEM.

Undecimi cornu quartæ beſtiæ deſcriptio.

JAm DANIEL *conſiderabat cornua, atque, ecce, inter ea aliud cornu enatum eſt, coram quo tria ex prioribus cornibus radicitùs evulſa ſunt; atque, ecce, hoc in cornu oculi, hominis oculis ſimiles, & os loquens grandia* (*a*); *& torvius erat, quàm cetera, adſpectu; & idem Sanctis bellum intulit eóſque ſuperavit* (*b*). Dein ex iis, qui DANIELI adſtabant, eíque rerum harum ſignificationem exponebant, ipſi dixit aliquis *decem cornua eſſe decem Reges exorituros, aliúmque exoriturum poſt ipſos, ab iiſque diverſum futurum ac tres ex iis Reges ſubacturum, & grandia adverſus Altiſſimum loquuturum & Sanctos Altiſſimi abſumpturum & tempora & leges mutare putaturum: eóſque in ipſius traditum iri poteſtatem uſque ad tempus & tempora & temporis dimidium* (*c*). Reges, ut ſupra, ponuntur pro Regnis, adeóque *parvum cornu* parvum Regnum ſignificat. Cornu erat hoc quartæ beſtiæ, & tria è primis ejus cornibus radicitùs evulſit; quærendum, itaque, id nobis inter gentes Imperii *Latini* poſt exorta decem cornua. Regnum autem erat diverſæ à decem reliquis ſpeciei, vitáque, vel animâ, ſibi propriâ gaudebat, nec non oculis & ore. Oculis denotatur eſſe Inſpector (*d*); ore autem, ingentia loquente, eóque quod tempora & leges mutabat, intelligi patet Profetam æquè ac Regem. Ejuſmodi autem Inſpector (*d*), Profeta, & Rex, Eccleſia Romana eſt.

Eo denotatur Eccleſia Romana.

Inſpec-

(*a*) Dan VII. 8.
(*b*) ibid. 20. 21.
(*c*) vſ. 24. 25.
(*d*) Angl. *a Seer.*

Digitized by Google

Inſpector (*a*), Ἐπίσκοπος, proprio ſenſu *Epiſcopum*, ſive ejus dignitatis virum, quâ ornati apud Chriſtianos ipſo hoc Epiſcopi nomine dicti ſunt (*b*), ſignificat. Ea autem Eccleſia univerſalem Epiſcopatum ſibi vindicat. *Undecimum cor. nu.*

Ore hic Epiſcopus Regibus & populis dat leges tamquam Oracula; arrogat ſibi, quòd non poſſit falli, & quæcumque pronunciet, iis teneri univerſum terrarum orbem docet. Atqui hoc eſt Profetam eſſe ſummo gradu.

Octavo Sæculo, Exarchatum Ravennæ, Regnum *Longobardorum* & Senatus Ducúmque *Romanorum* poteſtatem evellens, ſibi *Patrimonium* PETRI adquiſivit, eóque, ut politicus Princeps ſive Rex (*b*), vel cornu quartæ beſtiæ, exſurrexit.

In exiguo libro, *Pariſiis* impreſſo A. C. 1689, cui titulus: *Diſſertatio Hiſtorica de quibuſdam nummis* CAROLI *Magni*, LUDOVICI *pii*, LOTHARII, *eorúmque ſucceſſorum*, *Romæ cuſis*, narratur LEONIS X. Papæ temporibus ſuperfuiſſe, ac ad illum uſque diem uniuscujuſque conſpectui expoſitam inſcriptionem in honorem PIPINI qui CAROLI *Magni* fuit pater, hiſce verbis conceptam: PIPINUM *pium primum fuiſſe, qui amplificandæ Eccleſiæ Romanæ viam aperuerit, Exarchatu Ravennate & plurimis aliis oblatis.* Jam, imperantibus GRATIANO & THEODOSIO, & prius etiam, ſplendidè agebat *Romanus* Epiſcopus, verùm donationibus matronarum *Romanarum*, ut teſtatur AMMIANUS (*c*). Poſt horum imperium *Italiam* Barbaræ *Gentes* invaſerunt, nec priùs ea moleſtiis liberata eſt, quàm *Longobardorum* Regnum exſtingueretur. Certiſſima, quòd Patrimonio Petri potita eſt, atque ad illud, quo deinde evaſit faſtigium, evecta *Romana* Sedes, cauſa fuit ipſius victoria de *Græcorum* Imperatore, *Longobardorum* Rege, ac *Senatu* Romano relata. Ficta eſt donatio CONSTANTINI Magni, fictum itidem *Longobardorum* Regem ARIPERTUM Papæ donâſſe *Cottias* Alpes; quippe hæ fuêre pars Exarchatûs *Ravennatenſis*; eáſque ARIPERTI temporibus Imperator *Græcus* poſſidebat. Quomodo Epiſcopus Rom. tria è decem cornibus evulſerit ac iis in imperio ſucceſſerit. De donatione *Conſt. M.* & alterâ *Ariperti*.

Invocatione mortuorum eorúmque imaginum cultu per gradus in Eccleſiam introductis, Sæculis quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo, Epiſc. Rom de Imperato-

(*a*) Angl. *a Biſhop.* (*b*) *A Temporal Prince or King.* (*c*) Libro XXVII.

Digitized by Google

CAP. VII. re Græcorum Victoria.

huic se oppoſuit *Græcorum* Imperator PHILIPPICUS A. C. 711, vel 712. LEO autem *Iſaurus*, ut ulteriorem ejus progreſſum ſiſteret, concilium Senatorum & Epiſcoporum in ſuo palatio convocavit, A C. 726 (*a*), atque, ex eorum ſententiâ, edictum adverſus illum cultum promulgavit, nec non litteras dedit ad GREGORIUM *II.* Papam, ut univerſale Concilium cogeretur. Papa autem protinus Romæ Concilium coëgit, imaginum cultum eo confirmavit, *Græco* Imperatori Anathema dixit, populúmque ejus fide exſolvit, vetito ipſi tributum pendere, alióve ullo modo ipſi obedientiam præſtare. Mox urbis Romæ incolæ, nec non *Campaniæ*, *Ravennæ*, & *Pentapoleos*, urbiúmque hiſce Regionibus ſubditarum, ab Imperatore defecerunt, ac, violentas ſuis Magiſtratibus manus inferentes, PAULUM, quidem, Ravennæ Exarchum, occiderunt; PETRUM, verò, *Romanorum* Ducem, qui oculis erat captus, loco moverunt: cúmque EXHILARATUS, Dux *Campaniæ*, populum in Papam incitaret, *Romani Campaniam* invaſerunt, eúmque cum filio HADRIANO obtruncârunt. Tùm novus Exarchus EUTYCHIUS, ubi *Neapolin* appuliſſet, miſit clam, qui Papam & Nobiles *Romanorum* occiderent. Detectâ autem conſpiratione, *Romani* à *Græco* Imperatore prorſus defecêre, ſéque jurejurando obſtrinxêre vitam Papæ protecturos, ditiones ipſius armis defenſuros, atque in omnibus ipſius auctoritati obtemperaturos. Atque ita Roma cum ſuo Ducatu, qui *Etruriæ* & *Campaniæ* partem complectebatur, à *Græcis* Imperatoribus defecit A. C. 726, & libera evaſit Reſpublica ſub Senatûs *Romani* regimine. Hujus Senatûs auctoritas in rebus civilibus deinceps ſuprema fuit, Papæ auctoritate hactenus non ultra res eccleſiaſticas patente.

Exarchatus Ravennæ primum, quod coram eo cecidit, cornu.

Eo tempore (*b*) *Longobardi*, etiam in cultum imaginum ambitioſi, & præ ſe ferentes Papæ rebus favere, ditiones Exarchatûs invaſerunt, ac tandem, A. C. 752. Ravennam ceperunt, Exarchatuíque finem impoſuerunt. Atque hoc primum fuit è tribus Regnis, quod cecidit coram parvo cornu.

Anno

(*a*) Sigonius *de regno Italiæ*, ad annum 726.
(*b*) Id. ad annos 725, 752.

Digitized by Google

Anno 751 (a) ZACHARIAS Papa CHILDERICO, ignavo ac inepto *Franciæ* Regi, ſtirpíſque *Merovingiæ* ultimo, imperium abrogavit, &, ſolutis juratæ fidei religione ſubditis, Regnum dedit PIPINO, Majori Domûs, eóque ſibi novum ac potentem amicum conciliavit. Proximo anno ſucceſſor ejus STEPHANUS III, ad agendum cum *Græco* Imperatore quàm cum *Longobardis* aptior, ad horum Regem ſe contulit, eíque perſuadere conatus eſt ut Exarchatum redderet Imperatori. Quod cùm non ex ejus ſententiâ ſuccederet, in *Galliam* eſt profectus, ac PIPINUM induxit ut *Exarchatum* & *Pentapolin Longobardis* eriperet, atque utrumque donaret Sancto PETRO. Igitur PIPINUS, A.C. 754, cum exercitu venit in *Italiam*, Regémque *Longobardorum* AISTULPHUM deditionem promittere adegit. E contrà autem AISTULPHUS, ut à Papâ ultionem repeteret, anno inſequenti urbem Romam obſidet. Quo facto Papa, datis ad PIPINUM litteris, renunciat, ni citò is adverſùs *Longobardos* properaret, *pro datâ ſibi potentiâ, alienandum fore à Deo & vitâ æternâ*, id eſt, anathemate feriendum. PIPINUS, ergo, ſubditorum rebellionem veritus, & Eccleſiæ *Romanæ* plurimum debens, continuò cum exercitu in *Italiam* venit, obſidionem ſolvit, *Longobardos Patavii* obſidet, cogítque *Exarchatum*, nec non agrum *Pentapoleos*, in perpetuam Papæ dedere poſſeſſionem. Ita Pontifex *Romanus* Ravennæ ejúſque *Exarchatûs*, paucis quidem exceptis urbibus, Dominus evaſit; ejus verò claves Romam miſſæ ſunt, atque illic poſitæ ſuper *Confeſſione S.* PETRI, id eſt, ſuper ipſius tumulo ad magnum altare, *in ſignum veri perpetuíque dominii, ſed pietate Regis gratuitâ* ut habet inſcriptio cujuſdam numiſmatis, PIPINI juſſu cuſi. Acta hæc fuêre A. C. 755; atque ex hoc tempore Papæ, jam politici Principes facti, in ſuis Bullis *Græcorum* Imperatorum annos notare, quod hactenus fecerant, neglexerunt.

Undecimum Cornu.

Poſthæc (b), invadentibus *Romanæ* ſedis ditiones *Longobardis*, CAROLUM Magnum, PIPINI filium ac ſucceſſorem, ad ferendam ſibi opem Papa HADRIANUS invitavit. Is, igitur, cum exercitu *Italiam* ingreſſus, *Longobardó*que adortus, eorum Reg-

Alterum erat regnum Longobardorum.

(a) Idem ibidem ad ann. 750; & ad ſequentia, ann. 753, 754, 575.

(b) Vid. *Sigonium*, libro citato, ad annum 773.

Digitized by Google

CAP. VII. num evertit, ditionibus ipsorum sibi subjectis, & Papæ non tantùm quæ hi ipsi eripuerant, reddidit, sed & reliquas *Exarchatûs* ditiones, quas Papæ dedituros se PIPINO promiserant, hactenus autem retinuerant, imò & ipsorum *Longobardorum* quasdam urbes, illi addidit. *Romani*, verò, gratiæ referendæ ergò, CAROLUM *Patricium* creârunt, eique confirmandæ Paparum electionis auctoritatem obtulerunt. Hæc evenêre annis 773 & 774. Atque hoc *Longobardorum* Regnum secundum erat, quod cecidit coram parvo illo cornu. Ipsa autem nondum Roma, quæ cornu illius futura erat sedes, in ipsius potestatem erat redacta.

Quomodo ipsa Roma ejùsque Senatus in ejùsdem potestatem venerint.

Anno 796 (*a*) LEO III, creatus Pontifex electionis suæ CAROLUM Magnum, legatione certiorem fecit, missis etiam muneri aureis Confessionis PETRI clavibus, nec non urbis Romæ vexillo: illas quidem in professionem, quòd Papa urbes Exarchatûs Ravennatensis & Longobardiæ dono CAROLI possideret; hoc ad significandum Regi ut rediret ac S. P. Q. Romanum subigeret, perinde ac subegerat Exarchatum & *Longobardorum* Regnum. Petiit, quippe, eodem tempore à CAROLO Pontifex, ut quosdam ex suis Principibus Romam mitteret, qui populum *Romanum* ei subjicerent, atque obstringerent sacramento *in fide & subjectione*, ut verba, quibus utebatur, refert SIGONIUS. Anonymus Poeta, quem Argentorati edidit BOECLERUS, hoc modo illud describit:

Admonuítque piis precibus, qui mittere vellet
Ex propriis aliquos primoribus, ac sibi plebem
Subdere Romanam, servandáque fœdera cogens
Hanc fidei sacramentis promittere magnis.

Hinc inter Papam & *Romanos* cives dissidium exortum est. Et hi quidem duobus vel tribus pòst annis, quibusdam ex Clericis adjuti, tantos in illum excitarunt tumultus, ut novæ rerum in omni Occidente faciei causa existerint. Duo enim è Clericis Papam quorumdam criminum accusârunt, quem mox armatâ vi corripuêre *Romani*, vestibúsque sacerdotalibus exutum monasterio incluserunt. Auxilio autem amicorum ille cùm evasisset, in *Germaniam* ad CAROLUM Magnum

(*a*) Idem ibidem ad ann. 796.

Digitized by Google

Magnum fugit, apud quem de *Romanis* conqueſtus eſt, quaſi eo animo ſeſe ipſi opponerent, ut omnem Eccleſiæ excuterent auctoritatem, priſtinámque libertatem recuperarent. Eo abſente ipſius accuſatores copiis ſuis Eccleſiæ ditiones depopulati ſunt, accuſationíſque capita ad CAROLUM Magnum miſerunt. Hic autem, anno nondum circumacto, Papam cum ingenti comitum pompâ Romam remiſit. Nobiles & Epiſcopi è *Franciâ*, qui ipſum comitabantur, præcipuos ex ipſius accuſatoribus Romæ examinârunt, eóſque in *Franciam* in cuſtodiam miſerunt. Contigit hoc anno 799. Proximo anno ipſe CAROLUS Romam profectus eſt & ſtatuto die Concilio *Italorum* & *Francorum* Epiſcoporum præſedit, utramque partem auditurus. Cùm verò Papæ adverſarii ſe auditum iri exſpectarent, ſtatuit Concilium illum, qui ſupremus omnium hominum eſſet Judex, majorem eſſe, quàm qui ab ullo, præter ſeipſum, judicaretur: quo facto ille ſolenni oratione coram omni populo innocentiam ſuam profeſſus eſt, atque ita habitus pro abſoluto (*a*). *Undecimum cornu.*

Brevi poſt, die, quo natalis Domini memoria celebrabatur, populus *Romanus*, qui hactenus ſuos Epiſcopos elegerat, ac ſe ſuúmque Senatum cenſebat veteris Senatûs Populíque Romani jura ritè poſſidere, CAROLUM Imperatorem elegit, atque eâdem ipſi ſe ſubmiſit ratione, quâ vetus Imperium Romanum, ejúſque Senatus, olim *Romanis* Imperatoribus erant ſubjecti. Huic Papa diadema capiti impoſuit, eúmque ſacro inunxit oleo, atque adoravit flexis genibus, ut olim fiebat Imperatoribus *Romanis*, narrante id hiſce verbis Poëtâ ſupra citato.

Poſt laudes, igitur, dictas & ſummus eundem
Præſul adoravit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis. ———

Ab alterâ parte Imperator hoc ſacramento Papæ ſe obſtrinxit: *In nomine* CHRISTI *ſpondeo atque polliceor Ego* CAROLUS *Imperator coram Deo & beato* PETRO *Apoſtolo, me Protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus utili-*

(*a*) Vide *Anaſtaſium.*

Digitized by Google

CAP. VII. *utilitatibus, quâtenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero poteróque.* Porrò etiam creatus est Imperator urbis Romæ Consul, ejúsque filius PIPINUS Rex *Italiæ* coronatus, atque ex eo tempore ille hac ratione nomen suum scribi voluit: CAROLUS *serenissimus, Augustus, à Deo coronatus, Magnus, pacificus, Romæ gubernans Imperium*, vel *Imperator Romanorum*: próque eo in Ecclesiis *Romanis* dicebantur preces. Ex hoc etiam tempore ejus effigie *Romani* nummi signabantur. Papæ autem adversarii, trecenti numero è *Romanis*, duo vel tres è Clericis, ad mortem damnati sunt. Illi uno eodémque die omnes *in campis Lateranensibus* securi percussi; hisce, verò, interceſſione Papæ, noxa remissa est, ipsíque in *Franciam* in exilium missi. Atque ita *Romani Imperatoris* titulus, quo hactenus insigniti fuerant Imperatores *Græci*, sive Orientis, ad Reges *Franciæ* in Occidente translatus est.

Post hæc CAROLUS Urbis & Ducatûs *Romani* principatum Papæ dedit (*a*), sibi tamen, ut *Romanorum* Imperatori, subjectum: hiemem in rebus Romæ politicis, iísque, quæ ad Sedem Apostolicam attinebant, imò totius *Italiæ* negotiis, tam civilibus quàm Ecclesiasticis, ordinandis, novásque de iis condendo leges, transegit: proximâ æstate in *Franciam* reversus est, relictâ sub imperio Senatûs civitate, & illo simul & hac sub Papâ atque seipso. Audito autem novas suas leges nec à Judicibus in edicendo jure, nec à populo illi obsequendo observari, nec non potentiores à liberis hominibus, imò & ab Ecclesiis & monasteriis, servos capere qui in suis vinetis, agris, pascuis domibúsque opus facerent; pergere etiam illos ab hisce pecora exigere & vinum, eósque, qui Ecclesiis ministrabant, opprimere; litteras ad filium PIPINUM dedit, monentes ut his malis ille mederetur, Ecclesiæ curam gereret, ac videret ut leges suæ observarentur.

Tertium hunc regnum fuisse quod coram parvo cornu ceciderit.

Jam, Senatus, Populúsque, & Principatus *Romanus*, meo judicio, sunt tertius Rex, quem superavit parvum cornu, imo è tribus præcipuus. Hic, enim, populus Papam eligebat & Imperatorem, & jam, Imperatorem eligendo, eúmque creando Consulem *Romanum*, agnitus est retinuisse veteris Senatûs Populíque *Romani* auctoritatem.

Urbs

(*a*) *Sigonius* libro citato.

Digitized by Google

Urbs hæc Metropolis erat veteris Imperii *Romani*, quartâ apud DANIELEM beſtiâ repræſentati; &, ſubigendo Senatum populúmque & Ducatum, Metropolis evaſit parvi cornu illius beſtiæ, nec non complementum Patrimonii PETRI, quod ejus cornu erat Regnum. Præterea, hanc victoriam majora ſequuta ſunt, quàm illas, quæ de aliis duobus Regibus erant relatæ. Ea quippe ortum dedit Imperio Occidentis, quod ad hunc uſque diem durat. Eadem Papam ſupra Senatûs *Romani*, nec non Concilii *Italorum Francorúm*que Epiſcoporum, imò ſupra omne humanum Judicium evexit: Primatum ipſi contulit in omnes Occidentis Eccleſias eorúmque Concilia, ídque non exiguo gradu. Fecit ut *torviùs videret ceteris*; ita ut, cùm nova hæc Religio in animis hominum jam radices egerat, non cum Regibus tantùm, ſed cum ipſo etiam Occidentis Imperatore conflixerit. Porrò notatu dignum eſt, quòd mos oſculandi Pontificis pedes, qui major honos eſt quàm Regibus atque Imperatoribus exhibetur, hoc ferè tempore cœperit. Exſtant quædam ejus exempla Sæculo nono. Narrat PLATINA LEONIS IV Pontificis pedes, ex more veteri, oſculatos fuiſſe quicumque ad eum accederent (*a*), & ſunt qui dicant LEONEM III primum hunc morem inſtituiſſe, præ ſe ferentem manum ſuam oſculo mulieris vitiatam. Eodem circiter tempore etiam occœperunt Papæ Sanctos in Divorum numerum referre, nec non indulgentias & peccatorum remiſſiones largiri: quorum omnium auctorem quidam eumdem LEONEM faciunt. Præterea, obſervandum eſt CAROLUM Magnum, annis inter 775 & 796 elapſis, omnem *Germaniam* à Rheno & Danubio, Septemtrionem verſùs ad Mare Balticum, Orientem verſùs ad Tibiſcum uſque ſubegiſſe, etiam in *Hiſpaniâ*, uſque ad *Iberum* fluvium, victorias proferentem. His ille victoriis novi Imperii fundamenta poſuit, ac ſimul *Romano-Catholicam* Religionem in omnes, quas ſubigebat, terras promovit; *Saxones* & *Hunnos*, qui antiquam ſectabantur ſuperſtitionem, ad

Undecimum cornu.

Iſ. Newtoni Opuſcula. Tom. III. V v *Roma-*

(*a*) [Ita Noſter: *by all who came unto him.* *Platina* autem de *Leone* IV, in ejus vitâ; haud procul ab initio: *Mortuo* inquit, *Sergio ad Lateranenſem baſilicam ductus, ac in ſede Petri collocatus, ut verus & dignus Pontifex ab omnibus ſalutatur. Exoſculati ſunt etiam ejus pedes qui propè aderant, morem antiquum ſervantes.*

CAP. VII. *Romanæ* Religionis professionem adigens, nec non devictas à se in Septemtrione provincias dividens in Episcopatus, decimas concedens Clericis, & denarium, à singulis domibus solvendum, Papæ. Quibus omnibus summoperè crevit, ditata est, exaltata, & stabilita Ecclesia *Romana*.

In supra citatâ *Dissertatione de quibusdam* CAROLI *Magni*, LUDOVICI *Pii*, LOTHARII, *eorúmque successorum nummis, Romæ cusis*, ectypum occurrit cujusdam fragmenti operis segmentati, quod fieri curavit LEO III Papa, in suo prope JOANNIS *Lateranum* Templum palatio, in memoriam, quod vexillum, sive insigne, urbis Romæ, affabrè factum, CAROLO M. miserat; quódque etiam tùm, cùm is liber ederetur, eò loci conspiciendum erat. Eo in opere segmentato effictus conspiciebatur PETRUS, cum tribus in suo gremio clavibus, dextrâ Papæ tradens *Pallium*, siniſtrâ Urbis vexillum CAROLO Magno. Juxta Papam hæc legebatur inscriptio: SCISSIMUS D. N. LEO PP; juxta Regem hæc: D. N. CARULO REGI; sub pedibus, denique, PETRI sequentia: BEATE PETRE DONA VITAM LEONI PP, ET BICTORIAM CARULOREGI DONA. Hoc monumento CAROLO datur *Regis* titulus, adeóque erectum fuisse patet priusquam is creatus esset Imperator. Erectum fuit cùm Papæ PETRUS traderet Pallium, & CAROLO vexillum Urbis Papa mittebat, id est, A. C. 796. Superiora verba, *Sanctissimus Dominus noster* LEO *Papa Domino nostro* CAROLO *Regi*, nuncium respiciunt huic ab illo missum, inferiora autem, *Beate* PETRE, *dona vitam* LEONI *Papæ*, *& victoriam &* CAROLO *Regi dona*, preces continent ut hoc in incœpto Deus vitam Papæ servaret, Regíque de *Romanis* daret victoriam. Tres claves in gremio PETRI trium Patrimonii ipsius partium claves significant; clavem, nempe, Romæ ejúsque urbis Ducatûs, quem sibi vindicabat, ínque cujus expugnatione occupatus erat Papa; & claves Ravennæ cum suo Exarchatu, & Terrarum captarum à *Longobardis*, quas utrasque, non diu antè, vi sibi adquisiverat. Hi tres erant Principatus, quorum in gremio PETRI erant claves, quorum etiam nunc Coronas Papa gerit, quorúmque subjec-

Digitized by Google

subjectione evasit parvum illud cornu bestiæ quartæ. Eo quòd PETRUS dextrâ Papæ tradit Pallium, sinistrâ verò Urbis vexillum Regi, nec non quòd in inscriptione Papæ priùs quàm Regis fiat mentio, intelligi queat Papam tum temporis superiorem Regibus fuisse habitum. *Undecimum cornu.*

Post mortem CAROLI Magni, ipsius filius & successor LUDOVICUS *Pius*, Papâ rogante, donationes ab avo & parente *Romanæ* sedi factas confirmavit (a). Ejus quoque in confirmationis instrumento, primo loco mentionem facit Romæ *Romanique* Ducatûs, in *Etruriam* usque & *Campaniam* extensi: dein Exarchatûs *Ravennatensis & Pentapoleos*; tertio, denique, ditionum *Longobardis* ereptarum. Hæc tria erant, quæ subegerat, quasi Imperatoris autem feuda ea possessurus erat in usum Ecclesiæ, *sub integritate*, id est, integrè, ita ut ipsorum administrationi, nec jurisdictioni, vel auctoritati Papæ in illis, Imperator, non, nisi certis in casibus vocatus, sese interponeret. Hac in confirmatione jurejurando se obstrinxit LUDOVICUS. Inde, ut Rex *Ostrogothorum*, in signum, quòd Regnum suum in *Italiâ* permissione *Græci* Imperatoris gubernaret, hujus effigie ab unâ parte, suâ ab alterâ, nummos suos signabat; eâdem ratione idem de Imperatore Occidentis agnoscebat Papa. Hic enim jam occœpit pecuniam signare, inveniuntúrque ex hoc tempore *Romani* nummi ab unâ parte signati effigie Imperatorum CAROLI Magni, LUDOVICI Pii, LOTHARII, eorúmque, qui his successerunt; ab alterâ autem inscriptione Papæ: idque per multos annos.

(a) Confirmationem recitat *Sigonius* Libro 4. de regno *Italiæ* ad annum 817.

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

De potestate mutandi tempora & leges, quæ undecimo cornu quartæ apud DANIELEM *bestiæ adscribitur.*

Dominium Episcopi Romani tantùm in Occidente fuit permanens.

IMperante Orienti JUSTINIANO, & postmodùm denuò imperante PHOCA, dominium quoddam in *Græcas* Ecclesias Episcopus *Romanus* obtinuit, sed non diuturnum. Permanens ejus dominium solummodò in Gentes erat, quæ Imperio Occidentis parebant, quartâ DANIELIS bestiâ repræsentato. Atque hæc jurisdictio sequenti GRATIANI ac VALENTINIANI Imperatorum edicto instituta est (*a*). *Volumus ut quicumque judicio* DAMASI, *quod ille cum Concilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui Catholici sunt, judicio vel Concilio condemnatus fuerit, si justè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui ad Sacerdotale judicium per contumeliam non iviſſet: ut ab illustribus viris, Præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ, authoritate adhibitâ, ad Episcopale judicium remittatur, sive à Consularibus vel Vicariis, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut, si in longinquioribus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ edictio ad Metropolitæ in eâdem Provinciâ Episcopi deducetur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine delatione contendat... Quòd si vel Metropolitani Episcopi vel cujuscumque Sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia; ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum accersitum liceat provocare; modò ne, post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.* Hoc edictum, cùm VALENTIS æquè ac THEODOSII nomine in inscriptione careat, promulgatum fuisse patet eo, quod inter horum Regna interceſſit, tempore; sub finem, scilicet, anni 378, vel initio 379. Inscriptum fuit *Præfectis prætorio Italiæ & Galliæ*, adeóque universale. Præfectus quippe prætorio *Italiæ* præërat *Italiæ, Illyrico* Occidentali, atque *Africæ*; Præfectus autem prætorio *Galliæ*, gubernabat *Galliam, Hispaniam* ac *Britanniam*.

Institutum id edicto *Gratiani & Valentiani.* Impp.

Hujus

(*a*) Vid. *Baronii* annales ad ann. 381, Sect. 6.

Digitized by Google

Undecimi cornu potestas.

Hujus jurisdictionis Papæ concessio variis Episcopis occasionem præbuit litteris ejus explicationes (*a*) in rebus dubiis flagitandi, quibus ille decretoriis epistolis respondit, atque ex hoc tempore Ecclesiis Occidentis ejusmodi epistolis leges dedit. Cùm HIMERIUS, *Tarraconis*, quæ Provinciæ in *Hispaniâ* Metropolis est, Episcopus, litteris à DAMASO Papâ flagitâsset ejus de quibusdam ecclesiasticis rebus administrandis consilium (*b*), nec nisi post DAMASI mortem epistola Romam veniret, A. C. 384; successor hujus SIRICIUS illi auctoritate legislatoriâ respondit; de unâ re dicens: *Cùm hoc fieri ——— missa ad provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo* LIBERIO *generalia decreta prohibeant*: De aliâ: *Noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos*: De aliâ: *Scituri posthac omnium Provinciarum summi Antistites, quod si ultro ad sacros ordines quemquam de talibus esse adsumendum* (*c*), *& de suo & de aliorum statu, quos contra Canones & interdicta nostra provexerint, congruam ab Apostolicâ Sede promendam esse sententiam.* Hanc porrò epistolam hunc in modum claudit: *Explicuimus, ut arbitror, frater charissime, universa, quæ digesta sunt in querelam; & ad singulas causas, de quibus ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia, quantùm opinor, responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos Canones, & tenenda decretalia constituta, magis ac magis incitamus: ad hæc, quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium Coëpiscoporum perferri facias notionem; & non solùm eorum, qui in tuâ sunt Diocœsi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses ac Bæticos, Lusitanos atque Gallicos* (*d*), *vel eos qui, vicinis tibi collimitant, hinc inde, Provinciis, hæc, quæ à nobis sunt salubri ordinatione dispositа, sub litterarum prosecutione mittantur. Et quanquam statuta Sedis Apostolicæ vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum; utiliùs tamen, atque pro antiquitate Sacerdotii tui, dilectioni tuæ esse poterit admodum gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine*

Hinc is ab aliis Episc consultus. ac litteris, decretoriis responsit.

(*a*) *Resolutiones.*
(*b*) *Direction.*
(*c*) (Procul dubio hic aliquid deest: quod addere, cùm locum ipsum consulere non contingat, nequeo.)
(*d*) Populorum *Galliciæ.*

Digitized by Google

CAP. VIII. *generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ à nobis, non inconsultè sed providè, sub nimiâ cautelâ & deliberatione, sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus in posterum excusationibus aditus, qui jam nullus apud nos patere poterit, obstruatur. Dat. 3. Id. Febr.* ARCADIO & BAUTONE, *viris clarissimis, Consulibus, A. C.* 385. LIBERIUS Papa imperante JOVIANO vel VALENTINIANO I, generalia ad Provincias decreta miserat, quibus vetârat ne denuò baptizarentur *Ariani*: Et hoc quidem fecerat in gratiam Concilii *Alexandrini*, ne quid ulterius ab ipsis exigeretur, quàm ut opinionibus suis renunciarent. DAMASUS Papa decrevisse dicitur ut decimæ (*a*) solverentur, pœnâ anathematis in immorigeros sancitâ: nec non ut doxologia, *Gloria Patri, &c.* post finem Psalmorum diceretur aut cantaretur. Prima autem epistola decretoria, quæ nunc exstat, ea est, quam retuli, SIRICII ad HIMERIUM; quâ Pontifex hunc suum in omni *Hispaniâ Vicarium* dixit, qui decreta sua promulgaret videretque ut iis obediretur. Aliquando etiam *Hispalensis* Episcopus Papæ Vicarius erat: Hunc enim in modum scripsit SIMPLICIUS ad ZENONEM, ejus loci Episcopum: *Talibus idcirco gloriantes indiciis, congruum duximus Vicariâ Sedis nostræ te auctoritate fulciri: cujus vigore munitus, Apostolicæ institutionis decreta, vel sanctorum terminos Patrum, nullâtenus transcendi permittas.* HORMISDA Pontifex *Hispalensem* Episcopum suum Vicarium dixit in *Bæticâ* & *Lusitaniâ*, *Tarraconensem* verò in reliquis *Hispaniæ* Provinciis, ut ex ipsius ad illos epistolis liquet (*b*). INNOCENTIUS I, in litteris decretoriis ad VICTRICIUM, *Rhotomagi* in *Franciâ* Episcopum, A. C. 404 missis, edicti GRATIANI vestigiis inhærens, hoc decretum condidit. *Si quæ autem causæ vel contentiones inter Clericos, tam superioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ; ut, secundùm Synodum Nicænam, congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis, jurgium terminetur: nec alicui liceat, (c) Romanæ Ecclesiæ, cujus in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eâdem Provinciâ Dei Ecclesiam nutu Divino gubernant, ad alias con-*

(*a*) *Tithes and Tenths.*
(*b*) *Hormisd.* Epist. 24. 26.
(*c*) Videntur deesse verba, *sine auctoritate.*

Digitized by Google

convolare Provincias. Quòd ſiquis fortè præſumpſerit; & ab officio Clericatûs ſummotus & injuriarum reus judicetur. Si autem majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur. Undecimi cornu Poteſtas. Ex hiſce litteris mihi clarum videtur jam tum, imò & ex aliquo tempore, *Galliam* Papæ fuiſſe ſubjectam, & *Rhotomagenſem* Epiſcopum ejus tum Vicarium, vel unum ex iis, fuiſſe: Præcipit enim illi Papa ut majores cauſas *ad Sedem Romanam referat, ex conſuetudine.* Brevi autem pòſt Epiſcopus *Arelatenſis* Papæ Vicarius evaſit in omni *Galliâ.* ZOSIMUS enim Pontifex, A. C. 417 ſtatuens nemini ad ſe acceſſum fore niſi Vicariorum ſuorum munito litteris, in PATROCLUM, *Arelatenſem* Epiſcopum, hanc in omni *Galliâ* auctoritatem contulit hoc decreto.

ZOSIMUS *univerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem Provincias conſtitutis.*

Placuit Apoſtolicæ Sedi, ut ſiquis ex quâlibet Galliarum parte ſub quolibet eccleſiaſtico gradu ad nos Romæ venire contendit, vel aliò terrarum ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Epiſcopi Formatas acceperit, quibus ſacerdotium ſuum, vel locum eccleſiaſticum, quem habet, ſcriptorum ejus adſtipulatione perdoceat: quod ex gratiâ ſtatuimus, quia plures Epiſcopi, ſive Presbyteri, ſive eccleſiaſtici, ſimulantes, quia nullum documentum Formatarum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quiſquis igitur, fratres chariſſimi, prætermiſſâ ſupradicti Formatâ, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, aut deinceps inferiori gradu ſit, ad nos venerit; ſciat ſe omnino ſuſcipi non poſſe. Quam auctoritatem ubique nos miſiſſe manifeſtum eſt, ut cunctis Regionibus innoteſcat id, quod ſtatuimus, omnimodis eſſe ſervandum. Siquis autem hæc ſalubriter conſtituta temerare tentaverit ſponte ſuâ, ſi à noſtrâ noverit communione diſcretum. Hoc autem privilegium Formatarum ſancto PATROCLO *fratri & Coepiſcopo noſtro, meritorum ejus ſpeciali contemplatione, conceſſimus.*

Arela-

Digitized by Google

CAP. VIII. *Arelatenſem* Epiſcopum quandoque Papæ in omni *Gallia* Vicarium fuiſſe, etiam omnes Epiſcopi Diocœſeos *Arelatenſis*, in ſuis ad LEONEM I. Papam litteris, teſtantur. *Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt*, inquiunt, *ut non tantùm has Provincias poteſtate propriâ gubernaret; verùm etiam omnes Gallias, ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandatas, ſub omni eccleſiaſticâ regulâ contineret.* Ita & PELAGIUS I. Pontifex, A. C. 556, in ſuâ ad SAPAUDUM, Epiſcopum *Arelatenſem*, epiſtolâ: *Majorum noſtrorum, operante Dei miſericordiâ, cupientes inhærere veſtigiis & eorum actus divino examine in omnibus imitari; Charitati tuæ per univerſam Galliam, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui Divinâ gratiâ præſidemus, vices injungimus.*

Ejuſdem edicti virtute quo Gallia & Hiſpania, etiam Illyricum Papæ ſubjectum evaſit; tam Orientale.

Ejuſdem Imperatorii edicti virtute non *Hiſpania* ſolummodo & *Gallia*, verùm etiam *Illyricum* Papæ ſubjectum evaſit. DAMASUS ASCHOLIUM, ſive ACHOLIUM, *Theſſalonicæ*, quæ Orientalis *Illyrici* eſt Metropolis, Epiſcopum, Vicarium ſuum cauſis audiendis dixit; atque anno 382, ab eodem vocatus, ACHOLIUS Romam, ad Concilium quoddam venit. SIRICIUS, DAMASI ſucceſſor decrevit nullum in *Illyrico* Epiſcopum inaugurandum fore niſi conſentiente ACHOLII ſucceſſore ANYSIO. Qui ſequuti ſunt Pontifices RUFO, ſucceſſori ANYSII, Provincialium Conciliorum convocandorum fecêre poteſtatem: In HOLSTENII quippe collectione deſcriptio occurrit cujuſdam Concilii, Romæ ſub BONIFACIO II. habiti, in quo prolatæ ſunt epiſtolæ DAMASI, SIRICII, INNOCENTII, BONIFACII I. & COELESTINI, *Romanorum* Epiſcoporum, ad ASCHOLIUM, ANYSIUM, & RUFUM, Epiſcopos *Theſſalonicenſes*: quibus epiſtolis commendant illis ut in *Illyrico* cauſas audiant, prout à Domino & ſanctis Canonibus Apoſtolicæ Sedi in eâ Provinciâ eſſet conceſſum. SIRICIUS, in epiſtolâ ad ANYSIUM, ita loquitur: *Etiam dudum, frater chariſſime, per* CANDIDIANUM *Epiſcopum, qui nos præceſſit ad Dominum, hujuſmodi litteras dederamus, ut nulla licentia eſſet ſine conſenſu tuo in Illyrico Epiſcopos ordinare præſumere, quæ utrùm ad te pervenerint ſcire non potui. Multa enim geſta ſunt per contentionem ab Epiſcopis, in ordinationibus faciendis, quod tua melius caritas novit.* Et paulò poſt: *Ad omnem enim hujuſmodi audaciam compri-*

Digitized by Google

comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te Sancto fervente: ut, vel ipse, si potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos, cum litteris dirigas, dato consensu qui possit, in ejus locum qui defunctus vel depositus fuerit, Catholicum Episcopum, vitâ & moribus probatum, secundùm Nicænæ Synodi statuta, vel Ecclesiæ Romanæ, Clericum de Clero meritum ordinare. INNOCENTIUS autem I, in litteris ad eumdem: *Cui* (ANYSIO) *etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ* DAMASUS, SIRICIUS, *atque supra memoratus vir, ita detulerunt; ut omnia, quæ in omnibus illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda.* Et in litteris ad RUFUM, ANYSII successorem: *Ita longis intervallis disterminatis à me Ecclesiis discat consulendum; ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causásque, siquæ exoriantur, per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias, CHRISTO Domino annuente, censeam. Verè, enim, ejus sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis, tuæ providentiæ & virtuti hanc injungimus sollicitudinem: non primitùs hæc statuentes, sed præcessores nostros Apostolicos imitati, qui beatissimis* ACHOLIO & ANYSIO *injungi, pro meritis, ista voluerunt.* Porrò BONIFACIUS I, in decretoriâ epistolâ ad RUFUM, ceterósque *Illyrici* Episcopos: *Nullus, ut frequenter dixi, alicujus ordinationem, citra ejus* (Episcopi Thessalonicensis) *conscientiam, celebrare præsumat: cui, ut supra dictum est, vice nostrâ cuncta committimus.* Etiam CORLESTINUS, in decretoriis ad Episcopos per *Illyricum* litteris, ait: *Vicem nostram per vestram Provinciam noveritis* (RUFO) *esse commissam, ita ut ad eum, fratres carissimi, quicquid de causis agitur, referatur. Sine ejus consilio nullus ordinetur. Nullus usurpet, eodem inconscio, commissam illi Provinciam: colligere, nisi cum ejus voluntate, Episcopus non præsumat.* Idem, in epistolæ de causâ PERIGENIS inscriptione, ita enumerat Provincias huic Episcopo subjectas: RUFO *& ceteris Episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, & Daciam constitutis.* Tum & SIXTUS Pontifex, in decretoriâ ad eosdem epistolâ: *Illyricanæ omnes*

Undecimi Cornu potestas.

Digitized by Google

CAP. VIII. *Ecclesiæ, ut à decessoribus nostris recepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis Antistitis, ut suâ sollicitudine, siquæ inter fratres nascantur, ut assolent, actiones, distinguat atque definiat; & ad eum, quicquid à singulis Sacerdotibus agitur, referatur. Sit Concilium, quoties causæ fuerint; quoties ille, pro necessitatum emergentium ratione, decreverit.* Denique LEO I, in litteris decretoriis ad ANASTASIUM, Episcopum *Thessalonicensem: Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari; maturo tamen & decocto judicio.*

quàm Occidentale. *Illyrico* Occidentali continebantur *Pannonia* prima & secunda, *Savia*, *Dalmatia*, *Noricum Mediterraneum* & *Noricum ripense*, ejúsque Metropolis erat *Sirmium*, donec ATTILA hanc urbem deleret. Postea *Laureacum Norici* & utriusque *Pannoniæ* Metropolis evasit, ac *Salona* Metropolis *Dalmatiæ* (*a*). Jam verò *Laureaci* & *Salonæ* Episcopi à Papâ Pallium accipiebant; ac ZOSIMUS, in decretoriis litteris ad HESYCHIUM, Episcopum *Salonensem*, ipsi præcepit ut Apostolica decreta æquè suæ ipsius ac finitimarum Provinciarum Episcopis denuntiaret. Harum Provinciarum subjectio Sedi *Romanæ* ab ANEMIO cœpisse videtur, qui *Sirmii* Episcopus ordinatus fuit ab AMBROSIO, Episcopo *Mediolanensi*, & in *Aquileiensi* Concilio sub DAMASO Pontifice, A. C. 381, hisce verbis suam sententiam dixit: *Caput Illyrici non nisi civitas Sirmiensis: Ego igitur illius civitatis Episcopus sum. Eum qui non confitetur Filium Dei æternum, & coæternum Patri, qui est sempiternus, Anathema dico.* Proximo Anno ANEMIUS & AMBROSIUS, cum VALERIANO *Aquileiensi* & ACHOLIO *Thessalonicensi* Episcopis, aliisque quamplurimis ad Concilium *Romanum* sunt profecti, quod convenit ad subjiciendam, numero suffragiorum majori, *Græcam* Ecclesiam, auctoritatémque Sedis Apostolicæ extollendam, quod jam antea tentatum fuerat in Concilio *Sardicensi*.

Etiam Aquileia Romanæ Sedi fuit subjecta, *Aquileia* majestate altera erat Imperii Occidentis civitas, à nonnullis etiam *altera Roma* dicta. Metropolis erat *Istriæ*, *Fori Julii*, & *Venetiæ*; illius autem *Romanæ* Sedi subjectio manifesta est è decretoriis LEONIS

(*a*) Vide *Caroli à S. Paulo* Geographiam sacram. p. 72, 73.

Digitized by Google

LEONIS I. litteris ad NICETAM, hujus urbis Episcopum: Hac enim ratione eas Pontifex orditur: *Regressus ad nos filius meus* ADEODATUS, *Diaconus Sedis nostræ, dilectionem tuam popoſciſſe memorat, ut de his à nobis authoritatem Apoſtolicæ Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur afferre.* His dictis, responsum tradit quæstionibus à NICETA propositis, atque ita tandem epistolæ finem facit: *Hanc autem epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuæ fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos Epiſcopos facies pervenire, ut in omnium obſervantiâ data proſit authoritas. Data* 12. *Kal. Apr.* MAJORANO *Aug. Cos. A. C.* 458. GREGORIUS *M.* A. C. 491 SEVERUM, *Aquileïenſem* Episcopum, evocavit ut Romæ in Concilio coram suo Judicio compareret (*a*). *Undecimi Cornu testas.*

Aquileïenſis & Mediolanenſis Episcopi se invicem creabant, adeóque æquales erant auctoritate, eâdémque ratione *Romanæ* Sedi subjecti. PELAGIUS Papa, circa annum 557, hisce verbis hoc testatus est (*b*): *Mos* inquit, *antiquus fuit, ut, quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apoſtolico illis oneroſum fuerit ordinari, ipſi ſe invicem Mediolanenſis & Aquileïenſis ordinare Epiſcopos debuiſſent.* Involvunt hæc verba ordinationem utriusque hujus Episcopi propriè ad Sedem *Romanam* pertinuisse. Cùm LAURENTIUS, *Mediolanenſis* Episcopus, MAGNUM, unum ex Presbyteris suis, sacris arcuisset, ac deinde esset mortuus, GREGORIUS MAGNUM absolvit, misitque Pallium ad recens electum Episcopum CONSTANTIUM (*c*); quem mox, anno proximo, reprehendit ut partium studio ductum in judicando FORTUNATO, jussitque ut hunc Romam mitteret, illic judicandum (*d*). Quatuor post annis *Mediolanenſi & Ravennatenſi* Episcopis mandavit audiendam MAXIMI cujusdam causam (*e*); ac duobus annis amplius elapsis, scilicet, A. C. 601, cùm mortuo CONSTANTIO populus *Mediolanenſis* successorem elegisset, cui nomen DEUSDEDIT, *Longobardi* autem *Nec non Mediolanum.*

(*a*) *Greg.* M. lib. I. Indic. 9. Epist. 16.
(*b*) Apud *Gratianum* de *Mediolanenſi & Aquileïenſi* Episcopis.
(*c*) *Greg.* M. lib. 3. Epist. 26. & l. 4. Epist. 1.
(*d*) Idem lib. 5. Ep. 4.
(*e*) Idem lib. 9. Epp. 10. & 67.

Digitized by Google

CAP. VIII. alium, litteras dedit GREGORIUS ad Tabularium, Clericos, populúmque *Mediolanenſes*, quarum auctoritate ſtatuebat, ordinandum fore priorem, eum verò, quem elegerant *Longobardi*, indignum eſſe qui AMBROSIO ſuccederet (*a*): unde colligo *Mediolanenſem* urbem hac ratione Sedi *Romanæ*, inde ab AMBROSII temporibus, manſiſſe ſubjectam; ipſe enim AMBROSIUS ejus Sedis auctoritatem agnovit. *Eccleſia Romana*, inquit, *hanc conſuetudinem non habet, cujus typum in omnibus ſequimur, & formam* (*b*). Et paulò pòſt: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam.* Et alio loco: (*c*): *Cùm totus mundus Dei ſit, tamen domus ejus Eccleſia dicitur, cujus hodie rector eſt* DAMASUS. Oratione funebri in SATYRUM fratrem, narrat hunc, cùm in urbem quamdam *Sardiniæ* veniſſet, *advocâſſe Epiſcopum loci, percontatúmque eſſe ex eo, utrùm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romanâ Eccleſiâ, conveniret.* Denique ſimul cum Synodo *Aquileïenſi*, A. C. 381 habitâ, in epiſtolâ Synodali ad GRATIANUM Imperatorem, ita loquitur: *Totius orbis Romani caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem, ne turbari ſineret, obſecranda fuit clementia veſtra; inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* A GRATIANI, itaque, Imperatoris temporibus *Aquileïenſis* & *Mediolanenſis* Eccleſiæ, *Romanæ* Sedi fuêre ſubjectæ. Non ita fuerat AMBROSII deceſſor AUXENTIUS, adeóque *Mediolanenſis* Diœceſeos ſubjectio in AMBROSIO cœpit. Continebantur eâ *Liguria* cum *Inſubriâ*, Alpes *Cottiæ* & *Rhætia*; atque ab *Aquileïenſi* illam *Addua* fluvius dividebat. Anno 844 Epiſcopus *Mediolanenſis* à Sede *Romanâ* defecit, ac ſeparatus manſit ducentos ferè annos, ut hunc in modum narrat SIGONIUS (*d*) *Eodem anno* ANGILBERTUS, *Mediolanenſis Archiepiſcopus ab Eccleſiâ Romanâ, parum compertâ de cauſâ, deſcivit, tantúmque exemplo in poſterum valuit, ut non, niſi poſt ducentos annos, Eccleſia Mediolanenſis ad Romanæ obedientiam auctoritatémque redierit.*

Hujus urbis Epiſc. à Rom. poſtea deſcivit, &c.

Etiam

(*a*) Idem lib. 11. Ep. 3. & 4.
(*b*) *Ambroſius*, lib. 3. de Sacramentis, Cap. I.
(*c*) Comment. in 1. Timoth. III.
(*d*) De Regno *Italiæ* Lib. 5.
(*e*) Vid. *Baron.* ann. 433. Sect. 24.

Digitized by Google

Etiam Episcopus Ravennæ, quæ Metropolis *Flaminiæ* est atque *Æmiliæ*, Papæ subjectus fuit. ZOSIMUS enim, A. C. 417. quosdam ex ejus Ecclesiæ Presbyteris Anathemate percussit, atque epistolam monitoriam de iis ad Clericos ejusdem, ut quæ Romanæ pars esset, misit: *In suâ*, inquit, *hoc est, in Ecclesiâ nostrâ Romanâ.* Cùm *Ravennatenses* novum aliquando Episcopum elegissent, ejúsque rei certiorem facerent SIXTUM Pontificem, hic eum loco movit, eique PETRUM *Chrysologum* substituit. Hic, in suâ ad EUTYCHETEM epistolâ, quæ in Actis *Chalcedonensis* Concilii exstat, hunc in modum scripsit: *Nos, pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.* LEO I. Papa, à LEONE, Ravennæ Episcopo, de quibusdam quæstionibus consultus, ipsi decretoriâ epistolâ respondit A. C. 451. Et GREGORIUS M. (a) JOANNEM, Episcopum Ravennæ, reprehendens circa usum Pallii, mentionem ipsi facit præcepti unius ex suis decessoribus, JOANNIS Papæ, quo statuebatur, omnia privilegia olim Episcopo & Ecclesiæ *Ravennatensi* concessa, observanda fore. Ad hæc JOANNES supplex responsum dedit; ac post ipsius mortem GREGORIUS visitationem *Ravennatensis* Ecclesiæ jussit, privilegia illi antea concessa confirmavit, suúmque, ut veteri ex more, Pallium ad novum ejus loci Episcopum MARINIANUM misit. Attamen & hæc Ecclesia aliquando à *Romanâ* descivit, deinde verò ad ipsius obedientiam rediit.

Undecimi cornu potestas. Etiam Episc. Ravennas Romano erat subjectus.

Reliquæ partes *Italiæ*, cum adjacentibus Insulis, scilicet suburbanæ plagæ, sive decem Provinciæ, quæ temporario suberant Vicario Romæ, scilicet *Campania*[1], *Tuscia*[2] & *Umbria*[3], *Picenum suburbicarium*[4], *Sicilia*[5], *Apulia*[6] & *Calabria*[7], *Brutii*[8] & *Lucania*[9], *Samnium*[10], *Sardinia*, *Corsica*, & *Valeria*, propriam Episcopi *Romani* Provinciam constituebant. Concilium enim *Nicænum*, quinto suo Canone, statuit Concilia singulis annis Vere & Autumno in singulis habitum iri Provinciis; atque ex eo Canone hujus Provinciæ Episcopi Romæ singulis semestribus conveniebant. Hoc

Reliquæ Italiæ partes &c. propriam Episc. Rom. Provinciam constituebant.

(a) *Gregorius* M. Libr. 3. Epist. 56. 57. & Lib. 5. Epist. 25. 26. 56.

Digitized by Google

CAP. VIII. sensu illum Canonem LEO I. Pontifex Romæ adplicavit in epistolâ decretoriâ ad *Siciliæ* Episcopos, ALYPIO & ARDABURE *Coss.* scriptâ, A. C. 447. *Quia saluberrimè*, inquit, *à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam æterno Concilio sociandi occurrant. Et indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur, quoniam, adjuvante Dei gratiâ, facilius poterit provideri ut in Ecclesiis* CHRISTI *nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram Apostolo* PETRO *semper in communione tractatum fuerit, ut omnia Canonum decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* Provincia sive Diœcesis *Romana*, itaque, *Siciliam* & tantum *Italiæ* nec non finitimarum insularum complectebatur, quantum ad annua Romam Concilia mittebat Episcopos; non autem in *Ravennatensem* Provinciam, neque *Mediolanensem*, neque *Arelatensem*, neque alias, excurrebat: hisce enim propria sua Concilia. Episcopi in singulis sub *Romano* Imperio Provinciis in Concilium convocabantur à suo Metropolitano, sive Provinciæ suæ Metropoleos Episcopo, atque hic ei Concilio præsidebat: Episcopus autem *Romanus* non tantùm in suo præsidebat ex Suburbanarum Regionum Episcopis Concilio, sed & omnium aliarum in Occidentis Imperio Provinciarum Metropolitis leges dabat, ut Universalis omnium Moderator: quod ulterius è sequentibus exemplis intelligere licet.

Episc. Rom. omnium in Imperio Occ. Provinciarum Episcopis Metropol. leges dabat.

ZOSIMUS Pontifex, A. C. 417. PROCULUM, *Massiliæ* Episcopum, vocavit ut se coram Concilio quodam Romæ sisteret, propter illegitimas ordinationes; eúmque damnavit, ut in variis epistolis suis testatur. BONIFACIUS I, A. C. 419, cùm Clerici urbis *Valentiæ* de MAXIMO, Episcopo quodam, essent conquesti, omnis *Galliæ* ac septem Provinciarum Episcopos in Concilium adversùs hunc habendum evocavit, aítque, in epistolâ suâ, idem feciísse suos decessores. LEO I universale omnium *Hispaniæ* Provinciarum Concilium in *Gallæciâ* coëgit, adversùs *Manichæos* & *Priscillianistas*, ut & ipse testatur in decretoriâ ad TURRIBIUM, Episcopum *Hispanum*, epistolâ. In quâdam etiam ex ejusmodi suis epistolis ad NICETAM, *Aquileïensem* Episcopum, huic jubet ut Concilium Episcoporum ejus Provin-

Digitized by Google

Provinciæ adversùs *Pelagianos* cogat, quo rata fierent omnia decreta Synodalia contra hanc hæresin, jam à *Romanâ* Sede confirmata. In decretoriis ad ANASTASIUM, *Thessalonicensem* Episcopum, litteris, jussit hunc duo quotannis Provincialia Concilia habere, difficiliorésque causas ad *Romanam* Sedem deferre: Quòd si porrò ob extraordinarias rationes necesse foret Concilium cogere, non molestum fore voluit Episcopis sub ipso constitutis, sed duobus ex singulis Provinciis contentum, nec hos ultra quindecim dies detinere. Iisdem in litteris ita ecclesiastici regiminis tum recepti formam describit, ut in omnium Ecclesiarum Sedi *Romanæ* subjectione eam consistere faciat: *De quâ formâ*, inquit, *Episcoporum quoque est orta distinctio, & magnâ dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem sumerent ampliorem, per quos ad unam* PETRI *Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usque à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse præpositum; sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat; & sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis importabile pondus imponere.* Abundè probant hæc verba monarchicam regiminis formam tum temporis in Occidentis Imperii Ecclesiis sub Romano *Episcopo* introductam, Imperatorio GRATIANI decreto, provocationibúsque & decretoriis epistolis ei superstructis. *Undecimi carna potestas.*

Idem Pontifex LEO, in Concilio Romæ habito damnato HILARIO, Episcopo *Arelatensi*, propter ea, quæ hic Provinciali in *Galliâ* Concilio egerat, ex eo occasionem arripuit, ad magis absolutè suæ Sedis in omnes Occidentis Imperii Ecclesias auctoritatem stabiliendam, hoc, quod sequitur, edictum à VALENTINIANO III, Occidentis Imperatore, comparandi. Leo I. edictum ab Imp. *Valent.* III. comparat, quo Sedis Rom. potentia stabilitur.

Impp. THEODOSIUS & VALENTINIANUS *A. A.* ÆTIO, *viro illustri, Comiti, & Magistro Utriusque Militiæ, & Patricio.*

Certum est & nobis & Imperio nostro unicum esse præsidium in supernæ Divinitatis favore, ad quem promerendum præcipuè Christiana fides & veneranda nobis Religio suffragatur. Cùm igitur Sedis Apostolicæ Primatum sancti PETRI *meritum, qui princeps est Episcopalis coro-*

CAP. VIII. *coronæ & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam Synodi firmavit auctoritas: nequid præter auctoritatem Sedis ejus illicitum præſumtio attemperare nitatur: tunc enim demum Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat Univerſitas. Hæc cùm hactenus inviolabiliter fuerint cuſtodita;* HILARIUS *Arelatenſis, ſicut venerabilis viri* LEONIS, *Romani Papæ, fideli relatione comperimus, contumaci auſu illicita quædam præſumenda tentavit, & ideo Transalpinas Eccleſias abominabilis tumultus invaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum.* HILARIUS, *enim, qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ urbis inconſulto Pontifice indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſolâ temeritate uſurpans invaſit. Nam, alios incompetenter removit; indecenter alios, invitis & repugnantibus civibus, ordinavit. Qui quidem, quoniam non facilè ab his, qui non elegerant, recipiebantur; manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis, pacem prædicaturus (a), per bella ducebat. His talibus contra Imperii majeſtatem & contra reverentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem religioſi viri, Urbis Papæ, cognitione diſcuſſis, certa in eum, ex his quos malè ordinaverat, lata ſententia eſt. Erat quidem ipſa ſententia per Gallias, etiam ſine Imperiali Sanctione, valitura: quid enim Pontificis auctoritate non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit. Nec ulteriùs vel* HILARIO, *quem adhuc Epiſcopum nuncupare ſola manſueta Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obviare: auſibus enim talibus fides & reverentia noſtri violatur Imperii. Nec hoc ſolùm, quod eſt maximi criminis, ſubmovemus: verùm, ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo loco minui Religionis diſciplina videatur, hoc perenni Sanctione diſcernimus; nequid, tam Epiſcopis Gallicanis quàm aliarum Provinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat, ſine viri venerabilis, Papæ Urbis æternæ, auctoritate tentare: Sed illis omnibúſque pro lege ſit quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas: ita ut quisquis Epiſcoporum, ad Judicium Romani Antitiſtis evocatus, venire neglexerit, per Modera-*

(a) (Nonne legendum *prædicaturos*?

Digitized by Google

Moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſervatis, quæ Divi parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt, ÆTI, *pater cariſſime Auguſti. Unde illuſtris & præclara magnificentia tua, præſentis Edictalis Legis auctoritate, faciet quæ ſunt ſuperiùs ſtatuta ſervari, decem librarum auri multâ protinus exigendâ ab unoquoque Judice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari. Divinitas te ſervet per multos annos, parens cariſſime. Dat. 8. Id. Jun. Romæ*, VALENTINIANO *A.* VI. *Conſule*, *A. C.* 445. Hoc edicto VALENTINIANUS abſolutam *Romani* Epiſcopi voluntati obedientiam omnibus per ſuum Imperium Eccleſiis injungit, declarátque Epiſcopos aliquid ſine auctoritate Papæ tentare, contra veterem eſſe conſuetudinem (*a*); nec non Epiſcopos ad ejus Judicium evocatos, per Moderatorem Provinciæ, ut adſint, eſſe cogendos; hæc, denique, Sedis *Romanæ* privilegia à conceſſione majorum ſuorum defunctorum repetit, id eſt, ab edicto GRATIANI & VALENTINIANI II, de quo ſupra: ex quâ computatione *Romanæ* Eccleſiæ dominium jam annos 66 fteterat. Et, ſi per omne illud tempus nondum ſatìs ſtabilitum fuiſſet, ſufficiebat novum hoc edictum ad illud in omni Occidentis Imperio extra dubium ponendum. *Undecimi Cornu teſtat.*

Hinc omnes *Arelatenſis* Provinciæ Epiſcopi, in ſuis ad LEONEM papam A. C. 450 miſſis litteris, reſtitutionem privilegiorum Metropolitani ſui petentes, ajunt: *Per beatum* PETRUM, *Apoſtolorum principem, ſacroſancta Eccleſia Romana tenebat ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum.* Et CERATIUS, SALONIUS, ac VERANUS, Epiſcopi *Galli*, in litteris ad eumdem, ſic loquuntur: *Magnâ præterea & ineffabili quâdam nos peculiares tui gratulatione ſuccreſcimus, quòd illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conventicula celebratur, ut verè conſona omnium ſententia declaretur; meritò illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, unde adhuc Apoſtolici ſpiritûs oracula referentur.* Nec non ipſe LEO in epiſtolâ ad Metropolitanos per *Illyricum* Epiſcopos (*b*): *Quia per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur,* *Unde & agnita illa à quibus antea non item,*

(*a*) (Verba illa edicti tantùm ſignificare videntur, ne ipſis liceat ſine auctoritate Papæ aliquid tentare quod ſit contra veterem conſuetudinem.)

(*b*) Epiſt. 25. apud *Holſtenium.*

CAP. VIII. *exigente hoc à nobis Domino, qui Apoſtolicæ dignitatis beatiſſimo Apoſtolo* PETRO *primatum, fidei ſuæ remuneratione, commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens.*

Ulterior ejuſdem dominii amplificatio.

Dum hoc dominium Eccleſiaſticum exſurgeret, Barbaræ è Septemtrione Gentes Occidentis Imperium invaſerunt, in eóque varia condiderunt diverſæ à *Romanæ* Eccleſiæ Religionis Regna. Hæc autem pedetentim *Romanam* Religionem amplexa ſunt, ac ſimul auctoritati Papæ ſeſe ſubmiſerunt. *Franci* in *Galliâ* eò venerunt in fine Sæculi quinti, *Gothi* in *Hiſpaniâ* in fine ſexti, *Longobardi* autem in *Italiâ* à CAROLO M. ſunt devicti A. C. 774. Annis, qui inter 775 & 794 interceſſerunt, idem CAROLUS in omnem *Germaniam* & *Hungariam*, ad flumen uſque Tibeſin & mare Balticum, auctoritatem Papæ extendit; eodem tempore illum ſupra omnem humanam juriſdictionem evexit, eíque in ſubigendis *Romanâ* civitate & Ducatu auxilio fuit. Converſione decem Regnorum ad Religionem *Romanam*, in rebus tantummodo ſacris auctum eſt Pontificis dominium, nondum verò is ut cornu beſtiæ exſurrexit. Dominio ipſius in rebus politicis factum ut unum ex his cornibus evaſerit. Atque hoc quidem ſibi comparavit mediâ poſteriori parte Sæculi octavi, tria è prioribus cornibus ſubigendo, ut ſupra dictum (*a*). Et jam in civilibus quoque rebus nactus dominium, omnémque ſupra humanam juriſdictionem elatus, *torviori, quàm cetera, adſpectu* regnavit, *& tempora & leges* ex hoc *in ipſius poteſtatem ſunt tradita, ad tempus, tempora, & dimidium temporis*, ſive tria tempora & dimidium, id eſt milleducentos & ſexaginta annos ſolares; *tempore* pro anno 360 dierum computato, & die pro anno ſolari: Poſt quos *Judicium ſedebit & Dominium ejus auferetur*, non ſimul omne, ſed gradatim, *ut conſumatur & perdatur uſque ad finem. Et Regnum & Dominium & amplitudo Regni, quod eſt ſub toto cœlo*, gradatim *dabitur populo ſanctorum Altiſſimi, cujus Regnum eſt Regnum ſempiternum, & omnes illi ſervient atque obedient Dominatus* (*b*).

(*a*) Cap. præcedenti. (*b*) Dan. VII. 26. 27.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT NONUM.

De regnis apud DANIELEM *repræsentatis Ariete & Hirco.*

Quænam regna & quomodo illa Ariete & Hirco repræsententur ?

SEcundum & tertium Imperium, Ursо & Pardo repræsentata, denuò repræsentantur Ariete & Hirco; attamen hoc discrimine, quòd Aries *Medorum Persarúm*que Regna à quatuor Imperiorum initio designet, Hircus autem Regnum *Græciæ* ad ipsorum finem. Eo fit, ut typo Arietis & Hirci omnium quatuor Imperiorum tempora describantur. *Tum, sublatis oculis*, inquit DANIEL (*a*), *adspexi*; *atque, ecce, ante flumen*, Ulæum, nempe, *stabat Aries bicornis, & altum erat utrumque ejus cornu*; *unum* tamen *altius altero, & illud* quidem *postremo loco enatum est.* Et deinde (*b*): *Aries bicornis* ——— *sunt Reges Mediæ & Persidis*; non personæ duæ, verùm duo Regna, *Medorum* scilicet atque *Persarum*, è quibus hoc erat, quod altius illo & postremo loco succrevit, cornu. Exortum est *Persarum* Regnum, cùm CYRUS, expugnatâ nuper *Babylone*, à DARIO *Medo* (*c*) defecit, eum prælio vicit ad *Pasargadas*, ac *Persas* supra *Medos* evexit: Quod verò primo loco succrevit cornu, *Medorum* significabat Regnum, ex quo tempore CYAXARES ac NABUCHODONOSORUS *Niniven* everterunt, atque

(*a*) Cap VIII. 3.

(*b*) vs. 10.

(*c*) (Qui *Herodotum* vel *Justinum* legerunt, credent Nostro *Astyagem*, *Medorum* Regem, avum *Cyri* maternum, pro eo haberi, quem *Daniel Darium Medum* nuncupat: verùm longè aliter se res habet. Vult, enim, in postumâ *de veterum Chronologiâ dissertatione, Cap. IV*, (pag. 220 hujus), *Astyagi* successisse *Cyaxarem II*; (atque id quidem rectiss imè,) huic autem filium nomine *Darium*, *Cyri* consobrinum & levirum, déque hoc victoriam retulisse *Cyrum* ad *Pasargadas*, quod *Herodotus* de *Astyage* factum narrat. Alia verò omnia de hisce *Xenophon*. Rectiùs sentire videntur qui *Cyaxarem II*, pro *Dario Medo* habent. Videatur, Anglica intelligentibus, Doctiss. *Prideaux*, Tom. II. Hist. *Judæorum* &c. Libro II, & ad eum, Belgicæ linguæ gnaris, Doctiss *Driebe-ge*. Videatur tamen & *Marshamus*, in Canone Chronico, ad Sæc. XVIII, aliter sentiens.

Digitized by Google

CAP. IX. que inter se *Assyriorum* Imperium partiti sunt (*a*). *Medorum*, itaque, & *Babyloniorum* Imperia tempore æqualia fuêre, ac simul, *Assyrici* Imperii occasu, sunt exorta. Altero ex his incipit illud, quod est de quatuor bestiis, altero, quod est de Ariete & Hirco vaticinium. Regno magni, quod Hirco primùm erat, cornu, & quatuor cornuum, quæ illi successerunt, denotatur hoc Imperium quamdiu Regnum Pardi duravit: Regno autem parvi ejus cornu, quod ad finem vergente Regno quatuor cornuum enatum est, ac, postquam hæc ceciderunt, potens evasit viribus non suis, idem designatur durante quartæ bestiæ Imperio.

Primum Hirci cornu est regnum *Alexandri* M. ejúsque fratris ac filiorum.

Hircus villosus, inquit DANIEL (*b*), *Rex*, id est Regnum, *Græcorum est*, *& grande*, *quod inter oculos ejus est*, *cornu*, est Rex primus: non primus Monarcha, sed primum Regnum; id, scilicet, quod stetit regnante ALEXANDRO Magno, ejúsque fratre ARIDÆO, ac duobus filiis adolescentibus ALEXANDRO & HER-

(*a*) (Et hìc & supra Cap. III. *Nabuchodonosori* nomine, quod ex Græco-Barbaro Latinum est, potius quam *Nebucadnezzari*, quod habet Noster, usi sumus, cùm & LXX qui vocantur, Græcè, & alii Latinè, illo utantur; præsertim, verò, quia idem occurrit in Libro *Tobiæ* Cap. ult. vs. ult. ubi historiæ, quam hìc Noster memorat, fit mentio. *Nabuchodonosorus* hic filius erat *Nabopolassari*, quem cum *Astyage*, *Medorum* Rege, vel ejus patre *Cyaxare I*, *Niniven* expugnâsse referunt *Alexander Polyhistor* apud *Eusebium* in Chronico pag. 46, & apud *Syncellum* p. 210, atque ex hoc Cl. *Prideaux*, Hist. sæpius citatæ Tom. I. Libr. I. quamvis *Cyaxari* soli illam adscribat *Herodotus*, Libr. I. cap. 106. Noster autem, in Tractatu de Chronologiâ veterum, Cap. III, (pag. 204 hujus) *Nabopolassaro* jam sene & *Astyage* mortuo, ipsorum filios, *Nebuchadnesarum* & *Cyaxarem* II, id fecisse, ut hoc loco, scribit; atque hunc, *Cyaxarum*, *Assuerum* nuncupari quasi *Achsuerum* vel *Axerem*, ut *Cy-* significet *Princeps*, & *Cy-Axeres*, Princeps Axeres: propterea ergo *Darium*, hujus *Cyaxaris*, ut censet, filium (de quo plura in præcedenti annotatione) *Danieli* hoc nomine insignitum statuit, *Dan.* IX. 1. Eodem, quem mox citavimus libro, *Nabuchodonosorum*, cujus meminit liber *Judithæ*, Capp. I & II, eumdem fuisse censet cum *Chyniladano*, penultimo, ut vult, *Assyriorum* Rege, à quo defecerit *Nabopolassarus*. Censet Cl. *Prideaux*, loco citato, nomen *Nabuchodonosori* omnibus *Assyriæ* Regibus fuisse commune, perinde ut nomen *Pharaonis* Regibus *Ægypti*; aft in libro *Judithæ* illo nomine *Saosduchenum*, qui pater fuit & decessor *Chyniladani*, insignitum credit. Hæc omnia examinare non est hujus loci. Et tamen eorumdem monere Lectores, haud absurdè videbatur.)

(*b*) Cap. VIII. vs. 21, 22.

Digitized by Google

HERCULE. *Quod autem, fracto illo* (cornu,) *ejus loco quatuor enata sunt* (cornua) *quatuor ejus gentis* (Græcorum) *Regna consurgent, verùm non eâdem quâ illud* (primum cornu) *potentiâ.* Quatuor, itaque, cornua quatuor Regna sunt; ac proinde primum, cui successerunt, grande cornu, primum est, illúdque magnum, Imperium *Græcorum*; illud, nempe, quod ALEXANDER Magnus condidit anno Æræ NABONAS. 414; quod stetit usque ad mortem filii ipsius HERCULIS, anno ejusdem Æræ 441. Quatuor autem Regna sunt CASSANDRI, LYSIMACHI, ANTIGONI, & PTOLEMÆI, ut supra dictum (*a*).

Aries & Hircus.

Quæ illi successerunt quatuor sunt regna in quæ illud divisum.

Pergit DANIEL (*b*): *postremis Regni ipsorum temporibus, cùm impii ad summum impietatis evaserint, exsurget Rex* (sive novum Regnum) *ferox facie & obscuras propositiones intelligens: & ingens erit ipsius potentia, verùm non propriis sibi viribus.* Hic Rex postremum fuit Hirci cornu, quod ex uno quatuor ipsius cornuum enatum est ac valde magnum evasit. Postrema horum tempora fuerunt illa, quibus Romani ea debellare occœperunt, scilicet, cùm hi subegerunt PERSEA, Regem *Macedoniæ*, quâ ex Provinciâ *Græcorum* Imperium primùm ortum duxerat. Atque eo quidem tempore ad summum evaserat impietas. Quippe, tum Pontificatus Maximus apud *Judæos* venum exponebatur, vasa Templi vendebantur, ut inde argentum pro eo munere pendendum, conficeretur; denique Pontifex Maximus, cum quibusdam è *Judæis*, veniam sibi ab ANTIOCHO *Epiphane* comparavit ad vivendum Gentium idololatrarum institutis, scholámque, ubi ea docerentur instituta, *Hierosolymis* condidit (*c*). Tum ANTIOCHUS armatâ manu *Hierosolymas* cepit, *Judæorum* quatuor millia occidit, parem captivorum nactus numerum vendidit, Templum diripuit, cultum Dei vetuit, legem MOSIS jussit comburi, ac idolorum, quæ aliæ colebant Gentes, cultum in omni *Judæâ* introduxit. Eodem anno, Æræ NABONASS. 580, *Romani* subegerunt *Macedoniam*, præcipuum è quatuor, quæ totidem cornibus significabantur, Regnum. Hactenus suis viribus potens fuerat Hircus, ex hoc verò tempore

De parvo Cornu.

(*a*) [Cap. IV med.]
(*b*) Ubi supra, vs. 23. 24.
(*c*) [1 Macchab. I. 14. 16. 2 Macch. IV. 7. 15. 19. 23. 28. 32.]

Digitized by Google

CAP. IX. sub *Romanis* esse cœpit. Distinguit DANIEL tempora, exactissimè descriptis Regum, ut ipsos vocat, *Septemtrionis* & *Austri* rebus gestis, qui Reges, quidem, erant illa duo è quatuor cornibus, quæ *Judææ* erant contermina, donec *Romani Macedoniam* deviciſſent; deinde autem majores tantùm rerum mutationes, quæ inter Gentes Hirco repræsentatas evenerunt, memorat. Hac postremâ temporis periodo exsurrecturum erat parvum cornu, ac potens evasurum, verumtamen viribus non suis. Singulis tribus prioribus apud DANIELEM bestiis protinus à sequentis ortu dominium ablatum est, vitæ tamen tempus productum, unde ad hunc usque diem omnes vivæ permanent. (*a*). Tertia ex iis, Pardus, in quatuor suis capitibus regnavit donec quarta, *Latinorum* Imperium, exoriretur; atque illius, sub horum potestate, vita producta est. Pardus hic, in quatuor suis capitibus regnans, idem quod Hircus regnans in suis cornibus, significat: adeóque hic in suis cornibus regnavit usque ad quartæ apud Profetam bestiæ, scilicet Imperii *Romani*, exortum. Ab hisce tum ipsi potestas ablata est, vita autem sub eorum potestate producta. *Romani* in Gentibus Hirco, hoc vaticinio, repræsentatis non continentur: tantùm dominii ipsorum in *Græcos* fit mentio, ut distinguantur tempora, quibus potens Hircus erat suis, ab iis, quibus non suis viribus erat potens. Suis viribus potens erat donec ab ipso *Latini* dominium auferrent; postea sub ipsorum imperio ei producta est vita, atque hæc ejus vitæ productio ultimi ex ejus cornibus temporibus contigit. Tum enim Hircus, non suis autem viribus, potens evasit.

Parvum cornu est regnum Macedoniæ, postquam Romanis subjectum.

Quandoquidem, ergo, hoc cornu fuit cornu Hirci, quærendum illud nobis inter eas Gentes, è quibus Hirci corpus constitit. Has inter exsurrecturum erat ac potens evasurum. Evasit potens *versùs Austrum & versùs Orientem, & versùs Regionem amœnam* (*b*). Surrecturum, itaque, erat, in iis earum Gentium plagis, quæ Occidentem inter & Septemtrionem erant sitæ, atque *Ægyptum* versùs & *Syriam* & *Judæam* Imperium suum extensurum. Postremis imperii quatuor cornuum temporibus, ex uno horum exoriturum erat; ceteráque subacturum, at non suis viribus: adjuvandum erat viribus

(*a*) [Vide quæ diximus ad pag. 301.] (*b*) Dan. ubi supra, vs. 9.

Digitized by Google

viribus externis, iisque majoribus, quàm essent suæ; viribus, nempe, illis, quæ tertiæ bestiæ dominium abstuliſſent, viribus bestiæ quartæ. Atque ejusmodi parvum cornu fuit Regnum *Macedoniæ*, ex quo *Romanis* fuit subjectum. Hoc, scilicet, victoriâ à *Romanis* de PERSEO, *Macedoniæ* Rege, relatâ, anno Æræ NABONASS. 580, unum è quatuor cornibus esse desiit, novíque generis Imperium evasit. Non tamen quartæ bestiæ evasit cornu, *Macedonia* quippe ad corpus tertiæ pertinebat; verùm cornu tertiæ; sed novi generis; cornu Hirci, quod potens non suis viribus factum; cornu, quod sub externo Imperio, nempe *Romanorum*, exsurrexit & potentiam adquisivit (*a*) *Aries & Hircus*

Anno Æræ NABONASSARI 615 *Romani*, legato ATTALI, postremi Regis *Pergami*, hæreditario jure eo Regno, quod omnem *minorem Asiam* cis *Taurum* montem complectebatur, potiti sunt. Ejusdem Æræ annis 684 & 685 iidem *Armeniam*, *Syriam*, ac *Judæam* subegerunt. Ejusdem anno 718 *Ægyptum*. Atque hisce victoriis cornu illud parvum *grande evasit versùs Meridiem & versùs Orientem & versùs Regionem amœnam. Et factum est ingens, crevítque etiam ad exercitum cœli, atque ex hoc & quasdam è stellis, dejecit, ac proculcavit*, nempe populum & Principes *Judæorum*. *Imò & usque ad Principem exercitûs*, Messiam, Principem *Judæorum*, quem interfecit anno NABONASSARI 780, *sese extulit, eóque auctore sublatum est juge sacrificium & locus sacrarii ejus dejectus*, scilicet, bellis quæ Orientalium Gentium exercitus, *Romanis* ducibus, cum *Judæis* gesserunt, imperantibus NERONE & VESPASIANO, annis NABONASS. 816 818.. *Exercitúsque ipsi datus est adversùs juge sacrificium, propter peccatum* (*b*), *& veritatem in terram prostravit, & fecit, & egit prosperè* (*c*). Peccatum hoc sequenti versu dicitur *peccatum desolationis*: Capite verò XI (*d*) *abominatio desolans*, & Matth. XXIV (*e*) *abominatio desolationis, de qua loquutus est* DANIEL, *stans*

(*a*) [ad hæc omnia vide quæ mox notavimus p. 361.]

(*b*) [Angl. *by reason of transgression.* Aſt tum melius peccatum Judæorum intellexeris.]

(*c*) Ibid. vſ. 12. (*d*) Vſ. 31. (*e*) Vſ. 15.

Digitized by Google

CAP. IX. *ſtans in loco ſancto.* Præcipuè hoc referri poſſit ad cultum JOVIS *Olympii* in Æde, quam Templi *Judæorum* loco poſuit Imperator HADRIANUS, atque ortam indè horum, BARCHOCHEBA Duce, defectionem, ad exſcidium denique *Judææ*, quod inſequutum eſt, omnibus *Judæis* patriâ pulſis, atque interdicto ne quis ex ipſis illuc reverteretur, ſub pœnâ mortis (*a*). *Tum audivi*, pergit DANIEL (*b*) *quemdam ſanctum loquentem, atque alius ſanctus loquenti illi ſancto dixit: quàm diuturnum erit viſum de jugi ſacrificio & peccato deſolationis, quo & ſanctus locus & exercitus pedibus proterendi dandi ſunt? Dixitque mihi, uſque ad duo millia dierum & trecentos: tunc expiabitur* (*c*) *locus ſacer* Dies apud DANIELEM ſunt anni (*d*), & hi fortè computandi vel ab exſcidio Templi auctoribus *Romanis*, VESPASIANO imperante, vel à profanato JOVIS *Olympii* cultu loco ſacro, vel ab exſcidio *Judææ*, quod in fine belli *Judaici* contigit, ejectis omnibus ſuâ patriâ *Judæis*, vel ab aliâ quadam re geſtâ, quam tempus docebit. Ex hoc deinde poſtremum Hirci cornu permanſit potens ſub *Romanis*, uſque ad CONSTANTINI Magni ejúſque filiorum imperium: ac tum, *Romani* Imperii inter *Græcos* & *Latinos* partitione, à *Latinis* diſceſſit, ac *Græcum* tantum Imperium evaſit, attamen

(*a*) (Meliùs videtur, cum maximinominis Interpretibus, GROTIO, HAMMONDO, aliiſque, hunc locum de *Romanorum* Idololatrarum excercitibus in agro *Hieroſolymitano*, *Tito* Duce, mox eam urbem capturis, intelligere. Vide ci-

(*b*) Ubi ſupra vſ. 13. 14

(*d*) (Quamvis hoc concedatur, ut omnino concedendum videtur, cùm inſuper etiam ex ſequentibus Noſtri obſervationibus illud perſpicuum ſit; tamen hoc loco anni non videntur intelligendi, cùm non *dies*, ſed *veſpertina ac matutina tempora*, hic legatur, quo & verſu 26 reſpicitur. Ac ſanè de diebus naturalibus tantùm non omnes Interpretes accipiunt, quamvis alii aliâ ratione complementum tatos Auctores. Et ipſe locus *Danielis*, Cap. XI, dato rectè eum de *Romanis* intelligi, (quod ſuo loco, Cap. XII, jam verſùs finem, Noſter probare tendit,) meliùs da *Titi*, quam ad *Hadriani* tempora referri poſſit).

(*c*) (Angl. *be cleanſed.*)

eorum dierum numerent. Omnium tamen veriſſima mihi videtur expoſitio *Cornelii Bertrami*, quam ex *Helvico* citat *Glaſſius* Philol Sacr. Lib. I. Tract. I. Part II. Sect. II. loc. LXXIII. & fuſius legere eſt in *Poli* Synopſi Critic. ad h. l. ſc. veſpertina & matutina ſacrificia, adeoque dies 1150 ſignificari. Vide libros citatos.)

Digitized by Google

men ſub poteſtate Principis ex familiâ *Romanâ*: Hodie, autem, adhuc potens eſt ſub Imperio *Turcarum*. *Aries & Hircus.*

Sunt qui poſtremo hoc cornu ANTIOCHUM *Epiphanem* intelligunt, at non magno cum judicio. Cornu beſtiæ numquam ſignificat ſingularem perſonam, ſemper novum Regnum: jam, verò, ANTIOCHI Regnum vetus fuit. Imperavit hic uni è quatuor cornibus; parvum, autem, cornu erat quintum, propriis ſubjectum Regibus. Cornu hoc primùm erat parvum, ac valde magnum evaſit; non ita ANTIOCHUS. Ingens præ omnibus prioribus fuiſſe hoc cornibus deſcribitur; quod de ANTIOCHO dici non poteſt. Hujus Regnum, è contra, infirmum erat & vectigale *Romanis*, nec ille id auxit. Cornu illud denotabat *Regem facie ferocem & qui mirabiliter vaſtavit, & egit proſperè, & fecit* (*a*); id eſt, proſperâ in ſuis adverſùs ſanctum populum cœptis fortunâ uſum; ANTIOCHUS autem, unâ *Romanorum* legatione, timore tanto perculſus eſt, ut *Ægypto* fugeret, eúmque poſtea ſuperârunt *Judæi*, atque ejus auſa fruſtrati ſunt. Cornu, de quo agitur, potens erat *viribus non ſuis*, ANTIOCHUS *ſuis* egit. Idem cornu ſeſe extulit adverſùs Principem cœli, Principem Principum; atqui hoc agere non ANTIOCHI, verùm ANTICHRISTI nota eſt. Cornu illud ſacrarium ſolo æquavit, non ſic ANTIOCHUS: is ſuperſtes (*b*) reliquit. Sacrarium atque exercitus pedibus proculcati ſunt bis mille ac trecentos dies, atque in DANIELIS vaticiniis dies pro annis ponuntur; verùm Templi profanatio, ſub Regno ANTIOCHI, non totidem propriè dictos dies duravit. Illa erant duratura uſque ad *tempus finis*, uſque ad ultimum indignationis divinæ in *Judæos* finem; ea verò necdum deſiit. Duratura erant illa donec ſacrarium, quod dejectum eſſet, purgaretur; at necdum ſacrarium purgatum eſt (*c*).

Perperam cornu parvo alii *Antiochum* Epiphanem intelligunt.

(*a*) vſ. 23.

(*b*) *Standing.*

(*c*) (Omnium tantùm non Interpretum eſt ea, quam Noſter hic rejicit, ſententia, validiſque illa nixa rationibus. Etiam *Joſephus* Ant. Libr. X. c. 8. verſùs finem, & XII. c. 11. eamdem tuetur. Ita, verò, ſingula à *Grotio*, *Calvino*. aliiſque, verba explicantur, ut pleriſque ex illis, quas Noſter movet, difficultatibus locus non detur. Ipſam hanc tantam litem inter viros magnos dirimere non eſt noſtrum, nec, etiamſi id nos poſſe ſuſpicaremur, id commodè ſatis hic fieret, cùm adnotationis, etiam prolixioris, limites prætergrediendum eſſet haud parum. Sufficiat in præ-

Digitized by Google

CAP. IX. Vaticinium hoc Cap. XI. repetitur.

Vaticinium de Ariete & Hirco in poſtremo DANIELIS vaticinio repetitur. Ibi dicit Angelus Profetæ *ſe ſtetiſſe* (*a*) *ut* DARIUM *Medum roboraret; ac tales* quidem *adhuc exſurrecturos in Perſide Reges*, (CYRUM, CAMBYSEM & DARIUM HYSTASPIS,) *& quartum* (XERXEM) *longè ſupra omnes opibus ditatum iri, cúmque divitiis invaluerit, omnes adverſùs Regnum Græciæ excitaturum* (*b*). Hæc Arietem reſpiciunt, cujus duo cornua *Mediæ* & *Perſidis* Regna ſignificabant. Deinde pergit cornua Hirci deſcribere *exortu Regis fortis, multâ dominaturi poteſtate, quódque ſibi placuiſſet facturi*, atque eò quòd Regnum ipſius in quatuor minora Regna diffractum ſit, nec ad ipſius nepotes tranſierit. Tum deſcribit res geſtas duorum ex hiſce Regnorum, quæ quidem *Judææ* erant contermina, ſcilicet *Ægypti* & *Syriæ*, Regéſque *Auſtri* & *Aquilonis* hæc nuncupat, quales erant reſpectu ſitûs *Paleſtinæ*; illam, denique, deſcriptionem ad extremum uſque finem imperii horum quatuor, ac tempora ANTIOCHI *Epiphanis*, deducit, cùm ad impietatis ſummum perventum foret. Ab octavo, autem, ANTIOCHI anno, eodem, quo hic Templum *Hieroſolymitanum* profanavit, falſorúmque Deorum cultum in omni *Judæâ* introduxit, *Romani* autem Regnum *Macedoniæ* ſubegêre, deſinit res geſtas Regum Auſtri & Aquilonis deſcribere Angelus Vates, ac res *Græcorum*, ſub *Romanorum* jam imperio degentium, tradere adgreditur; ſcilicet Cap.

ſens obſervâſſe, non levioribus incommodis eam laborare, quam tradit Noſter, quàm illam, quæ ab ipſo impugnatur, explicationem. Durum eſt quæcumque in Imperium *Romanum* poſt expugnatum *Macedoniæ* Regnum quadrant, huic ipſi Regno adſcribere. Neque enim *Romani* ex uno quatuor cornuum ſurrexerunt, & ipſe Noſter eos non in gentibus Hirco denotatis numerandos dixit. Neque illorum eo tempore exortum eſt Imperium. Nec etiam ſecum ipſa ejus ſententia conſiſtere videtur, cùm verba verſu 23. *impietatem ad ſummum perveniſſe*, *Antiochi* temporibus impleta docuerit, ac nihilominus res, quæ tunc eventuræ prædicuntur, ad *Romanorum* Imperatorum *Veſpaſiani* & *Hadriani* tempora referat; immò longè ulteriùs extendat. Durum etiam videtur dicere, *Romanos* occidiſſe Meſſiam, aliud, enim, eſt *Pilatum Romanum*, id fieri juſſiſſe, aliud *Romanos*, id eſt, populum *Romanum*.)

(*a*) Anglica verſio hic habet *ſtood*, ſtetit; *Newtonus ſtood up*, ſurrexit.

(*b*) *Dan.* XI. 1. 2.

Digitized by Google

Cap. XI. 31, (*a*). Quod re verâ illic à quatuor *Græcorum* Regnis ad *Romanos*, *Græcis* imperantes, tranſeat, hinc confirmatur, quod proximè ſubjungit res Chriſtianorum ad *tempus* uſque *finis*, nempe hiſce verbis (*b*): *Et qui intelligent, in populo multos docebunt: attamen cadent gladio, & flammâ, & captivitate, & rapinâ, multos dies: dúmque corruunt, ſublevabuntur auxilio parvulo*, nempe imperante CONSTANTINO Magno, *at plurimi iis adhærebunt diſſimulantes* (*c*): *& intelligentium quidam cadent, ut explorentur, ac liberentur* (*d*) à diſſimulantibus, *útque dealbentur, etiam uſque ad tempus finis.* Paulò, autem, poſt (*e*) *tempus finis*, dicitur eſſe *tempus, tempora, & dimidium temporis*, quo notantur anni, quos ſtetit Imperium poſtremi cornu quartæ apud DANIELEM beſtiæ, iidémque mulieris, beſtiæque, cui illa inſidet, in Apocalypſi (*f*). *Artes & mirum.*

CAPUT DECIMUM.

De vaticinio ſeptuaginta hebdomadum.

VIſum imaginis è quatuor metallis compoſitæ primùm NABUCHODONOSORO, deinde DANIELI per inſomnia oblatum eſt, ac tùm DANIELIS nomen inclareſcere cœpit, ut occulta recludentis (*g*). Viſum quatuor beſtiarum, Filiſque hominis, in nubibus venientis, eidem huic in ſomnis oblatum eſt. Viſum Arietis & Hirci vidit interdiu (*h*), cùm in ripâ eſſet Ulæi fluminis, illúdque ab Angelo fatidico GABRIELE ipſi explicatum fuit. Reſpicit hoc Principem exercitûs, ac Principem Principum. Jam, verò, primo, quo Dan. IX. pars cap. VII & VIII explicantur.

Zz 2 *Baby-*

(*a*) (Cùm in Anglicâ editione hìc ſequatur plus integrâ paginâ, quâ ulteriùs explicatur, quomodo verſ 31 &c. Dan. XI. de *Romanis* accipiendi ſint, eadem, autem, verbotenus habeantur apud Noſtrum, Cap. XII. (quo Dan. Cap. XI. exponit) jam ad finem vergente; ea hic omittenda duximus, cùm non ſint hujus, verùm omnino illius loci.)

(*b*) Vſ. 33. &c.

(*c*) (In Anglicâ verſione eſt *adulationi ur.*)

(*d*) Ibidem habetur *purgentur.*

(*e*) Cap. XII. 7.

(*f*) Cap XII. 6. & XVII.)

(*g*) Eze< XXVIII. 3.

(*h*) Dubium hoc; Fortaſſis etiam fuit ſomnium.)

Digitized by Google

CAP. X *Babyloniis* imperabat DARIUS *Medus*, anno, idem Angelus Vates iterum DANIELI conſpicitur, eique exponit quid *Filio hominis*, *Principe exercitûs*, & *Principe Principum* intelligatur. Vaticinium de Filio hominis, cœli nubibus veniente, ſecundum *Chriſti* adventum reſpicit; illud, quo de Principe exercitûs agitur, ejuſdem adventum primum; atque hoc vaticinium de *Meſſiâ*, quo priora illa explicantur, utrumque reſpicit, ac utriuſque tempora docet.

Partes vaticinii de ſeptuaginta hebdomadibus. Ejuſdem verſio.

Hoc vaticinium, ut reliqua apud DANIELEM omnia, duabus partibus conſtat; introductione, ſcilicet, quâ propriè futura continentur, ejúſque explicatione. Integrum ego hunc in modum verto, atque interpretor.

(a) *Septuaginta hebdomades excisæ* (b) *ſunt ſuper populo tuo & ſuper ſanctâ civitate tuâ, ad finiendam impietatem, ad finem faciendum* (c) *peccatorum, ad expiandam iniquitatem, atque ad ſempiternam juſtitiam adferendam, ad conſummandum Viſum & Profetam* (d), *& ad ungendum Sanctiſſimum.*

Scito etiam atque intelligito, ab exitu mandati ad faciendum reverti, & ad ædificandas Hieroſolymas, uſque ad Unctum (e), *ad Principem, ſeptem fore hebdomadas.*

Sexaginta & duas adhuc hebdomadas revertentur (f), *& platea ædificabitur & murus, at moleſtis temporibus: & poſt τὰς ſexaginta & duas hebdomadas Unctus excindetur & non ipſius erunt* (f); *aſt populus Principis venturi urbem diruet & ſacrarium: & finis ejus erit cum inundatione, & ad finem uſque belli vaſtationes ſunt decretæ.*

Adhuc

(a) Dan. IX. 24.

(b) Hebræa phraſis, à numerandi per inciſuras ratione.

(c) Hebraicè, *ad obſignandum*, id eſt ad finiendum, vel conſummandum: Metaphora à more obſignandi quod abſolutum eſt deſumtâ. Sic Judæi ſupputant, *ad obſignatum Mjchna* - *ad obſignatum Talmud*, id eſt, *ad abſolutum*.

(d) Hebraicè, *Profetam*, non *vaticinium*

(e) Hebr. *Meſſiam*, id eſt Græcè, *Chriſtum*, (Latinè *unctum*) Angliçè (habet Noſter) *the anointed*. Latino potius, (Anglico, ait ille,) utor vocabulo, ut pateat quì hæc priora reſpiciant.

(f) Hieroſolymæ.

Digitized by Google

Adhuc fœdus cum multis confirmabit unam hebdomadem; & dimidio hebdomadis (a) faciet ut ceſſent ſacrificium atque oblatio: & ſuper alam abominationum id devaſtabit, etiam uſque ad conſummationem, & uſque dum id, quod decretum eſt, in devaſtatos ſit effuſum. Septuaginta Hebdomades.

Septuaginta hebdomades excisæ ſunt ſuper populo tuo, & ſuper ſanctâ civitate tuâ, ad finiendam impietatem, &c. Hìc poſitâ pro ſeptem annis hebdomade, anni computantur 490, ex quo diſperſi *Judæi* denuo in corpus populi & in ſanctam civitatem redirent (*b*), uſque ad mortem ac reſurrectionem *Chriſti*, quibus impietas finiretur; & finis fieret peccatis, & expiaretur iniquitas & æterna adferretur juſtitia, atque hoc vaticinium compleretur & Profeta conſummaretur; is, nempe, Profeta, quem exſpectabant *Judæi*; quibus & Sanctiſſimus ungeretur; ille, ſcilicet, qui hinc in ſequentibus vocatur *Unctus*, id eſt *Meſſias*, ſive *Chriſtus*. Eo enim, quod viſi complementum cum peccatorum conjungitur expiatione, finis 490 illorum annorum ad mortem *Chriſti* ſtatuendus. Jam, verò, diſperſi *Judæi* denuo facti ſunt populus & civitas, cùm primùm in Gentem, ſivé corpus politicum, denuo convenêre: atque hoc anno ſeptimo ARTAXERXIS *Longimani* contigit, quo tempore ESDRA cum turbâ *Judæorum* ab exſilio rediit, cultúmque Dei apud ſuos inſtauravit, & juſſu Regis per omnem Regionem creavit Magiſtratus, qui populo jus dicerent, eúmque regerent ex Dei Regíſque legibus. Duo tantùm fuêre *Judæorum* ab exſilio *Babylonico* reditus, alter ZOROBABELE, alter ESDRA duce. In illo tantùm permiſſa iis erat inſtauratio Templi, in hoc primùm denuo corpus politicum, ſive civitas ſub proprio Magiſtratu, evaſêre. ARTAXERXIS *Longimani* Regnum duobus ferè, vel tribus, poſt ſolſtitium æſtivum, menſibus incepit, ejúſque annus 7 in *Olympiadis* 80 annum 3 incidit: hujus autem anni poſtremi menſes, quibus ESDRA *Hieroſolymas* profectus eſt, incidunt in annum *Periodi Julianæ* 4257. Inde computato uſque ad mortem *Chriſti*, ad amuſſim 490 annos reperies. Quòd ſi hanc computationem annis *Judaicis* inſtituas, initio ab autumno ducto, adeóque à primo, poſt-

De ſeptuaginta hebdomadibus, ſimul ſumtis.

(*a*) (Anglicè, *in the half of a week*, non *the week*.) (*b*) Vide Eſai. XXIII. 13.

Digitized by Google

CAP. X. quam ESDRA *Hierosolymas* venerit, autumno incipias, quo tempore ex decreto Regis cœpit agere; incidet mors *Christi* in annum P. J. 4747, qui à *Christo* nato est 34, erúntque hebdomades hebdomades *Judaicæ*, quarum singularum postremus dies, id est annus, erit annus sabbathicus: atque hoc quidem mihi verum videtur. Sin autem mortem *Christi* anno statuas proximè præcedenti, ut vulgò faciunt, annum, quo ESDRA iter fecit, possis addere.

De septem hebdomadibus vs. 25.

Scito etiam & intelligito à promulgatione mandati ad faciendum reverti & ad ædificandas Hierosolymas, usque ad Unctum, ad Principem, septem fore hebdomadas. Prior vaticinii pars primum *Christi* adventum respiciebat, factâ ad ipsius adventum ut Profeta esset, computatione: Hæc, quâ ad ejus adventum ut sit Princeps, sive Rex, fit computatio, secundum ejus adventum respicere videtur. Illic Profeta consummatus est & Sanctissimus unctus: Hìc is, qui unctus erat, venit ut Princeps sit atque imperet. DANIELIS quippe vaticinia ad finem usque mundi protenduntur; víxque in omni Veteri Testamento aliquod de *Christo* exstat vaticinium, quod non, aliquatenus saltem, secundum ejus adventum respiciat. Quòd si plures è veteribus, ut IRENÆUS (*a*), JULIUS *Africanus* (*b*), HIPPOLYTUS *Martyr*, & APOLLINARIS, *Laodiceæ* Episcopus, *dimidium hebdomadis* ad *Antichristi* tempora retulerint; quidni & nobis, eâdem interpretandi licentiâ, *septem hebdomadas*, ad illud tempus referre liceat, quo adventûs *Christi* claritate *Antichristus* est perdendus?

Veterum Profetarum temporibus duos ab exsilio reditus, multum dissimiles exspectabant Judæi.

Veterum Profetarum temporibus, cùm Tribus decem in exsilium abductæ essent, duplicem reditum *Israëlitæ* exspectabant; & priori quidem *Judæos* novum Templum, SALOMONIS Templo impar gloriâ, ædificaturos, donec ejus progeniei tempora completa forent: postea autem ex omnibus exsilii sui locis redituros, *Hierosolymásque* & Templum magnificè instauraturos (*c*). Atque hujus quidem ut civitatis gloria & excellentia describantur, meta-

(*a*) Libro V hæres. c. 25.
(*b*) Apud *Hieronymum* ad h. l.
(*c*) Tobiæ XIV, 4, 5, 6. (scilicet in Græco. In versionibus in linguas vernaculas, nec non *Junii* & *Tremellii*, vs. 6, 7, 8.)

Digitized by Google

metaphoricè illa ex lapidibus pretiosis condita dicitur, *novæque ac cœlestes Hierosolymæ, sancta civitas, Uxor Agni, civitas magni Regis, Urbs, in quam Reges terrarum gloriam & honorem suum conferunt* (a), nuncupatur. Septuaginta Hebdomades.

Cùm, ergo, ejusmodi ab exsilio reditum exspectarent, etiam ante DANIELIS tempora, *Israëlitæ*, non video quâ de causâ illum in suo vaticinio DANIEL omitteret. Hac, igitur, vaticinii parte nondum completâ, non equidem distinctè illam explicare adgrediar, verùm satìs ducam observâsse, quòd, sicuti septuaginta, & sexaginta duæ hebdomades, (de quibus mox,) hebdomades *Judaicæ* fuerunt, quarum singularum postremi dies, id est anni, sunt anni sabbathici; ita septem hebdomadibus Jubilæi contineri circuitum, eásque Jubilæo congruis incipere ac finiri rebus imò ejusmodi ut nullæ accidere queant, propter quas majori jure Jubilæum celebretur: tum & fortè, quoniam mandatum ad revertendum & ad ædificandas *Hierosolymas Messiam* Principem annis 49 præcedit, fore ut ejus mandati causâ non ipsi exsistant *Judæi*, sed aliud quoddam Regnum ipsis amicum, atque illud ipsorum ab exsilio reditum antecedat, eíque occasionem præbeat: Denique, hanc instaurationem *Hierosolymarum*, desertarúmque in *Judæâ* urbium, prædici Mich. VII. 11. Amos IX. 11, 14. Ezek. XXXVI. 33, 35, 36, 38. Esai. LIV. 3, 11, 12. LV. 12. LXI. 4. LXV. 18, 21, 22. & Tobiæ XIV. 5. ac reditum ab exsilio & adventum *Messiæ* Regníque ejus describi Danielis VII. Apoc. XIX. Act. I, Matth. XXIV. Joëlis III. Ezek. XXXVI. XXXVII. Esai. LX. LXII. LXIII. LXV. LXVI. plurimísque aliis Scripturæ locis. Quo autem modo hæc eventura sint ignoro. Tempus interpretetur. Ad alterum horum hoc vaticinium refertur.

Adhuc sexaginta & duas hebdomadas revertentur, & platea ædificabitur & murus, verùm turbulentis temporibus: & post illas sexaginta & duas hebdomadas Messias exscindetur, & non ipsius erunt; sed populus Principis venturi urbem & sacrarium diruet, &c. Prædicto utroque *Christi* adventu, ac postremi eorum computato tempore à *Judæorum* reditu ac *Hierosolymarum* instauratione; ne de instauratione auspiciis NEHEMIÆ factâ hoc intelligere- De sexaginta & duabus hebdomadibus.

(a) Ibid XIII., 16. 17, 18, (in Græco. In versionibus citatis vs. 17. 20.) Esai. LIV. 11, 12. Apoc. XXI. 10. &c. ad finem usque.

Digitized by Google

CAP. X. Eæ primi adventûs *Christi* tempus respiciunt.

geretur, hanc ab illâ distinguit, dicens ab hac ad Unctum fore non septem, verùm sexaginta duas hebdomadas, eásque non prospero sed turbulento tempore; porrò in harum hebdomadum fine *Messiam* non *Judæorum* Principem, sed exscindendum fore, *Hierosolymásque* non ipsius futuras, sed urbem & sacrarium dirutum iri. Jam, verò, NEHEMIAS *Hierosolymas* venit vigesimo anno ejusdem, quem supra nominavimus, ARTAXERXIS, dum adhuc maneret illic ESDRA (*a*), urbémque etiam tum vastatam reperit, necdum domos murúmve instauratos (*b*). Deinde muri instaurationem ad finem perduxit 25 mensis *Elul* (*c*), vigesimo octavo illius Regis anno, id est, mense *Septembri*, anno Periodi Julianæ 4278. Inde si sexaginta duas annorum hebdomadas, sive 434 annos, numeres, incidet computationis finis in annum P. J. 4712, qui est annus nati *Christi*, secundùm CLEMENTEM *Alexandrinum*, IRENÆUM, EUSEBIUM, EPIPHANIUM, HIERONYMUM, OROSIUM, CASSIODORUM, aliósque è veteribus; atque hæc universalis fuit omnium sententia, donec DIONYSIUS *Exiguus* vulgarem computum inveniret, quo *Christi* natales duobus pòst annis statuuntur. Quòd si verò, ut nonnulli faciunt, *Christum* natum statuas tribus vel quatuor ante vulgarem Æram annis, tamen in postremam ultimæ hebdomadis partem ejus natales incident, quod satis. Quomodo autem post has hebdomadas *Christus* exscisus, atque urbs & sacrarium à *Romanis* deleta sint, abunde notum est.

De unâ hebdomade.

Adhuc confirmabit cum multis fœdus unam hebdomadem. Stetit fœdere *Christus* etiam postquam mortuus fuerat, usque ad rejectionem *Judæorum*, vocationémque CORNELII Gentiúmque alienigenarum, anno à passione suâ septimo.

De hebdomadis dimidio.

Et dimidio hebdomadis faciet ut sacrificium & oblatio cessent; bello, nempe, *Romanorum* cum *Judæis*, quod, post motus quosdam, cœpit anno 13 NERONIS, A. C. 67, Vere, cùm VESPASIANUS cum exercitu eos adortus est; ac desiit altero VESPASIANI, jam principis, anno, qui à C. fuit 70, autumno, die

(*a*) Nehem. XII. 36. (*b*) Ibid II, 17. VII. 4. (*c*) VI. 15.

Digitized by Google

die ſeptimo Septembris, cùm TITUS *Hieroſolymas* caperet, incenſo, 27 diebus antè, Templo: ita ut tres annos & dimidium duraverit. *Septuaginta Hebdomades.*

Et ſuper (*a*) *alam abominationum faciet vaſtationem, etiam ad conſummationem, & donec id, quod decretum eſt, effuſum ſit in devaſtatos.* Profetæ, cùm Regna beſtiarum aviúmve nominibus deſcribunt, ipſarum alas, ſuper Regionem aliquam expanſas, ponunt pro earum Regionum exercitibus, ad invadendas & ſub imperio retinendas illas Regiones miſſis. Hinc *ala abominationum* eſt exercitus falſorum Deorum: abominatio quippe in Scripturâ ſæpe pro Deo falſo ponitur; exempli gratiâ, ubi *Camos* vocatur *abominatio Moabitarum*, & *Molech abominatio poſterorum Ammonis* (*b*). Senſus, itaque, eſt, populum venturi Principis ſacrarium diruturum, quotidianúmque veri Dei cultum aboliturum, & in terram exercitum falſorum Deorum irrupturum, eorúmque tandem dominium & cultum introducentem, vaſtationis cauſam *Judæis* exſtiturum, donec idololatrarum quoque Gentium tempora completa ſint. Enim verò etiam *Chriſtus* nos docet *abominationem deſolationis, de quâ loquutus fuerat* DANIEL, Imperii *Romani* temporibus introductum iri (*c*). De alâ abominationum.

Ita, ergo, in brevi hoc vaticinio prædictionem habemus præcipuarum omnium, quæ *Meſſiæ* adventum reſpiciunt, temporis periodorum. Tempus hinc nobis patet natalium ipſius; tempus mortis; tempus quo rejiciendi eſſent *Judæi*; tempus, quod duravit bellum *Judaicum*, quo factum ut urbs & ſacrarium diruerentur; ac tempus, denique, adventûs *Chriſti* alterius. Atque ita hæc, quam tradidimus, explicatio, plenior eſt ac magis abſoluta & adæquata ſcopo, quàm ſi vaticinium hoc ad primum tantùm *Chriſti* adventum referre ſimus contenti, ut vulgò ab Interpretibus fieri videmus. Ita etiam non neceſſe habemus vim facere ſtylo Profetæ, quod fit ſi ſeptem hebdomades & ſexaginta duæ hebdomades in unum numerum conjungantur. Ea ſi Profetæ fuiſſet mens, dixiſſet procul Quibus in rebus explicatio ſupra tradita aliorum explicationibus præſtet.

(*a*) [*Upon*, ut ſupra. Videtur autem hæc vocula Noſtro hic idem ſignificare ac *with* vel *by*, id eſt, cum: ut ſenſus ſit, *alâ abominationum*. Aliàs dicere ſtatuendus eſſet exercitum falſorum Deorum vaſtandum fore, quod non vult.]

(*b*) I. Reg. XI. 7.

(*c*) Matth. XXIV. 15.

Digitized by Google

CAP. X. dubio, *ſexaginta & novem hebdomades*, non verò, *ſeptem hebdomades & ſexaginta duæ hebdomades*, quæ computandi ratio nulli umquam populo in uſu fuit. Noſtrâ ſupputandi ratione anni ſunt *Judaici*, anni luni-ſolares (*a*), ut eſſe eos oportet; ac ſeptuaginta annorum hebdomades, hebdomades ſunt *Judaicæ*, quarum ſingulæ anno ſabbathico finiuntur, quod notatu digniſſimum. Finiuntur enim vel anno, quo *Chriſtus* natus eſt, duobus ante Æram vulgarem annis; vel anno, quo eſt mortuus; vel ſeptimo ab ejus morte anno; qui omnes anni ſunt ſabbathici. Alii, vel lunaribus annis, vel non *Judaicis* hebdomadibus, computant, &, quod pejus, erroneæ Chronologiæ ſuas interpretationes ſuperſtruunt, excepto FUNCCIO, cujus de ſeptuaginta hebdomadibus eadem eſt quæ noſtra ſententia. Illi enim ESDRÆ & NEHEMIÆ res geſtas ſtatuunt regnante ARTAXERXE *Mnemone*, Templique inſtaurationem regnante DARIO *Notho*, inque hebdomadum apud DANIELEM computatione ab utriuſque hujus Regis temporibus ordiuntur.

Funda-

(*a*) Vetus annus ſolaris Orientalium gentium 12 menſibus conſtabat, ſinguli autem menſes diebus 30; atque hinc orta eſt circuli in 360 gradus diviſio. Hoc anno uſus videtur *Moſes* in hiſtoriâ Diluvii, atque in ſuâ Apocalypſi *Joannes*, cui *tempus*, *tempora*, *& dimidium temporis*, 42 *menſes*, & 1260 *dies*, pro eâdem temporis orbitâ ponuntur. Verùm ubi multi ex ejuſmodi annis ſimul computantur, dierum, qui deſunt, atque in fine horum annorum ſolebant addi, habenda ratio. *Ægyptii*, enim, fini hujus anni quinque dies adjiciebant, atque idem factitabant *Chaldæi*, diu ante *Danielis* tempora, ut ex Ærâ *Nabonaſari* liquet. Etiam *Magi Perſæ* eodem anno 365 dierum uſi ſunt, uſque ad *Arabum* Imperium. Veteres quoque *Græci* eodem ſolari anno 12 menſium æqualium, ſive 360 dierum utebantur, aſt altero quoque anno menſem intercalarem ei adjiciebant, qui alternis vicibus nunc 10 nunc 11 diebus conſtabat.

Judæorum annus, jam ab exitu ipſorum ex *Ægypto*, fuit luni-ſolaris. Solaris fuit, namque meſſis ſemper Paſcha ſequebatur, & agrorum fructus ante feſtum Tabernaculorum ſemper colligebantur, Levitic. XXIII. Menſes autem lunares erant; populo, enim, à *Moſe* mandatum eſt, ut cujuſque menſis initio tubâ caneretur, ac ſacrificia & libamina offerrentur: Num. X. 10. XXVIII. 11, 14; atque inde hæc noviluniis facere ſolenne fuit: vide Pſ. LXXXI. 3. 5. 1. Chron. XXXIII. 31. Menſes hi à *Moſe* vocabantur primus, ſecundus, tertius, quartus menſis, & ſic deinceps, & primus etiam dicebatur *Abib*, ſecundus *Tſif*, ſeptimus *Ethanim*, octavus *Bul*, Exod. XIII. 4. 1. Reg. VI. 37, 38. VIII. 2. Verùm, in exſilio *Babylonico Chaldaicorum* menſium nominibus uſi ſunt *Judæi*, iiſque ſui ipſorum anni menſes ſignificabant: unde factum, ut *Judaicorum* menſium, nomina tum perirent, ex eóque *Chal-*

Digitized by Google

Fundamenta Chronologiæ, cui ipſe meam ſuperſtruxi explicationem, jam, quâ poſſum brevitate, tradam.

Septuaginta Hebdomades. Fundamenta Chronologica ſententiæ ſupra declaratæ.

Bellum *Peloponneſiacum* incepit Vere, anno 1. Olympiadis 87, ut DIODORUS *Siculus*, EUSEBIUS, aliíque omnes Auctores, uno ore teſtantur. Duobus illud incepit menſibus antequam PYTHODORUS Archontis munere abiret (*a*), id eſt, menſe *Aprili*, qui duos menſes anni Olympiaci finem prævertit. Jam, verò, hujus belli anni certiſſimè definiuntur annis 50, quibus eorum primus diſtat ab eo, quo XERXES in *Græciam* trajecit, utroque in computatione incluſo (*b*); ſive 48, ſi uterque excludatur (*c*); nec non 69 annorum ſpatio, qui inter ejuſdem belli finem, ſive annum vigeſimum ſeptimum, & imperii ALEXANDRI M. in *Græciâ* initium, elapſi ſunt; item celebratione ludorum Olympiacorum ejuſdem anno quarto, & duodecimo; tandem tribus eclipſibus Solis & unâ Lunæ, THUCYDIDI & XENOPHONTI memoratis. Porrò ex his ille, locupletiſſimus teſtis, refert (*d*) nuncium obitûs ARTAXERXIS *Longimani*, *Epheſum* atque inde, ab *Athenienſibus* quibuſdam, *Athenas* fuiſſe delatum,

Artaxerxes Longimanus regnare cœpit anno P. J. 4250. Quod probatur.

daicorum menſium nominibus illi appellentur.

Ordiebantur annum civile *Judæi* ab æquinoctio autumnali, eccleſiaſticum autem à verno; ac primus primi utriuſque anni menſis dies erat is, quo primùm ab æquinoctio nova luna conſpiciebatur.

Num *Chaldaico* númve *Judaico* anno uſus ſit *Daniel*, non eſt magni momenti, cùm diſcrimen ſingulorum annorum tantummodo ſex horarum ſit, quæ, 480 vicibus ſumtæ, tantùm 4 dant menſes. Meo autem Judicio menſes apud eum ſunt *Judaici*: primò, quia *Daniel* erat *Judæus*, ac *Judæi*, etiam *Chaldaicorum* menſium nominibus, priores ſui anni menſes intelligebant: ſecundò, quia vaticinium hoc nititur *Jeremiæ* de 70 annis exſilii vaticinio, adeóque de ejuſdem generis, ac illi 70 annis intelligi debet; illi autem ſunt *Judaici*: traditum quippe id vaticinium [*Jeremiæ*] in *Judæâ*, ante exſilium Gentis: ac tandem quia *Daniel* annorum hebdomadibus computat, quæ computandi ratio *Judaicis* annis peculiaris eſt. Horum enim, uti dies per ſeptidua, ita anni per ſeptennia colligebantur, ac ultimus uniuscujuſque ſeptennii annus erat annus ſabbathicus, & ſeptem ejuſmodi hebdomades Jubilæum conficiebant.

[*a*] Thucydides l. 11.

[*b*] Idem ibidem.

[*c*] Eratoſt. apud *Clementem* Alexandrinum.

[*d*] Libro V.

Digitized by Google

CAP. X. belli illius anno ſeptimo, & quidem hiberno ſemeſtri. Mortuus, itaque, eſt is Rex, quarto anno Olympiadis 82, in fine anni P. J. 4289, puta, uno aut altero, ante mediam hiemem, menſe; illud quippe temporis requirebatur, uc in *Græciam* veniret nuncius. Jam, verò, ARTAXERXES *Longimanus* annos 40 regnavit, ut DIODORUS, EUSEBIUS, HIERONYMUS, & SULPITIUS conſentiunt: vel 41, ſecundùm PTOL. *in can.* CLEM. *Alexandr.* (*b*) *Chron. Alexandr.* ABULPHARAGIUM, NICEPHORUM; comprehenſis eo in numero ſucceſſorum ipſius, XERXIS & SOGDIANI, Regnis, ut ABULPHARAGIUS nos docet. Poſt ARTAXERXEM filius ejus XERXES regnavit menſes duos, & SOGDIANUS menſes 7: horum autem Regna non diſtinctè in computatione annorum imperii Regum *Perſarum* enumerantur, verùm in 40 vel 41 annis Regni ARTAXERXIS concluduntur. Miſſis, ergo, 9 hiſce menſibus, imperaverit ARTAXERXES, ad amuſſim, triginta novem annos cum tribus menſibus: cúmque, adeò, Imperii ipſius finis acciderit initio hiemis, anni P. J. 4289, ut inter mediam æſtatem & autumnum anni 4250 P. J. inceperit neceſſe eſt.

Idem probatur aliâ ratione.

Idem etiam hac ratione colligo. CAMBYSES regnare cœpit Vere, anno P. J. 4185, regnavítque annos 8, quinque menſibus SMERDIS incluſis. Tum Regnum accepit DARIUS HYSTASPIS, Vere, anno P. J. 4193, atque hic annos regnavit triginta ſex, ut omnes Chronologi conſentiunt. Tempora, quibus hi duo Imperium tenuerunt, definiuntur tribus eclipſibus Lunæ, *Babylone* obſervatis, ac memoratis PTOLEMÆO; ita ut de iis dubium moveri nequeat. Una ex his contigit anno ſeptimo CAMBYSIS, P. J. 4191, *Julii* 16, undecimâ nocturnâ: altera 20 anno DARII, P. J. 4212, 19 *Novembris*, horâ etiam 11. min. 45: tertia ejuſdem anno 31, P. J. 4223, *Aprilis* 25, eâdem denuo noctis horâ, min. 30. His eclipſibus, ac HAGGÆI & ZACHARIÆ vaticiniis inter ſe collatis, manifeſtum eſt annos Regni DARII incepiſſe poſt 24 menſis, qui *Judæis* erat undecimus;

(*b*) Libr. I. Stromat.

Digitized by Google

cimus; verùm ante 25 *Aprilis*, adeóque circiter menſem *Martium*. Quæ cùm ita ſint, ſequitur XERXEM regnare occepiſſe, itidem Vere, anni P. J. 4229; mortuus enim eſt DARIUS quinto poſt *Marathoniam* pugnam anno, ut referunt HERODOTUS (*a*) & PLUTARCHUS; ea, verò, pugna contigit *Octobri* menſe, anni P. J. 4224, decem annis ante prælium *ad Salamina*. Cœpit, itaque, XERXIS Imperium, anno nondum ab Octobri anni 4228 elapſo, puta, Vere proximo: quinque enim priores ſui Regni annos, & quod excurrit, in adornandâ adverſùs *Græcos* expeditione poſuit; hæc autem eo contigit tempore, quo ludi Olympiaci celebrabantur, anno 1 Olympiadis 75, CALLIADE *Athenis Archonte*, 28 annis poſt *Regifugium*, & primum primi Conſulis, JUNII BRUTI, Conſulatum, A. U. C. 273, FABIO & FURIO *Coſſ.* Trajicere cœpit copias ſuas *Helleſpontum* XERXES, in fine anni 4 Olympiadis 74, id eſt, P. J. 4234, menſe *Junio*, & integer elapſus eſt menſis priuſquam omnis excercitus tranſiſſet. Tres abhinc menſes, autumno, plenilunio, 16 die menſis dicti Μυνυχιῶνος (*b*) prælium ad *Salaminem* commiſſum eſt, & paulò poſt illud eclipſis Solis contigit, nempe, ut ex calculo aſtronomico patet, ſecundo die Octobris. Sextus, itaque, ejuſdem Regni annus paululum ante initium menſis Junii incepit, ſcilicet, Vere, anno P. J. 4234, ac proinde primus Vere anni P. J. 4229, ut ſupra. Jam, verò, XERXES, ut omnes Scriptores conſentiunt, annos ferè 21 regnavit. His adde 7 menſes ARTABANI, & 21 annos cum 4 ferè, vel 5, menſibus habebis, quorum finis incidet inter mediam æſtatem & autumnum ann. P. J. 4250. Eo, itaque, tempore regnare cœpit XERXIS ſucceſſor ARTAXERXES: quod erat demonſtrandum.

Septuaginta Hebdomades.

Idem etiam confirmat JULIUS *Africanus*, qui ex antiquioribus ſcriptoribus nos certiores reddit 20 annum hujus ARTAXERXIS fuiſſe 115 ab initio imperii CYRI in *Perſide*, & ulteriùs confirmatur.

Et ulteriùs confirmatur.

(*a*) [Libr VII. 3. 4.]

(*b*) (Cùm Μυνυχιῶνος menſium *Atticorum* decimus fuerit, annus autem *Aticus*, ne Noſtro quidem adverſante, à Junio menſe inceperit, neceſſariò is menſis noſtro Martio reſpondet Vide & Illuſtriſſ. *Potterum*, Archæol. Græc. Tom. I. Libr. II. cap. ult. Errare itaque in hac computatione *Newtonum* liquet.)

Digitized by Google

CAP. XI. & incidiſſe in annum 1 Olympiadis 83. Incepit ergo cum anno Olympiaco, brevi poſt ſolſtitium æſtivum, anno P. J. 4269: cui numero ſi detrahas annos 19, primus ejuſdem annus, eâdem anni tempeſtate, inceperit, anno P. J. 4250, ut ſupra.

Itaque iter *Eſdræ* quo dictum eſt tempore contigit.

Quæ cùm ita ſint, ſeptimi anni ARTAXERXIS initium ſtatuendum patet, poſt mediam æſtatem anni P. J. 4256; ac ESDRÆ iter *Hieroſolymas*, Vere ſequenti, incidiſſe in initium anni, ejuſdem periodi, 4257, ut ſupra dictum.

CAPUT UNDECIMUM.

De temporibus natalium & perpeſſionum Chriſti.

Vetuſtiſſimi Chriſtiani, tempora non multum curârunt. Quomodo iidem varia feſta ordinaverint.

CUm temporum, quibus natus eſt & paſſus *Chriſtus*, notitia, ad ipſam ejus Religionem parum facerent, non multùm iis indagandis primævi Chriſtiani dederunt operam, ut nec aliis id genus. Qui primi hæc ſolenniter celebrârunt, cardinalibus anni punctis ea conſtituerunt: ut *Annunciationem* Virgini MARIÆ factam 25 Martii, in quem diem, poſt emendatum à JULIO CÆSARE Kalendarium, æquinoctium vernum incidebat: feſtum JOANNIS *Baptiſtæ* 24 Junii, quo ſolſtitium erat æſtivum, feſtum MICHAELIS Septembris 29, quo æquinoctium autumnale; denique *Natales Chriſti* ſolſtitio hiemali 25 *Decembris*, iiſque quàm proximè illud fieri poterat STEPHANI, JOANNIS, atque *Infantium innocentium* feſta. Cùm autem ſucceſſu temporis ſolſtitium non 25 Decembris, ſed 24, 23, & 22, & ſic porrò, contingeret, hinc factum eſt, ut quidam, ſæculis ſequentibus, CHRISTI natales 23, ac tandem 20 Decembris conſtituerint; eâdémque de cauſâ feſtum THOMÆ ejuſdem menſis 21, MATTHÆI, autem, 21 Septembris, conſtituiſſe videntur. Ita etiam ſingulis diebus, quibus in aliud Zodiaci ſignum, factâ ex *Juliano* Kalendario computatione, Sol tranſiret, aliorum Sanctorum feſta adſignârunt; & PAULI, quidem, *converſionem*, 25 *Januarii*, quo die Sol in *Aquarium* tranſibat, feſtum verò MATTHIÆ, 25 *Februarii* quo in *Piſces*; MARCI 25 Aprilis, quo

Digitized by Google

quo in *Taurum*; *Corporis Chriſti* feſtum 26 *Maji*, quo in *Gemi-nos*; JACOBI 25 Julii, quo in *Leonem*; BARTHOLOMÆI 24 Auguſti, quo in *Virginem*; SIMONIS, denique, & JUDÆ, 28 Octobris, quo in *Scorpionem*. Si qui porrò in *Juliano* Kalendario inſigniores erant dies, iis etiam Sanctorum memoriam coluerunt; ut BARNABÆ 11. Junii, quo VESTÆ & FORTUNÆ, MATUTÆ-*que Deæ*, feſta celebrata fuiſſe, ex OVIDIO videtur colligendum; PHILIPPI autem & JACOBI die Maji primo, qui & BONÆ *Deæ*, ſive *Magnæ Matri*, & FLORÆ dicatus erat, imò, ad hunc uſque diem, iiſdem, qui his ſacri erant, ritibus celebratur. Ex quibus omnibus liquet, hoſce dies in primis Chriſtianorum Kalendariis, pro lubitu à Mathematicis fuiſſe notatos, abſque ullo in traditionibus fundamento, ac poſtea Chriſtianos lubenter arripuiſſe quod in Kalendariis occurrebat.

Chriſti nativitas & Paſſio.

Nec de annis etiam vitæ *Chriſti* certa ulla exſtabat traditio. Ex eorum, enim, inter Chriſtianos ſententiâ, qui primi hæc cœperunt exquirere, quales fuêre CLEMENS *Alexandrinus*, ORIGENES, TERTULLIANUS, JULIUS *Africanus*, LACTANTIUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, SULPITIUS SEVERUS, PROSPER, & alii, quotcumque mortem *Chriſti* 15 vel 16 TIBERII anno contigiſſe ſtatuunt, non niſi unum, vel maximum, duos annos, *Chriſtus* publicè docuerit. Tandem quatuor diverſa Paſchata, in JOANNIS Evangelio notata, animadvertit EUSEBIUS; atque hinc auctor fuit ſententiæ *Chriſtum* tres annos cum dimidio docuiſſe; adeóque mortuum eſſe TIBERII anno 19. Poſtmodum alii, obſervato communem ſententiam, quâ *Chriſtus* æquinoctii verni tempore, Martii 25, mortuus credebatur, meliùs temporibus Paſchatis apud *Judæos* congruere, 17 & 20 ejuſdem imperii annis; mortuum eum eſſe alterutro horum annorum ſtatuerunt. Nec certiori fundamento ſententiæ de tempore natalium *Chriſti* nituntur. Baptizatum eum, prope quinti decimi, ejuſdem Principis, anni initia, cenſuerunt primi Chriſtiani, atque inde 30 annis retro computatis, natales ejus 43 anno *Juliano* conſtituerunt, qui annus erat Principatûs AUGUSTI 42, & poſt *Actiacam* victoriam

De annis vitæ Chriſti certa non exſtabat traditio.

Quid de iis ſtatuerint veteres.

Digitized by Google

CAP. XI.

toriam 28. Atque hæc primis sæculis viguit sententia, donec DIONYSIUS *Exiguus*, posito *Christi* baptismo 16 anno TIBERII, perperam interpretatus verba LUCÆ (*a*), quasi 30 annorum esse JESUS solummodo inciperet, cùm baptismate inauguraretur, vulgarem Æram reperiret, quâ duobus annis seriùs, quàm vulgo fiebat, statuuntur ejus natales. Cùm ergo hisce de rebus nulla sit, quæ quidem expendi mereatur, traditio; quotcumque sint missas faciamus, ac quidnam ex bonæ notæ commentariis queat colligi, examinemus.

Missis illis res ipsa ex Evangg. &c expendenda.

Evangelicæ historiæ series.

Quintus decimus principatus TIBERII annus incepit Augusti 28, anno P. J. 4727. Quamprimum elapsa esset hiems, satisque calidum evaserat cœlum, JOANNEM baptismi sui ministerium exorsum esse, licet statuere; inde, ante proximam hiemem, famam ejus longè latéque esse sparsam, omnémque ad ejus baptisma veniisse populum, intérque alios JESUM. Hinc primum, post *Christi* baptismum, Pascha, cujus mentionem facit JOANNES (*b*), contigit 16 anno TIBERII. Post hoc festum JESUS in *Judæam* venit, ibique mansit, baptismum administrans, dum idem in *Ænone* ageret JOANNES (*c*). Audito autem, quòd hic in carcerem conjectus esset (*d*), abiit in *Galilæam*, sibi à *Pharisæis* timens, quippe qui certiores erant facti, plures eum quàm JOANNEM baptismo inaugurare discipulos (*e*); dúmque iter faceret, *Samariam*, quatuor ante messem mensibus (*f*) pertransiit, id est, solstitii ferè hiemalis tempore: messis enim eorum inter Paschatis & Pentecostes fiebat festa, unóque ferè, post æquinoctium vernum, incipiebat mense. *Nonne*, inquit, *ipsi dicitis: adhuc quatuor menses, ac tum messis est. Ecce, inquam vobis, oculos attollite, atque agros conspicite; námque etiamnum ad messem canent:* populum intelligens in agris, paratum ad Evangelium recipiendum, ut proxi-

(*a*) Cap III. 23.
(*b*) Cap. II. 13.
(*c*) Joan. III. 23.
(*d*) Matth. III. 12.
(*e*) Joan. IV. 1.
(*f*) Ibid. 35.

Digitized by Google

proxima ejus verba oſtendunt (*a*). JOANNES ergo menſe Novembri, aut circiter, in carcerem eſt conjectus, anno TIBERII 17, atque inde *Chriſtus*, è *Judæâ*, *Canam* in *Galilæâ* profectus eſt, menſe Decembri, eúmque receperunt *Galilæi*, qui viderant *Chriſti Nativitas & Paſſio.*

(*a*) Obſervo *Chriſtum*, ejúſque præcurſorem *Ioannem*, in allegoricis ſuis orationibus, ſolitos fuiſſe ad res præſentes reſpicere. Veteres Profetæ, cùm emphaticè aliquid deſcribere vellent, non tantùm à rebus, quæ ſponte quaſi obveniebant, ducebant allegorias, ut ex. gr. à ſciſſione veſtimenti, 1 Sam. XV. ab anno ſabbathico, Eſai. XXXVII. à vaſibus figuli, Jerem. XVIII. &c verùm etiam, ubi res ejuſmodi deficerent, ſuis ipſorum actionibus eas quaſi ſuppeditabant: ut ſciſſione veſtis, 1 Reg. XI. teli ex arcu emiſſione, 2 Reg XIII. nudatione corporis, Eſai. XX. filiis dando intenſæ ſignificationis nomina, Eſai. VIII. Hoſ. I. abſconſione cinguli in ripâ Euphratis, Jerem. XIII. frangendo figulino vaſe, Jerem. XIX induendo compedes, jugúmque cervicibus imponendo, Ibid. XXVII. librum cum lapide colligando, atque utrumque in Euphratem conjiciendo, Ibid. LI. obſeſſione urbis pictæ, Ezek. IV. diviſione abſciſſæ comæ in tres partes, Ibid. V. fabricando catenam, Cap. XII. 3. &c. Ibid VII. utenſilia, inſtar captivi, efferendo, idque cum tremore. Ejuſmodi ſignis loqui amârunt Profetæ. *Chriſtus*, autem, nobiliori ſpiritu Profetico præditus, etiam hac loquendi ratione præ ceteris excelluit; non tamen ipſe actionibus quibuſdam aliquid docens, [minus grave hoc erat ac decens,] ſed, quæ veluti ſponte ſeſe offerrent, in parabolarum argumenta convertens. Inſtantis meſſis occaſione, ſemel iterúmque de meſſe ſpirituali diſcipulos ſuos monet, Joan IV. 35. Matth. IX. 37. Conſpectis in agro liliis, eoſdem veſtimenta ſplendida non curare docet. Matth. VI. 28. Ad præſentem fructuum tempeſtatem reſpiciens eoſdem monet è fructibus, *id eſt moribus*, homines eſſe dignoſcendos, Matth. VII. 16. Paſchatis tempore, quo arbores folia emittunt, diſcipulos *parabolam diſcere à ficu* jubet: *cùm ejus ramus*, inquit, *adhuc tener eſt, ac emittit folia, vos ſcitis æſtatem inſtare, &c.* Matth. XXIV. 32. Luc. XXI. 29. Eodem die, cùm anni tempeſtatem, tùm ſuas, quæ duobus pòſt diebus eventuræ eſſent, perpeſſiones, reſpiciens, parabolam dixit de fructuum inſtante tempore, ac vineti hærede occiſo, Matth. XXI. 33. Eodem tempore, reſpiciens trapezitas, à ſe recèns Templo pulſos, nec non ſuas perpeſſiones, jam jam futuras, parabolam de quodam nobili, in longinquam Regionem profecto, ut ibi Regnum acciperet, dein rediturus; qui, cùm res ſuas ſervis adminiſtrandas tradidiſſet, tandem reverſus, ignavum ſervum, qui pecuniam ipſius non locâſſet menſariis, damnavit, Matth. XXV. 14. Luc. XX. 12. Cùm prope Templum eſſet, ubi oves, ad ſacrificia venales, in caulis detinebantur, plurima Παροιμιακῶς de ovibus, de paſtore, atque oſtio ovilis, loquutus eſt; oſtenditque ſe caulas reſpicere, quæ mercede conduci poterant in foro, loquens de caulis ejuſmodi, quas nec fur per oſtium ingredi, nec ipſe paſtor aperire poterat, janitor autem paſtori aperiebat, Joan. X. 31. Cùm eſſet in monte *Oliveti*; Matth. XXVI. 30. Joan XIV. 31. loco tam fertili, ut vineta in eo deſtuiſſe nequeant, plurima myſticè de vinitore, de vineâ ejúſque ramis, ſeu ſarmentis, loquutus eſt, Joan. XV. Cœco obvius, de ſpirituali monet cœcitate, Joan. IX. 39. Conſpectis parvu-

Digitized by Google

CAP. XI. quæcumque fecerat *Hierosolymis* Paschate. Dein, cùm nobilis aliquis *Capernaumensis* (*a*), audito JESUM in *Galilæam* reversum esse, ad eum se contulisset, petiissétque ut veniret ille ac mederetur filio, non ivit *Christus*, solummodo autem dixit: *abi, vivit filius tuus.* Et reversus est vir nobilis, *atque ita rem contigisse comperit, credidítque ipse & omnis domus ipsius* (*b*). Fuit hoc initium miraculorum *Christi* in *Galilæâ*, & hactenus plenè & distinctè JOANNES res

parvulis, semel atque iterum electorum innocentiam describit, Matth. XVIII. 2. XIX. 13. Sciens *Lazarum* esse mortuum & resuscitatum iri, egit de resurrectione atque æternâ vitâ, Joan. XI. 25 26. Certior factus de quibusdam à *Pilato* occisis, monet de æternâ morte, Luc XIII 1 Ad piscatores suos de piscatoribus hominum loquebatur, Matth. IV 10. aliámque de piscibus parabolam dixit, Matth. XIII. 47. Prope Templum cùm esset, loquutus est de templo sui corporis, Joan. II. 19. Cœnæ accumbens, parabolam dixit de spirituali cœnâ in Regno cœlesti, Luc. XIV. Captatâ ex propriè dicto cibo occasione, suos de cibo mystico admonet, déque mysticâ suæ carnis & sanguinis manducatione ac potatione, Joan. VI. 27 53. Cùm iidem panibus egerent, à *Pharisæorum* fermento sibi cavere jussit, Matth. XVI. 6. Ut ederet rogatus, alium sibi esse cibum respondit, Joan. IV. 31. Insigniori in festo Tabernaculorum die, quo, pro more, *Judæi* ingentem aquæ copiam, è fluento *Siloâ*, in Templum inferebant, *Stetit Christus clamans; siquis sitiat, veniat ad me ac bibat. Quisquis in me credit, ex ejus ventre perennis aquæ flumina effluent* Joan VII 37. Proximo die servos respiciens, propter annum sabbathicum recèns manumissos, *in verbo meo*, inquit, *si manseritis, veritas vos liberos reddet*: quod cùm propriè intelligerent *Judæi*, ac respectu manumissionis præsentis servorum dictum, responderunt: *Nos Abrahami sumus semen, nec ulli unquam homini servivimus; quomodo ergo tu dicis, liberi reddemini?* Joan. VIII. Duplici argumento suam libertatem vindicant; primò quod essent posteri *Abrahami*, adeòque, siquidem unquam servi fuissent, jam recèns manumissi; dein quòd revera numquam servierant. Postremo, quod vixit, Paschate, cùm *Herodes* exercitum per *Judæam* adversùs *Aretam*, Regem *Arabum*, duceret, quòd hic prior illum esset adortus, ac militaribus copiis superior, ut eventus docuit; *Christus*, hunc rerum statum respiciens, parabolam loquutus est de Rege minùs potenti, exercitúmque adversùs potentiorem ducente, à quo ipsi illatum erat bellum, Luc. XIV. 31. Nec dubito quin plures aliæ parabolæ, aliis occasionibus prolatæ fuerint, quarum nobis historia non supereft.

(*a*) [Nec *Nobilem*, (ἰυγενῆ) sed *Aulicum*, (βασιλικὸν) vocat hunc virum Joannes; nec *Capernaumensem* vocat, sed eâ in urbe ejus filium ægrotâsse scribit.]

(*b*) Joan. IV.

Digitized by Google

res ab eo gestas, primo præconii ipsius anno, ab aliis Evangelistis omissas, narrat. Reliqua, inde gesta, ceteri magis plenè, quàm JOANNES referunt; hic, enim, quæ illi memorant, omittit. *Christi Nativitas & Passio.*

Ex hoc tempore, igitur, JESUS docuit in Synagogis *Galilææ*, diebus sabbathi, ab omnibus celebratus. Cùm, verò, in suam ipsius urbem patriam, *Nazaretham*, id est, ubi educatus erat, venisset, ibíque in Synagogâ doceret, offensi sunt *Nazarethani*, eúmque, urbe ejectum, in montis, in quo sita erat urbs, verticem duxerunt, inde ipsum in præceps daturi; ille, verò, per medium ipsorum transiens, abiit, venítque inde in urbem *Capernaümum*, ibíque habitavit (*a*). Et jam alterum Pascha, vel præteriisse vel instituisse, rectè, ut videtur, statuere licet. Omne hoc tempus paucis verbis MATTHÆUS percurrit, atque hinc tradere incipit præconium & miracula *Christi*. *Cùm*, inquit, JESUS *audivisset, in carcerem conjectum esse* JOANNEM, *abiit in Galilæam, ac relictâ Nazarethâ, venit habitavitque in urbe Capernaümo, atque ex eo tempore incepit concionari, ac dicere: Resipiscite, namque adpropinquavit Regnum cœlorum* (*b*). Postea ad se vocavit, sibíque discipulos adscivit, PETRUM, ANDRÆAM, JACOBUM & JOANNEM; *ac deinde circuivit integram Galilæam, docens in Synagogis, — omnémque sanans morbum, — & fama ejus exiit per omnem Syriam, tulerúntque ad ipsum omnes ægrotos, sequutæque sunt eum multæ turbæ è Galilæâ, è Decapoli, & Hierosolymis, & Judæâ, & loci trans Jordanem sitis* (*c*). Contigerunt hæc omnia ante sermonem *Christi* in monte; adeòque pro certo licet statuere, jam secundum Pascha, dum munere fungeretur, præteriisse, priusquam illa oratio haberetur. Turbæ, illum ex *Hierosolymis* & *Judæâ* sequutæ, argumento sunt, eum paulò ante, festi nempe tempore, illic fuisse. Oratio autem in monte habita est, cùm ingentes undique ad eum turbæ accederent, pérque agros eum sequerentur, unde patet, æstivam etiam anni tum fuisse tempestatem: in hoc insuper sermone lilia in agris monstravit, quæ, nempe, tum flore suo essent conspicua oculis

(*a*) Luc. IV. (*b*) Matth. IV. 12. (*c*) Ibid. 18. 23. 24. 25.

Digitized by Google

CAP. XI. ipsius auditorum; *Animadvertite*, inquit (*a*), *lilia in agris, quomodo crescant: neque laborant, neque nent; attamen nec* SALOMO, *in omni suâ gloriâ, unius instar ex hisce vestitus fuit. Quare, si Deus ita vestiat gramen agreste, quod hodie est, cras autem in fornacem conjicitur*, &c. Gramen, itaque, in agris jam florebat, adeóque mensis Martius, cum Paschate, præterierat.

Ea Matthæo maximè accommodatur.

Videamus, ergo, quâ ratione festa reliqua ordine sequantur, in Evangelio MATTHÆI: hic enim testis fuit oculatus eorum, quæ memorat, atque adeò singula justo temporis ordine describit, quod non faciunt MARCUS & LUCAS (*b*).

Elapso aliquo post sermonem in monte tempore, cùm jam instaret tempus, quo recipiendus esset, id est, cùm instaret aliquod festum, quo recipi eum oportebat à *Judæis* (*c*); iter suum *Hierosolymas* direxit. Proficiscenti autem ipsi cum Discipulis per *Samariam*, cùm hospitium Samaritani denegâssent, & Scriba quidam ipsum compellâsset, hisce verbis, *sequar te, Magister, quocumque vadas*; huic JESUS respondit: *Vulpibus suæ foveæ, & cœli volucribus sui nidi, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*d*). Scriba, inquam, dixit *Christo*, se ipsi comitem, in itinere, futurum; *Christus* autem respondit, se hospitio carere. Jam, verò, festum illud, meo judicio, fuit festum Tabernaculorum, brevi enim pòst lego *Christum* ejúsque Discipulos, in mari *Tiberiadis*, procellâ adeò gravi fuisse oppressos, ut navis fluctibus cooperiretur, & periculum esset ne mergeretur, donec *Christus ventis ac mari imperaret ut quiescerent* (*e*). Ex hac enim procellâ, jam hiemem ingruisse patet.

Post hæc *Christus* plurima miracula edidit, *omnésque circuivit civitates & castella Galilææ, in Synagogis docens, & prædicans Evan-*

(*a*) Matth. VI. 28. (*b*) [Vide aliter sentientem *Clericum*, in secundâ dissertationum *Harmoniæ Evangelicæ* subjectarum *Canone* primo. Legenda ejusdem etiam prima dissertatio, ubi idem, quod hoc Capite Noster, argumentum tractat.]

(*c*) [Respicit Luc IX. 51. ut ex seqq. patet. Nova autem & mira hæc est interpretatio vocis ἀναλήψεως. quæ illic occurrit.]

(*d*) Matth. VIII. 19. Luc. IX. 51. 57.

(*e*) Matth. VIII. 23. 26. XI. 12, 20, &c.

Digitized by Google

Evangelium Regni, *omnémque curans languorem & infirmitatem in populo* (*a*). Deinde misit τοὺς δώδεκα, ut idem facerent (*b*); denique, postquam à JOANNE *Baptistâ* nuncium accepisset, ipsíque misissent responsum, dixit turbæ: *A tempore* JOANNIS *Baptistæ*, *ad hunc usque diem*, *vim patitur Regnum cœlorum*; urbésque *Chorazimam*, *Bethsaïdam* & *Capernaümum*, in quibus plurima ex ejus miraculis fuerant edita, objurgavit, quòd mores in meliùs non mutaverant (*c*). Variis his locis liquet, à conjecto in carcerem JOANNE, ad hoc tempus, tractum temporis satis amplum fuisse elapsum. Jam transierat hiems, & proximum instabat Pascha: continuò, enim, apud MATTHÆUM sequitur: *Illo tempore abiit* JESUS *per sata*, *die sabbathi*; *Discipuli autem ejus*, *esurientes*, *spicas vellere cœperunt*, *& manducare* (*d*), *confricantes eas manibus*, ut addit LUCAS (*e*). Non tantùm, igitur, frumento jam spicæ tumebant, sed & illud maturuerat, adeòque Pascha, quo tempore semper primitiæ, jam ante messem, offerebantur in Templo, jam præsens aderat, vel modò elapsum. Dicitur illud sabbathum, LUCÆ, δευτεροπρώτου, secundoprimum, id est, alterum è duobus majoribus, in festo Paschatis, diebus. Uti nos ipsum diem Paschalem vocare solemus *altum*, vel *elatum*, *Pascha* (*f*), octavam autem pòst, *Depressum Pascha* (*g*), vel *depressum diem Solis* (*h*), ita LUCAS septimum festi azymorum diem, vocat alterum è duobus primariis sabbathis. Christi Nativitas & Passio.

Quodam ex sabbathis sequentibus in Synagogam venit, ibíque virum, cui manus altera exaruerat, sanavit (*i*). Cúmque Pharisæi de perdendo eo consilium caperent, JESUS *inde recessit*, *sequutique eum sunt multi*, *ac sanavit eos omnes*, *ipsíque*, *ne notum se redderent*, *præcepit* (*k*). Postea, cùm ipse in navi, turbæ autem essent in littore tribus eam (*l*) parabolis, à satoribus, agros conserentibus, desumtis, docuit, unde animadvertere est, jam serendi adfuisse tempestatem, adeóque festum Tabernaculorum prætertisse.

(*a*) Ibid. 25. (*b*) Ibid. X. (*c*) Ibid. XI. 12. 20, &c (*d*) Ibid. XII. 1. (*e*) Luc. VI. 1. (*f*) *High Easter*. (*g*) *Low Easter*. (*h*) *Low Sunday* (*i*) Matth. XII. 9. Luc. VI. 6 (*k*) Matth. XII. 14. (*l*) Ibid. XIII.

Digitized by Google

CAP. XI. Deinde *in patriam venit, ibique in ſynagogis populum docuit, non autem miracula illic multa edidit, cùm eſſent homines increduli* (*a*). Tum duodecim Apoſtoli, qui jam annum integrum abfuerant; reverſi ſunt, Dominóque JESU, quæcumque fecerant, nunciárunt; pérque idem tempus HERODES *Baptiſtam*, in carcere, ſecuri percuſſit; cujus facinoris cùm *Baptiſtæ* Diſcipuli JESUM certiorem feciſſent, hic, ſumtis ſecum illis, quos diximus, duodecim, conſcenſâ navi, abiit clam in deſertum locum, haud procul *Bethſaïda*: populus verò, quamprimum id innotuerat, pedibus facto itinere, ex urbibus ipſum ſequutus eſt, cùm jam hiems elapſa eſſet. Ægros, in hac turbâ, JESUS ſanavit, ac quinque millia virorum, præter mulieres & parvulos, quinque tantùm panibus & duobus piſcibus, ſaturavit; (*b*) quod cùm ederet miraculum, jam Paſcha *Judæorum* inſtabat (*c*). JESUS autem, ei feſto celebrando, *Hieroſolymas* non adſcendit, *poſt hæc*, verò, *ambulabat in Galilæâ*, cùm *Judæi*, proximè elapſo Paſchate, conſilium, de eo perdendo, cepiſſent, atque etiamnum *quærerent ipſum interficere* (*d*). Ex hoc tempore, itaque, videmus eum, primò in finibus *Tyri* & *Sidonis*, dein ad mare *Tiberiadis*, porrò in viciniâ *Cæſareæ* PHILIPPI, ac tandem *Capernaïtni*, commorantem (*e*).

Poſtea, cùm feſtum Tabernaculorum inſtaret, objurgaverunt illum ejus fratres, quòd non palam ſua ageret, eúmque adhortati ſunt, ut & ipſe, ad feſtum illud celebrandum, adſcenderet. Non autem, niſi poſtquam illi jam abiiſſent, & tum etiam clam, profectus eſt illuc *Chriſtus*, &c. (*f*). Cúmque *Judæi* illum obruere lapidibus conarentur, eorum vim evaſit (*g*). Deinde, feſto *dedicationis Templi*, quod hieme celebrabatur, præſens interfuit (*h*). *Judæis*, autem, denuo eum capere quærentibus, fugit trans *Jordanem*, (*i*), ibique manſit

(*a*) Ibïd. 54. & 58
(*b*) Ibid. XIV. & Luc. IX.
(*c*) Joan. VI. 4.
(*d*) Joan. VII. 1.
(*e*) Matth. XV. 21. 29. XVI. 13. XVII. 34.
(*f*) Joan. VII. 2.
(*g*) Joan. VIII. 59.
(*h*) Joan. X. 22.
(*i*) Joan. X. 39. 40. Matth. XIX. 1.

Digitized by Google

mansit usque ad mortem LAZARI: tum *Bethaniam* venit, prope *Hierosolymas*, LAZARUMque in vitam restituit (*a*), quo facto; *ex illo tempore consilium inierunt Judæi, de illo occidendo: ille*, itaque, *jam non palam inter Judæos ambulabat, verùm in Regionem juxta desertum, abiit, in civitatem, quæ vocatur Ephraim, ibique commoratus est, cum suis Discipulis*, ad ultimum usque Pascha, quo, nimirum, à *Judæis* est occisus (*b*). *Christi Nativitas & Passio.*

Ita, igitur, in Evangeliis MATTHÆI & JOANNIS, inter se collatis, historiam habemus rerum à *Christo* gestarum, per quinque continua Paschata, non interrupto ordine descriptam. Accuratior est in initio & fine JOANNES, in medio MATTHÆUS; quod alteruter omittit, alter supplet. Primum, in præconio *Christi*, Pascha, contigit inter ejus baptismum & conjectum in carcerem JOANNEM (*c*). Alterum, nondum quatuor ab hoc eventu, *Christique* adeò in *Galilæâ* præconii initio, mensibus elapsis (*d*). Ad hoc igitur festum JESUS proficiscebatur, cùm, ut sibi liceret eum sequi, Scriba peteret (*e*), vel ad id, quod proximè præcesserat. Tertium fuit proximum inde festum, cùm jam in spicis frumentum maturuisset (*f*). Quartum fuit illud, quod instabat, cùm miraculum quinque panum ederet *Christus* (*g*). Quintum, denique, illud fuit, quo passus est (*h*). Unde patet quinque in præconio Christi celebrata fuisse Paschata.

Tempore, quod primum & secundum Pascha intercessit, JOANNES simul & *Christus* baptismum administrabant, donec ille conjiceretur in carcerem, quod, quatuor ante secundum Pascha mensibus, contigit. Tum *Christus* publicè docere cœpit, sibique Discipulos vocare; quos, postquam integro anno edocuisset, in urbes *Judæorum* ad concionandum, dimisit. Eodem tempore JOANNES, auditâ *Christi* famâ, ad ipsum misit, ut quisnam esset sciret. Tertio, principes Sacerdotum, de occidendo *Christo*, consilia inire cœperunt. Paulò antè quartum, [illegible] postquam annum in omnibus urbibus docuissent, ad *Christum* sunt reversi; pérque idem tempus, HERODES JOANNEM, in carcere, in quo duos annos cum tribus

(*a*) Joan. XI. 7. 18. (*b*) Joan. XI. 53 54. (*c*) Ibid. II. 13. (*d*) Ibid. IV. 35. (*e*) Matth. VIII. 19. Luc. IX. 51, 57. (*f*) Matth. XII. 1. Luc. VI. 1. (*g*) Matth. XIV. 15. Joan. VI. 4. 5. (*h*) Matth. XX. 17. Joan. XII. 1.

Digitized by Google

CAP. XI. tribus menſibus fuerat, ſecuri percuſſit; quo facto CHRISTUS ſibi ab HERODE metuens, in deſertum fugit. Quarto Paſchate *Chriſtus Hieroſolymas* non adſcendit, metu *Judæorum*, (qui jam Paſchate priori de illo occidendo egerant,) nondùm quippe ejus hora aderat. Ab illo, itaque, tempore, uſque ad Tabernaculorum feſtum, in *Galilæâ* degit, ídque clam, metu HERODIS: poſt hoc feſtum, verò, non ultra in *Galilæam* rediit; interdum autem degebat *Hieroſolymis*, interdum ſeſe trans *Jordanem* recipiebat, vel in urbem *Ephraim*, juxta deſertum, uſque ad Paſcha, quo proditus eſt, captus, & affixus cruci.

JOANNES, ergo, baptiſmi miniſterio functus eſt duas æſtates; *Chriſtus*, verò, tres Evangelium annunciavit. Primâ æſtate JOANNES concionatus eſt, ut ſeſe notum redderet, *Chriſtóque* teſtimonium poſſet perhibere. Tum, poſtquam *Chriſtus* ad ipſius baptiſmum veniſſet, ipſíque innotuiſſet, alteram æſtatem baptiſmum adminiſtravit, ut *Chriſtum* ſuo teſtimonio redderet celebrem; *Chriſtúſque* etiam ipſe, eâdem æſtate, illo miniſterio functus eſt, quo magis innoteſceret omnibus; ac, teſtimonio JOANNIS permoti, plures ad *Chriſtum* quàm ad JOANNEM, ut baptiſmo abluerentur, ſeſe conferebant. Proximâ hieme JOANNES in carcerem eſt conjectus; atque, hujus miniſterio jam finito, proprium officium, docendi, ſcilicet, per urbes, *Chriſtus* exorſus eſt. Præconii ſui initio, duodecim Apoſtolorum numerum complevit, integróque eos primo anno edocuit neceſſaria, ut peregrè mitteret. Ante hujus anni finem, præconio ejus & miraculis adeo latè ipſius fama ſparſa eſt, ut *Judæi*, in ſequenti Paſchate, conſilia inierint, quâ ratione ipſum interficerent. Altero præconii ipſius anno, cùm jam non ampliùs ipſi tutum eſſet palàm in *Judæâ* verſari, duodecim illos prædicatum per omnes *Judæorum* urbes, Evangelium, miſit; qui, ſub anni finem ad ipſum reverſi, quæcumque egiſſent, nunciárunt. Integro autem poſtremo anno hi apud Dominum manſerunt, pleniùs edocendi, ut, poſt ipſius mortem, omnibus Evangelium Gentibus annunciare poſſent. *Chriſtus* autem, intellectâ JOANNIS cæde, cùm ab HERODE, tùm à *Judæis* ſibi metuens, hoc anno magis clam degit quàm prioribus; deſerta jam frequentans loca,

poſte-

Digitized by Google

posteriorem, verò, anni mediam partem in *Judæâ* insumens, extra HERODIS ditiones. *Christi Nativitas & Passio.*

Ita, in MATTHÆI & JOANNIS Evangeliis, omnia, vero temporis ordine, quo contigerunt, descripta habemus, ab initio præconii *Baptistæ*, usque ad mortem *Christi*; annósque, ab invicem, singulos, notis adeò insignibus, distinctos, ut unus pro altero accipi non possit. Secundum Pascha à primo distinguitur, eo quod, inter hæc, JOANNES in carcerem conjectus est. Tertium, à secundo, duplex distinguit nota: prima, quòd intercessit festum, quo JESUS *Hierosolymas* adscendit (*a*): altera, intervallum temporis, ab initio præconii *Christi* elapsum: contigit, quippe, secundum Pascha, initio illius præconii; tertium, verò, tam diu pòst, ut, antequam hoc adesset, dixerit *Christus*: *A tempore* JOANNIS *Baptistæ, ad hunc diem, vim patitur Regnum cœlorum &c.* urbésque *Galilææ* objurgârit, quòd, doctrinâ suâ & miraculis, omni illo tempore editis, motæ, non resipuissent (*b*). Quartum, à tertio, distinguit, missio τῶν δώδεκα à *Christo*, ut, omni illo temporis intervallo, per urbes *Judææ*, Evangelium prædicarent. Quintum, denique, ab omnibus prioribus, eo distinguitur, quòd, reversi ab illo præconio, duodecim illi, apud *Christum* manserunt, omni, quod hæc Paschata intercessit, tempore; eo etiam, quod *Christus*, quinto hoc Paschate, occisus est, aliísque, quæ fallere non possunt, notis.

Quandoquidem, ergo, prima æstas, quâ baptismi ministerio functus est JOANNES, in 15 imperii TIBERII annum incidit, adeóque primum, è quinque hisce Paschatibus, in ejusdem annum 16; postremum ex iis, in ejusdem annum 20 inciderit, necesse est; adeóque in annum, quo Consules fuêre FABIUS & VITELLIUS, Julianum 79, & à C. N. 34 (*c*), qui annus apud *Judæos* erat sabba- Et horum postremum contigisse A. C. 34.

(*a*) Matth. VIII. 19. Luc. IX. 57.

(*b*) Matth. XI. 12. 20.

(*c*) [Cùm Noster supra, haud procul ab hujus Capitis initio, *Dionysium* Exiguum perstrinxerit, quasi perperam interpretatum verba *Lucæ*, Cap. III. 23. veluti *Jesus* 30 annorum esse *solummodo inciperet* cum baptismo tingeretur; in eâ esse videtur ipse sententiâ, jam plenos 30 annos *Christum*, eo tempore, in vivis egisse. Itaque ejus baptismus 31 ætatis ipsius anno, seu ab ipso nato, labente, contigisse statuendus esset; adeòque & primum Pascha, minimùm, eodem. Atque ita quidem, inter Paschatis tempus & baptismum *Christi*, ejus natales essent statuendi. Sin autem, ut vulgo fit, natus credatur *Jesus* mense Decembri, oporteret, inter baptismum ejus & proximum Pascha, annum ab ejus natalibus 32 incepisse, eodémque

CAP. XI.

sabbathicus (*a*). Re verâ autem ita contigisse, his porrò rationibus adstruo.

Quod porro rationibus astronomicis probatur.

Pono concedi, *Christum* passum esse die *Veneris*, 14 mensis *Nisan*, proximóque die, 15 ejus mensis, magnum Paschatis fuisse festum, è mortuis autem in vitam rediisse *Christum* die insequenti. Jam, verò, 14 dies mensis *Nisan* semper in plenilunium, ab æquinoctio verno proximum, incidit, mensísque plenilunio, quod proximè præcesserat, incepit; non propriè illo temporis puncto, quo, ex regulis Astronomorum, novilunium statuendum esset, verùm eo tempore, quo primùm nova Luna conspiciebatur. *Judæi*, quippe, integrum Lunæ silentis, (ut loquebantur,) tempus, ad Lunam, sive mensem, veterem referebant. Cùm primùm, ergo, plerumque conspiciatur 18 ferè post verum novilunium horis, idcirco mensem suum exorsi fuerint horâ sextâ vespertinâ, proximâ ab illis 18 horis elapsis. Atque hæc regula ipsis dicebatur יעקב *Jacb*, litteris י & ק significantibus numerum 18 (*b*).

Judæi non usi fuerunt vitioso cyclo.

Non me latet, EPIPHANIUM, si quidem rectè ejus sententiam aliqui exponunt, dicere, vitioso cyclo *Judæos* fuisse usos, eóque novilunia, apud ipsos, biduo antevertisse novilunia secundùm legem. Non autem, profectò, hoc dixit, ut qui verè sciret, possétque adeò jure testari, neque enim in Astronomiâ, neque in doctrinâ Rabbinicâ erat versatus; verùm erroneâ suâ, de tempore, quo *Christus* passus est, sententiâ nixus. Neque enim *Judæi* citiùs, sed seriùs, quàm oportebat, suos menses exorsi sunt.

anno, primum, in ejus præconio, Paschæ. Ergo, vel annum agens 35 vel 36, *Christus* esset mortuus; quod à Nostri sententiâ omnino abludit: vel Hic eum, paulò antequam baptismate tingeretur, complevisse ætatis suæ annum 29, statuisse censendus est.]

(*a*) [Ne hæc ab iis quæ in suâ annotatione [pag. 378] dixit Noster, [scilicet eo, quod proximè præcesserat, festo Tabernaculorum, servos, anni sabbathici causâ, recèns fuisse manumissos,]: videantur dissona; adtendendum, *Judæorum* annum civilem, quem in computandis annis Jubilæi, adeóque & sabbathicis, sequebantur, incepisse ejusdem mensis, nempe *Tisri*, id est, Septembris, primo die, cujus dies quintusdecimus erat primus festi Tabernaculorum, adeóque sequens Pascha eodem, quo illud, quod ibi respicit, festum Tabernaculorum, anno civili incidisse.]

(*b*) [Vid. *Scalig.* de Emend. Temp. Libr. II. & VII. pag. edit 1629, 132. 644]

Digitized by Google

sunt. Licitum ipsis videbatur suos menses, uno die seriùs, quàm nova Luna ipsis conspecta erat, incipere, cùm per plures uno dies nova Luna maneret, non autem uno die priùs, ne novam Lunam celebrarent antequam esset ulla. Superest etiamnum illis, apud suos scriptores, traditio, *Sanhedrim* novilunii tempora diligenter visu definire fuisse solitum, missis, in montana, exploratoribus, iisque porrò, de conspectæ primùm Lunæ tempore, examinatis, & translato etiam novilunio ab eo, quo illud jam statuere consenserant die, in præcedentem, quotiescumque testes è Regionibus longinquis nunciarent, uno se die, priùs quàm *Hierosolymis* conspecta esset, novam Lunam vidisse. Ita & JOSEPHUS, unus è *Judæorum* Sacerdotibus, qui in Templo sacris ministraverat, Pascha fuisse celebratum dicit 14 *die mensis Nisan* κατὰ σελήνη; *secundùm Lunam, cùm Sol Arietem obtineret* (*a*): quod & ulteriùs adstruitur duobus exemplis, ab eodem relatis, quæque funditus sententiam, quasi vitioso cyclo *Judæi* fuissent usi, evertunt. Eo quippe anno, quo captæ sunt eversæque *Hierosolymæ*, celebratum dicit Pascha 14 mensis *Xantici* (*b*), qui ipsi idem est ac nobis Aprilis: quinquennio autem ante, ejusdem mensis die 8. (*c*). Utrumque, verò, hoc exemplum cursui Lunæ congruit.

Christi Nativitas & Passio.

Tempora quibus Paschata contigissent A. C. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

Itaque noviluniis primi mensis, secundùm Lunæ cursum & regulam *Jach*, computatis, atque inde numeratis diebus 14, video

(*a*) [Ant. Libr. III. cap. 10.]

(*b*) [De bello Judaico, Libr. VI. Cap. 11, in *Græcis*, initio. Videtur autem *Josephus* ibi potiùs notare, celebrandi Paschatis solemne tempus, ex instituto & more *Judæorum*, nec adeò diem anni *Græcorum Romanorúmve*, quo tum fortè illud celebratum est. Confer, cum hoc loco, eum, quem modo citavit Noster. Ad amussim ea conveniunt; nisi quòd illo tantùm dicat *Josephus*, eo *mense Israëlitas Ægypto* exiisse, hoc autem, & eodem *die* illud factum, ni fallor, narret. Habet, enim, ἔνῃ (scilicet τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρα) nec id significare videtur, quasi scripsisset ἐνῷ, ellipticè, pro ἐν ᾧ χρόνῳ, ut vertit Interpres; sed positum pro ἢ, πλεονάζοντος, nempe, τοῦ ἐν, quod *Græcis* non est omnino infrequens. Et eo, quidem, die *Ægypto* egressos fuisse *Israëlitas*, disertè docet *Moses*, Exod. XII. 18, 28 — 34, 42.]

(*c*) [Ibid. Lib. VII. Cap. 31, in *Græcis*, initio. Confer. II. 24. in fine.]

Digitized by Google

CAP. XI. 14 hujus menſis diem, anno *Chriſti* 31, incidiſſe in diem *Martis*, 27 Martii; anno 32, in diem *Solis*, 13. Aprilis; anno 33, in diem *Veneris*, Aprilis 3; anno 34, in diem *Mercurii*, 24 Martii; vel potiùs, ut evitaretur æquinoctium, quod eodem die tum contigit, útque meſſis tempore magis proprio poſſet fieri, in diem *Jovis*, Aprilis 22; ita & anno 35, in diem *Martis*, 12 Aprilis; anno, denique, 36, in diem *Saturni*, Martii 31.

Diſtinctiùs quando ea contigiſſe ſtatuenda ſint.

Cùm autem 15 & 21. dies menſis *Niſan* (*a*), ut & unus vel duo Pentecoſtes (*b*), nec non decimus quintus, & vigeſimus ſecundus, menſis *Tiſri* (*c*), ſemper dies fuerint ſabbathici, ſive quietis; incommodum autem fuiſſet, ſi non licuiſſet populo, per duos continuos ejuſmodi dies, ſepelire mortuos ſuos, ac recentes parare cibos [in calidis, enim, illis terris, cibus biduo facilè putreſcere poterat,] ut hæc, & ejuſmodi, evitarent incommoda, *Judæi*, quotieſcumque primus dies menſis *Tiſri*, ſive, quod eòdem redit, tertius menſis *Niſan*, erat dies Solis, vel Mercurii, vel Veneris, uno die ſeriùs menſes ſuos ordiebantur. Atque hanc regulam vocabant אדו *Adu*, litteris א, ד, & ו denotatis numeris 1, 4, & 6, id eſt, primam, quartam, & ſextam, feriam. Quòd ſi ergo, ex hac regulâ, menſes, quos ſupra notavimus, uno die ſeriùs incepiſſe ſtatuamus, decimus quartus menſis *Niſan* fuerit, anno *Chriſti* 31, dies Mercurii, 28 Martii; anno 32, dies Lunæ, Aprilis 14; anno 33, dies Veneris, Aprilis 3; anno 34, dies Veneris, Aprilis 23; anno 35, dies Mercurii, Aprilis 13; anno, denique, 36, dies Saturni, Martii 31 (*d*).

Hac,

(*a*) [Exod. XII. 16. Levit. XXIII. 7. 8.]

(*b*) [Levit. XXIII. 16. 21.]

(*c*) [Levit. XVI. 29 31. XXIII. 27–36.]

(*d*) (Legendus ad hæc omnia *Scaliger*, l. cit. pp. 131 & 643. Num, quæ priori loco habet, inter ſe, & cum iis, quæ hic Noſter conveniant, Aſtronomis Chronologiſque dijudicandum relinquimus, ut & Aſtronomica, quæ hìc occurrunt, omnia. Nobis obſervâſſe ſufficiet, comperendinationem neomeniæ propter duo continua ſabbatha, ut, in *Tiſri*, & æſtûs cauſâ neceſſaria erat, & rectè fieri poterat, cùm feſti Tabernaculorum dies primus & octavus eſſent ſabbatha, eorúmque adeò, ſi prior, ſimul etiam poſtremus, in perendinum, à ſeptimâ feriâ, diem transferretur; ita, è contrario, nec verno tempore neceſſariam fuiſſe, nec ulli futuram fuiſſe uſui, in *Niſan*, cùm azymorum primus & ſeptimus eſſent ſabbatha, adeóque, ſi memoratum incommodum, comperendinatâ neomeniâ, initio feſti evitaretur, neceſſariò in fine idem fuiſſet tolerandum.)

Digitized by Google

Hac, igitur, computatione, annus 32 absolutè rejicitur, quoniam eo *Christus* non potuerit pati die Veneris, quia is dies quinque diebus post, vel duobus ante, plenilunium statuatur; cùm tamen, ipso plenilunio, vel proximo inde die, statuendus sit. Eâdem de causâ rejiciendi anni 31 & 35, quia, hisce, dies, quo passus est *Christus*, non potest esse dies Veneris, nisi, vel sequatur triduo post, vel quatuor diebus antevertat, plenilunium: qui errores adeò enormes sunt, ut, unicuique, etiam è vulgo, in coelis admodùm conspicui fuissent. Anno, autem, ætatis suæ 36 *Christum* esse passum, pauci sunt, vel nulli, qui contendant; tum & hic, & annus 35, hâc de causâ rejicitur. *Christi Nativitas & Passio.* Anno ætatis suæ 32, Christus passus esse nequit, nec etiam 31, nec 35.

Initio imperii sui, TIBERIUS, VALERIUM GRATUM Procuratorem *Judææ* creavit; eique, post annos 11, successorem misit PONTIUM PILATUM, qui decem annos eam Provinciam administravit. Tum VITELLIUS, recèns creatus Procurator *Syriæ*, PILATUM eo honore spoliavit, suffecto ipsi MARCELLO, &, tandem, illum *Romam* misit. Verùm, per dilationes, contigit, ut antequam PILATUS *Romam* venisset, jam mortuus fuerit TIBERIUS. Interea VITELLIUS, post abrogatum, à se, PILATO magistratum, *Hierosolymas* venit, Paschatis tempore, ut *Judæam* Provinciam, æquè ac alias, initio administrationis suæ, inviseret; ibique, loco CAIAPHÆ, tunc summi Pontificis, creavit JONATHAM, ANANI, sive, ut in sacrâ paginâ vocatur, ANNÆ, filium. Postea, *Antiochiam* reversus, VITELLIUS, à TIBERIO litteras accepit, jubentes, ut pacem cum ARTABANO, *Parthorum* Rege, faceret. Eodem tempore *Alani*, à TIBERIO sollicitati, ARTABANI ditiones invaserunt, cujus etiam subditi, procurante id VITELLIO, mox rebellârunt: censebat, quippe, *Cæsar*, ARTABANUM, ita difficultatibus pressum, eò promtiùs pacis conditiones accepturum. Igitur ARTABANUS, continuò majori exercitu scripto, rebelles subegit; tum, VITELLIO ad Euphratem obviam factus, cum *Romanis* fœdus pepigit. Hinc VITELLIO TIBERIUS jussit, ARETÆ, *Arabum* Regi, bellum inferre. Is, ergo, exercitum adversùs hunc ducens, Nec 36.

Digitized by Google

CAP XI. unà cum HERODE, *Hierosolymas* venit, sacra illic facturus, solenni, quod tum celebrandum erat, festo. Hac in urbe, honorificè exceptus, triduo hæsit, atque, interea, summi Pontificis dignitatem, à JONATHA, in fratrem ipsius THEOPHILUM, transtulit : quarto, autem, die, litteris, de morte TIBERII certior factus, populum, sacramento sese CAJO, novo Imperatori, obstringere adegit; ac, revocato exercitu, in castra dimisit. Narrat hæc omnia JOSEPHUS (*a*). Jam, verò, TIBERIUS 22 annos, cum 7 mensibus, imperavit, mortuus autem est 16 Martii, initio (*b*) anni *Christi* 37, quo festum Paschatis incidit in 20 Aprilis proximum, id est, 35 post mortem TIBERII diebus. Nuncio, itaque, *Româ Hierosolymas*, ad VITELLIUM, deferendo, 36 vel 38 fuêre dies, quod cum horum inter se locorum distantiæ conveniens tempus sit, liquet festum, quo tum adscenderant VITELLIUS & HERODES, fuisse Pascha. Quod si enim fuisset Pentecoste, ut vulgò statuitur, tres solidos menses ignarus obitûs Principis Procurator mansisset, quod non est credibile. Certè, etiam res gestæ inter hoc festum, & illud, cujus celebrationi antea interfuerat VITELLIUS, Pascha; excitatio, nempe, seditionis in *Parthiâ*, seditionis ejusdem compositio, pactio inde fœderis cum *Parthis*, missio nuncii hujus fœderis *Romam*, acceptio novarum litterarum, quibus in *Arabas* proficisci jubebatur, atque hujus mandati exsequutio; multò majus temporis spatium flagitârunt, quinquaginta illis diebus, qui, à Paschate ad Pentecosten, elabebantur. Necesse est, ergo, ut Pascha, quo primùm VITELLIUS *Hierosolymas* adscendit, anni prioris Pascha fuerit. PILATO, igitur, ante Pascha A. C. 36 magistratus abrogatus, adeóque *Christus* ante illud Pascha passus est : Neque enim passus est hic sub VITELLIO, nec sub VITELLIO & PILATO simul, verùm sub solo PILATO.

Jam, porrò, observatu dignum est, Pontificatum apud *Judæos*, hoc tempore, fuisse munus annuum, & Paschate novum Pontificem creari

(*a*) Antiq. Libr. XVIII. capp. 6. 7. (*b*) [Vide quæ notavimus p. 385.]

Digitized by Google

creari fuisse solitum. GRATUS, enim, cui, in Provinciæ administratione, PILATUS succesſerat, ISMAELEM, ut JOSEPHUS testatur, Pontificem maximum creavit, post ANANUM; deinde, aliquo tempore pòst, (anno, puta, (*a*),) illi dignitatem hanc abrogavit, atque ELEAZARUM suffecit, & huic, anno exacto, SIMONEM; huic denique, anno pòst, CAIAPHAM. Tum loco ipse cessit PILATO. Ita VITELLIUS, uno Paschate, CAIAPHÆ succesſorem dedit JONATHAM, sequenti, verò, JONATHÆ THEOPHILUM. Hinc accidit, quod habet LUCAS (*b*), anno 15 TIBERII, ANNAM & CAIAPHAM Pontifices Maximos fuisse; nempe illum usque ad Pascha, hunc deinceps. Ita & JOANNES de Pontificatu, ut annuo munere, loquitur: semel, enim, iterúmque, postremo præconii *Christi* anno, CAIAPHAM summum fuisse *eo anno* Pontificem scribit (*c*). Sequenti, rursus, anno, functum eo munere ANNAM, refert LUCAS (*d*). THEOPHILUS, itaque, fuit Pontifex Maximus, anno primo CAII, JONATHAS, anno TIBERII 22, CAIAPHAS, ejusdem anno 21. Itaque, si singulis adsignemus annum, tempus, quo *Christus* passus est, quo CAIAPHÆ, nempe, ANNAS succesſit, non seriùs statui potest anno 20 TIBERII, ætatis *Christi* 34. *Christi Nativitas & Passio.*

Anni, ergo, tantùm 33 & 34 considerandi restant. Ex his illum, hoc argumento, rejiciendum evinco. Pascha, quod biennio præcesserat mortem *Christi*, cùm hic per sata ambularet, ejúsque Discipuli spicas vellerent, ac comesuri confricarent manibus, serò venisse, ex ipsa frumenti maturitate liquet. Et, sanè, ita comparatum fuit Pascha A. C. 32; quod Aprilis 14 contigit. Pascha autem A. C. 31, maturè contigit admodum, 28 Martii. Non, igitur, biennio post 31, sed post 32, suæ ætatis annum, passus est *Christus*. Nec 33;

Atque ita omnes temporis, quo mortem Servator subiit, notæ, anno, à natalibus ejus 34, & huic uni quidem omnes, conveniunt. Itaque passus est anno ætatis 34.

CAPUT

(*a*) [*Josephus*, ubi de hisce agit, Ant. Libr XVIII c. 3. ita loquitur, ut integer annus, quod ad *Ismaelem* hunc, intelligi vix queat.)

(*b*) Cap III. 1.

(*c*) Joan. XI. 49. 51. XVIII. 13.

(*d*) Act. IV. 6.

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

De vaticinio Scripturæ veritatis.

Imperia Urſo & Pardo, nec non Ariete & Hirco, repræſentata, iterum Dan. XI. deſcribuntur.

IMperia, ſecundâ & tertiâ bestiâ, Urſo, nempe, & Pardo, repræſentata, iterum à DANIELE deſcribuntur, in poſtremo ipſius vaticinio, quod, tertio anno imperii CYRI in *Babyloniâ*, conſcriptum eſt; eo, nempe, quo hic *Perſidem* ſubegit. Eſt, enim, hoc vaticinium, quaſi commentarius in viſum de Ariete & Hirco.

Ecce, inquit [DANIELI Angelus (*a*),] *adhuc tres exſurgent, in Perſide, Reges*, CYRUS, CAMBYSES, & DARIUS HISTASPIS, *& quartus*, XERXES, *longè, ſupra omnes, opibus ditabitur, cúmque divitiis invaluerit, omnes adverſus Regnum Græciæ excitabit Exſurget, verò, Rex fortis*, ALEXANDER Magnus, *multâ qui dominabitur poteſtate, quòdque ſibi placuerit efficiet. Hic cùm ſteterit, conteretur ejus Regnum, dividetúrque verſus quatuor ventos cœli; verùm non inter ipſius poſteros*, at poſt ipſorum mortem, *neque eâdem, quâ ille dominatus fuerit, poteſtate: evelletur, enim, ejus Regnum, etiam aliis præter hos.* ALEXANDER Magnus, devicto omni *Perſarum* Imperio, & parte *Indiæ* ſubactâ, mortuus eſt *Babylone*, uno menſe ante ſolſtitium æſtivum, ánno, Æræ NABONASSARI, 425. Duces, verò, exercitûs, monarchiam ejus tradiderunt fratri ipſius notho, PHILIPPO ARIDÆO, emotæ mentis homini; Imperio, autem, adminiſtrando PERDICCAM præfecerunt. Hic, conſentientibus illis, MELEAGRUM exercitui Imperatorem præpoſuit, Magiſtrum Equitum dixit SELEUCUM, CRATERUM Ærarii præfectum; porrò ANTIPATRUM *Macedoniæ*, & *Græciæ*; PTOLEMÆUM *Ægypto*; ANTIGONUM *Pamphyliæ*, *Lyciæ*, *Lycaoniæ*, *& Phrygiæ majori*; LYSIMACHUM *Thraciæ*; aliósque Duces aliis Provinciis, quotquot nimirum antea, vivo ALEXANDRO M., Provincias rexerant, præfecit. Jam nova Æra *Babyloniis* in uſu eſſe cœpit, *Æra* PHILIPPI dicta, annis ut

Ducum poſterorúmque Alexandri M. hiſtoria, ad explicationem loci citati.

(*a*) Dan. XI. 2. 3. 4.

Ærâ NABONASSARI computatis, & hujus anno 425, primo illius numerato. Porrò, cùm ROXANAM, uxorem, gravidam reliquisset ALEXANDER M., tribúsque ferè, quatúorve, mensibus post, enixa illa esset filium, hunc ALEXANDRUM vocârunt Duces, Regémque salutârunt, PHILIPPO, quem priùs in solio collocaverant, Imperii consortem. Regnavit PHILIPPUS, sub tutelâ PERDICCÆ, annos tres; duos, insuper, sub tutelâ ANTIPATRI; annum, denique, ulteriùs, & quod excedit, sub tutelâ POLYPERCHONTIS; in universum, annos 6, menses 4. Tum, unà cum Reginâ uxore, EURYDICE, jussu OLYMPIADIS, quæ ALEXANDRI M. erat mater, occisus est, mense SEPTEMBRI. *Græci*, verò, OLYMPIADIS crudelitatem perosi, ad CASSANDRUM, ANTIPATRI filium ac successorem, defecerunt. Hic, Imperium *Græciæ* adfectans, OLYMPIADEM occidit, ac, brevi post, Regem puerum, ALEXANDRUM, cum ROXANA matre, in arce *Amphipolensi* inclusit; curâ ipsorum demandatâ GLAUCIÆ, anno NABONASS. 432. Proximo anno, PTOLEMÆUS, CASSANDER & LYSIMACHUS, operâ SELEUCI, fœdus, contra ANTIGONUM, inierunt; post quædam, verò, prælia (*a*), pacem cum ipso fecerunt; anno NABONASS. 438; hisce legibus, ut CASSANDER, copiis *Europæis* præesset donec ALEXANDER, ROXANÆ filius, ad maturam pervenisset ætatem, LYSIMACHUS autem regeret *Thraciam*, PTOLEMÆUS *Ægyptum* & *Libyam*, ANTIGONUS omnem *Asiam*: SELEUCUS, anno priori, *Mesopotamiam*, *Babyloniam*, *Susianam*, & *Mediam*, occupaverat. Tribus, ferè, hic, à morte ALEXANDRI M., annis, ab ANTIPATRO *Babyloniæ* præfectus fuerat; tum pulsus ab ANTIGONO: jam autem regimen recuperavit, inque magnam Orientis partem extendit; unde nata est nova Æra, *Seleucidarum* dicta. Non diu pòst pacem cum ANTIGONO factam, (si DIODORO credimus, eodem anno Olympiaco;) CASSANDER, cùm ROXANÆ filium, ALEXANDRUM, jam adolescere videret, ac seri sermones in *Macedoniâ* intelligeret, oportere ut

Scriptura Veritatis.

(*a*) (Anglicè *wars*, quod plerumque *bella* significat.)

Digitized by Google

CAP. XII. libertati reſtitueretur Regníque paterni adminiſtrationem ipſe ſuſciperet; GLAUCIÆ, arcis *Amphipolenſis* Præfecto, imperavit, ut ROXANAM, cum Rege puero, occideret, eorúmque mortem celaret. Tum POLYPERCHON HERCULEM, ALEXANDRI M., ex BARSINE, filium, Regem conſtituit; brevi autem pòſt, à CASSANDRO ſollicitatus, eumdem occidi curavit. Nec longo hinc elapſo tempore, ANTIGONUS, cùm filius ipſius, DEMETRIUS, ingentem, à PTOLEMÆO navalem victoriam reportaſſet, *Regis* titulum adſumſit, eumdémque filio ſuo dedit. Contigit hoc anno NABONASS. 441. ANTIGONI exemplum ſequuti, SELEUCUS, LYSIMACHUS, CASSANDER, & PTOLEMÆUS, titulum dignitatémque Regum adſumſerunt ſinguli; quo honore abſtinuerant; donec aliquis è poſteris ALEXANDRI Magni, Imperii hæres, ſupererat. Ita, ergo, Monarchia *Græcorum*, hæredis defectu, in varia Regna diffracta eſt; è quibus quatuor, ad quatuor ventos cœli ſita, præ ceteris eminuerunt. PTOLEMÆUS, enim, imperabat *Ægypto*, *Libyæ*, & *Æthiopiæ*; ANTIGONUS *Syriæ*, & *Aſiæ Minori*; LYSIMACHUS *Thraciæ*; CASSANDER, denique, *Macedoniæ*, *Græciæ*, & *Epiro*; ut dictum eſt ſupra (*a*).

Eorumdem hiſtoriæ continuatio, donec omne Alex M. Imperium ſoli *Ptolemæus* & *Seleucus* tenerent.

SELEUCUS, hoc tempore, Gentibus imperabat trans Euphratem ſitis, quæ ad corpora duarum priorum, in vaticinio DANIELIS, beſtiarum pertinuerant; poſt annos, verò, ſex, ANTIGONUM devicit, eóque Dominus unius è quatuor memoratis Regnis evaſit. CASSANDER enim, ANTIGONI potentiam timens, cum LYSIMACHO, PTOLEMÆO, ac SELEUCO, ſocietatem adverſùs illum, iniit; dúmque LYSIMACHUS *Aſiæ* partes juxta Helleſpontum invadebat, PTOLEMÆUS *Phœniciam*, & *Cœle-Syriam*, nec non *Aſiæ* loca maritima, ſubjugavit. Mox SELEUCUS, cum validiſſimo exercitu, in *Cappadociam* deſcendit, ac, conjunctis fœderatorum viribus, cum ANTIGONO in *Phrygiâ* conflixit, ipſum occidit, Regnúmque ejus occupavit, anno NABO-

(*a*) (Pag. 300. niſi quod ibi, pro *Antigono*, Seleucus Syriæ imperaſſe dicatur. Rationes unicuique ſunt notæ, atque etiam hic ſequuntur.)

Digitized by Google

NABONASS. 447. Post hæc SELEUCUS *Antiochiam*, *Seleuciam*, *Laodiceam*, *Apameam*, *Berrhœam*, *Edessam*, aliáque, in *Syriâ* & *Asiâ*, oppida, condidit, in iísque *Judæis* æqualia cum *Græcis* jura concessit. *Scripturæ veritatis.*

DEMETRIO, ANTIGONI filio, exigua tantùm, è paternis ditionibus, pars fuit reliqua, ísque, tandem etiam, à PTOLEMÆO, *Cypro* privatus est; postmodùm autem, occiso ALEXANDRO, CASSANDRI filio, atque, in Regno *Macedoniæ*, successore, hujus ditiones occupavit, anno NABONASS. 454. Aliquanto pòst, ingentem dum cogit exercitum, quò paternas, in *Asiâ*, ditiones recuperaret; SELEUCUS, LYSIMACHUS, & PYRRHUS, *Epiri* Rex, societatem adversùs illum inierunt; & PYRRHUS, quidem, cùm invasisset *Macedoniam*, exercitum DEMETRII corrupit, ipsum in fugam vertit, Regnóque ejus occupato, cum LYSIMACHO illud est partitus. Septem inde mensibus, LYSIMACHUS, victo à se PYRRHO, *Macedoniam* eripuit, eámque, cum *Thraciæ* Regno conjunctam, tenuit annos quinque cum dimidio. Hic variis, quæ cum ANTIGONO & DEMETRIO gesserat, bellis, eripuerat iis *Cariam*, *Lydiam*, & *Phrygiam*, fuítque illi ærarium, sive gazophylacium, *Pergami*, quæ arx erat in cacumine montis conicæ figuræ in *Phrygiâ*, prope flumen *Caicum*, cujus custodiam PHILETÆRO cuidam commiserat, qui initio quidem ipsi fidelis fuit, postremo, autem, imperii ipsius anno, adversùs illum rebellavit. Cùm, enim, LYSIMACHUS, ARSINOES uxoris instinctu, primò proprium filium, AGATHOCLEM interfeciset, deinde plurimos, qui hunc exstinctum dolebant; AGATHOCLIS uxor, cum liberis ac fratribus, aliísque quibusdam amicis, fugit, precibúsque SELEUCUM sollicitavit, ut LYSIMACHO bellum inferret; quo facto, etiam PHILETÆRUS, qui & ipse AGATHOCLIS ægrè ferebat mortem, ideóque ab ARSINOE delatus fuerat, arma cepit, ac SELEUCI partes sequutus est. Hac occasione occurrerunt sibi invicem LYSIMACHUS & SELEUCUS, conflixerúntque in *Phrygiâ*; & ille, quidem, in prælio cæsus, Regnum victori reliquit, anno NABONASS. 465. Ita *Græcorum*, quod primò in quatuor Regna diffractum erat, Im-

Digitized by Google

CAP. XII. perium, tandem ad duo redactum est, maximè insignia; hinc DANIELI Reges Austri & Aquilonis dicta. Jam enim *Ægypto*, *Lybiæ*, *Æthiopiæ*, *Arabiæ*, *Phœniciæ*, *Cœle-Syriæ*, & *Cypro*, unus imperabat PTOLEMÆUS; SELEUCUS, verò, tribus, è quatuor Regnis, sub unam potestatem redactis, dominio pollebat, vix *Persico*, quod subegerat ALEXANDER Magnus, Imperio inferiori. Hæc omnia, DANIEL, hac ratione, describit. *Potens erit viribus Rex Austri*, PTOLEMÆUS, *atque unus ex ejus*, ALEXANDRI M., *Principibus*, SELEUCUS, *præ ipso potens futurus est, ac dominaturus: ingens erit ejus dominium* (a).

Quos innuit *Daniel* Ibid. vs. 5.

Seleucidarum & Lagidarum res gestæ, usque ad mortem *Callinici*, & *Ptolemæi* Evergetis.

Postquam SELEUCUS septem menses in *Macedoniam*, *Græciam*, *Thraciam*, *Asiam*, *Syriam*, *Babyloniam*, *Mediam*, omnémque, ad *Indiam* usque, Orientem, Imperium tenuisset, PTOLEMÆUS *Ceraunus*, frater junior PTOLEMÆI *Philadelphi*, Regis *Ægypti*, perfidè illum occidit, ejúsque, in *Europâ*, ditiones occupavit: dum filius ejus, (SELEUCI,) ANTIOCHUS *Soter*, patri in *Syriâ*, *Asiâ*, & maximâ Orientis parte, succederet. Hunc deinde, post 19 vel 20 annos, excepit ANTIOCHUS *Theos*; qui diutinum, quod cum *Philadelpho* gerebat, bellum, tandem, ductâ uxore BERENICE, *Philadelphi* filiâ, composuit: postquam, verò, quindecim annos regnâsset, à priori uxore, LAODICE, veneno sublatus est, quæ filium suum, SELEUCUM *Callinicum*, in solio collocavit. Initio Regni *Callinicus*, matris LAODICES instinctu, BERENICEM in *Daphne*, juxta *Antiochiam* castello, obsedit; ac mox, cum filio puero, multísque, quæ cum ipsâ, mulieribus, interfecit. Hinc PTOLEMÆUS *Evergetes*, *Philadelphi* filius & successor, bellum *Callinico* intulit; *Phœniciam*, *Syriam*, *Ciliciam*, *Mesopotamiam*, *Babyloniam*, *Susianam*, aliásque ipsi terras eripuit; denique talentorum argenti quadraginta millia; nec non bis mille & quingenta Deorum, (in quibus & *Ægyptiorum* Deorum, quæ CAMBYSES abduxerat) simulacra, in *Ægyptum* reduxit. *Callinico* fratri primò opem tulit ANTIOCHUS *Hierax*; postea, autem, cum eodem de *Asiâ* contendit

Inte-

(a) Dan. XI. 5.

Digitized by Google

Interea EUMENES, *Pergami* Præfectus, ANTIOCHUM prælio superaveit, & utrique omnem *Asiam*, à *Tauro* monte versùs occidentem, eripuit. Contigit hoc quinto *Callinici* anno; cui, denique, postquam 20 annos inglorius regnâsset, filius, SELEUCUS *Ceraunus*, successit; post quatuor inde annos, NABONASS. 527, etiam *Evergetem* excepit filius, PTOLEMÆUS *Philopator*. Hæc omnia ita describit DANIEL (*a*). *Et post annos*, aliquot, *fœdere se jungent* Reges Austri & Aquilonis. *Filia*, *quippe*, *Regis Austri*, BERENICE, *ad Regem Aquilonis veniet*, *ad pangendam pactionem*, *non autem retinebit potestatem brachii*; *neque stabit ipsa* (*b*), *neque semen ejus*, *sed tradetur ipsa*, *& is qui eam adduxerat*, Callinicus (*c*), *& is quem ipsa pepererat* (*d*), *& illi qui eam roborabant* illis *temporibus* sive eam in obsidione *Daphnensi* defendebant. *Verùm è germine radicum ejus surget aliquis*, *in sede suâ*, frater ejus Evergetes, *qui veniet cum exercitu*, *& introibit in castellum*; sive urbes munitas, *Regis Aquilonis*, *& adversùs eas aget*, *& prævalebit*: *Et abducet captivos in Ægyptum ipsorum Deos*, *cum principibus ipsorum*, *& pretiosis vasibus ex auro & argento*, *& manebit aliquot annos post Regem Aquilonis.* *Scriptura Veritatis.*

SELEUCUS *Ceraunus*, cùm Regni paterni reliquias hæreditario jure adquisivisset, inque animo haberet ceteras ejusdem partes recuperare, ingentem, adversùs *Pergami* quondam Præfectum, nunc Regem, exercitum paravit; tertio autem Imperii sui anno est mortuus. Frater ejus & successor, ANTIOCHUS *Magnus*, bellum promovens, Regi *Pergamensi* omnem ferè *Minorem Asiam* eripuit, *Mediam* quoque, *Persiam* & *Babyloniam*, Provincias, recuperavit ab *Eorumdem historia usque ad victoriam ad Raphiam de Seleucidis.*

(*a*) Dan. XI. 6. 7. 8. (ex versione ipsius *Nevvroni*, latinè redditâ. Differt illa ab omnibus, quas vidi, versionibus, eâque tamen, etiam in quibus differt, explicatio ejus nititur)

(*b*) (Ita, præter Nostrum, unus *Grotius*. Attamen contra textum Hebræum; enim, והעמד non ולא יעמד.)

(*c*) (Legendum, procul dubio, *Theos*: vide antecedentia & sequentia.)

(*d*) (Alii, *qui eam genuerat*. Vox Hebræa, pro variâ punctatione, hoc vel illud significat. Utrumque tamen ab Interpretibus agnoscitur.)

Digitized by Google

CAP. XII. ab earundem Præfectis, qui & ipſi defecerant. Idem, quinto Regni anno, *Cœle-Syriam* invaſit, nec difficili negotio magnâ ejus parte potitus eſt: mox, anno proximo, reliquum ejus Provinciæ, nec non *Phœniciam*, invaſurus, PTOLEMÆI *Philopatoris* exercitum prælio, prope *Berytum*, ſuperavit. Tum in *Paleſtinam*, finitimáſque *Arabiæ* partes, irrupit, tertióque anno, cum ſeptuaginta & octo millium armatorum exercitu, rediit. PTOLEMÆUS, verò, cum ſeptuagies & quinquies mille armatis, *Ægypto* egreſſus, ipſum ad *Raphiam*, prope *Gazam*, inter *Paleſtinam* & *Ægyptum*, fudit; omnémque ei, denuo, *Paleſtinam* & *Cœle-Syriam* eripuit, anno NABONASS. 532. Hoc, autem, eâ victoriâ, magnopere elato, ínque omni luxu vitam ducente, rebellârunt *Ægyptii*, cúmque ipſo bella geſſêre, quibus tamen ſuperati ſunt. Et per has, quidem, turbas, ſexaginta millia *Judæorum Ægyptiorum* cæſi ſunt. Hæc omnia ita DANIEL (*a*). *Ejus autem filii*, SELEUCUS Ceraunus, & ANTIOCHUS Magnus Callinici filii (*b*), *concitabuntur, & ingentem cogent exercitum, & veniet*, ANTIOCHUS Magnus, *potenter, & inundabit, & pervadet, & revertetur. Et*, iterum proximo anno, *concitabitur, exercitum ducens etiam ad ejus caſtellum*, Ægypti propugnacula in ejus finibus; *Et iraſcetur Rex Auſtri, & egredietur*, anno tertio, *& pugnabit cum ipſo, cum Rege Aquilonis. Et is*, Aquilonis Rex, *ingentem ducet multitudinem, verùm multitudo in ipſius manum tradetur. Et, ſublatâ multitudine, efferetur illius animus, & multas myriadas dejiciet; verùm in eo non firmabitur: Rex, quippe Aquilonis revertetur*, &c.

Quomodo ea *Danieli* deſcribantur.

Duodecim ferè, poſt prælium inter *Philopatorem* & ANTIOCHUM, annis, ille mortuus eſt, Regnúmque filio ſuo, PTOLEMÆO *Epiphani*, quinquenni puero, reliquit. Tum ANTIOCHUS Magnus cum *Macedoniæ* Rege PHILIPPO fœdus iniit, quo ſe obſtringebant ſinguli, eas *Epiphanis* ditiones invaſuros, quibus ſuæ eſſent confines. Hinc varium, ANTIOCHUM inter & *Epiphanem*, bellum exortum, quo, alternis vicibus, *Phœniciam* & *Cœle-Syriam* hi Reges occupârunt, adeò ut, ab utrâque parte, multùm hæ Re-

Antiochi Magni res geſtæ & fata, *Danieli* deſcripta.

(*a*) Dan. XI. 10. &c.
(*b*) (Verſu tamen nono de Rege Auſtri loquitur Vates.)

Digitized by Google

Regiones perpeſſæ ſint. Primus eas occupavit ANTIOCHUS; tum SCOPAS quidam, cum exercitu *Ægyptio* miſſus, eaſdem ab illo recuperavit: proximo anno, NABONASS. 550, prope fontes *Jordanis*, ANTIOCHUS cum *Scopa* congreſſus, eum fudit, dein *Sidone* obſedit, eam urbem cepit, ac *Syriam* cum *Phœniciâ*, denuo, ab *Ægyptiis*, in ſuam poteſtatem vindicavit, ultro ad illum tranſeuntibus *Judæis*. Tribus autem annis pòſt, cùm bellum in *Romanos* adornaret, *Raphiam*, in *Ægypti* finibus, venit ANTIOCHUS, pacem cum *Epiphane* fecit, ſuámque ipſi filiam CLEOPATRAM uxorem dedit. Proximo autumno Helleſpontum trajecit, *Græcas*, quæ in fide *Romanorum* erant, urbes invaſurus, è quibus etiam cepit nonnullas; verùm, æſtate proximâ, prælio à *Romanis* victus, in *Aſiam* cum exercitu reverti coactus eſt: necdum circumacto anno, etiam ipſius claſſis, à *Romanorum* claſſe, devicta eſt, prope *Phocæam*. Eodem quoque tempore legationem *Romam* miſerunt *Epiphanes* & CLEOPATRA, quæ S. P. Q. R. de ſucceſſu armorum in ANTIOCHUM, patrem ſuum, gratularetur, eoſdémque adhortaretur, ut bellum, cum ipſo, in *Aſiam* proſequerentur. *Romani* denuo ANTIOCHUM, haud procul *Epheſo*, maritimo prælio ſuperârunt; copias ſuas Helleſpontum traduxerunt; ingentem, ex eodem, victoriam terrâ reportârunt; omnem ipſi, cis Taurum, *Aſiam* ereptam, *Pergamenſi* Regi, à quo, hoc in bello, adjuti fuerant, dederunt; grave, denique, tributum ANTIOCHO impoſuerunt. Ita Rex *Pergami*, *Romanorum* potentiâ, ereptas ſibi, ab ANTIOCHO, ditiones recuperavit: ANTIOCHUS autem, cùm in reliquas ſibi Regni partes ſeſe recepiſſet duobus annis poſt, à *Perſi*, dum JOVIS *Beli* Templum in *Elymaide* ſpoliaret, ut inde argentum *Romanis* debitum conficeret, occiſus eſt. Atque hæc ita apud DANIELEM deſcripta occurrunt (*a*). *Revertetur enim Rex Aquilonis*, ANTIOCHUS, *majorémque priori multitudinem ducet; & certò veniet, poſt certos annos, cum ingenti exercitu, & ingentibus divitiis. Et, illis temporibus, multi adverſus Regem Auſtri conjurgent*, præſertim Macedones, *etiam ſpoliatores*

Scriptura Veritatis.

(*a*) Ibid. vſ. 18 --- 19.

Digitized by Google

CAP. XII. *tores populi tui*, Samaritani, *seſe efferent, ad firmandum viſum; ſed cadent. Ita veniet Rex Aquilonis, & ſtruet aggerem* (a), *munitiſſimásque urbes capiet; nec reſiſtent Brachia Auſtri, neque electus ejus populus, neque ulla ad reſiſtendum vis futura eſt. Ille, verò, qui adverſus ipſum veniet, quodcumque ſibi libuerit faciet, neque ſtabit coram ipſo quiſquam: & in glorioſâ terrâ conſiſtet, quæ in manu ejus deficiet. Ponet etiam faciem ſuam ad eundum, cum omnis Regni ſui robore*, vel exercitu, *pangétque cum ipſo pactionem*, ad Raphiam, *dabítque ipſi filiam fœminarum, ipſam corrumpens: illa verò, non ſtabit ab ipſius partibus, neque ipſi erit. Poſt hæc convertet faciem ſuam ad inſulas, & multas capiet: verùm Princeps, ſuâ ipſius cauſâ*, Romani, *faciet ut infamia, quam intenderat, ceſſet; abſque ſuâ ipſius infamiâ, faciet ut in illum ea recidat. Tum convertet ille faciem ſuam adverſus munimentum ſuæ ipſius terræ; verùm titubabit, concidétque, & non invenietur.*

Seleuci Philopatoris, *Antiochi* M. filii, res geſtæ & fata; &, quî ea *Danielis* deſcribantur.

ANTIOCHO ſucceſſit filius SELEUCUS *Philopator*, anno NABONASS. 561, regnavítque annos 12; nihil autem memorabile geſſit, cùm eſſet torpidus, & in unum id intentus, quî pecuniam, *Romanis*, quibus vectigalis erat, dandam, corraderet. Occiſus eſt ab HELIODORO, quem direptum Templum *Hieroſolymitanum* miſerat. His verbis ejus Regnum DANIEL deſcribit (b): *Tum ſurget, ejus loco, exactor tributi, in gloriâ Regni, verùm intra paucos dies perdetur, neque id irâ, neque in prælio.*

Antiochi Epiphanis res geſtæ, & mores, primo regni ejus anno.

Brevi tempore, priùs quàm moreretur *Philopator*, ejus filius, DEMETRIUS, obſes *Romam* fuerat miſſus, loco ANTIOCHI *Epiphanis*, qui frater erat *Philopatoris*, erátque ANTIOCHUS *Athenis*, in reditu ſuo *Româ*, cùm *Philopator* frater moreretur. Hinc HELIODORUS, Ærarii Præfectus, ſolium conſcendit. ANTIOCHUS, autem, ita rem ſuam egit, ut *Romani* DEMETRIUM *Romæ* retinuerint; eorúmque ſocius, Rex *Pergami*, HELIODORUM de ſolio deturbavit, ANTIOCHUM, verò, Regem conſtituit; DEMETRIO, interea, vero hærede, *Romæ* manente obſide. ANTIOCHUS, hac ratione, amicitiâ Regis *Pergami*, factus Rex, multâ potentiâ *Syriæ* vicinísque Regionibus imperavit. Multò, autem, infra

(a) *He ſhall caſt up à mount.* (b) Vſ. 20.

Digitized by Google

infra dignitatem ſeſe geſſit. Quippe furtim privatímque è Regiâ exire, ac perſonatus per urbem ſurſum deorſum vagari, cum uno, vel item altero, è ſodalibus: cum infimæ ſortis hominibus, hoſpitibus, ignotis, verſari ac potare: diſſolutorum hominum cœtus, ad bacchanalia & comeſſationes coactos, frequentare: veſtire ſeſe more candidatorum, ac centurionum, apud *Romanos*; horum partes, inſtar pantomimi, agere: in feſtis publicis, cum ſervis, ac levi quocumque hominum genere, ſaltare ac jocari: ludibrio, denique, ſeſe, omnigenis geſticulationibus ridiculis, exponere. His ipſius moribus effectum, ut nonnulli eum pro inſano habuerint, ANTIOCHUMque Επιμένη vocârint. Primo Regni ſui anno, Pontifici Maximo *Judæorum*, ONIÆ, dignitatem abrogavit, vendidítque Pontificatum JASONI, minori natu ONIÆ fratri. Promiſerat enim JASON, pro eo munere ſe daturum ipſi quadringenta & quadraginta talenta argenti; atque inſuper centum & quinquaginta, ut ſibi gymnaſium inſtituere liceret, quo ſuperſtitioſarum Gentium moribus adoleſcentes educarentur. Et hoc quidem à Rege conceſſum, à JASONE, reapſe perfectum eſt (*a*). Deinde Rex, miſſo quodam in *Ægyptum* APOLLONIO, qui inaugurationi *Philometoris*, filii adoleſcentis *Epiphanis* & CLEOPATRÆ, adeſſet, ſciénſque non benè erga ipſius res in *Phœniciâ* adfectum *Philometorem*, propriæ, in illis terrarum tractibus, ſaluti conſuluit, venítque, eum in finem, *Joppam* & *Hieroſolymas*, ubi honorificè exceptus eſt. Inde eodem modo, cum parvo, qui ipſi aderat, exercitu, ad urbes *Phœniciæ* venit, ſeſe adverſùs *Ægyptum* firmaturus, populum ambiendo, largitionéſque prætermodum paſſim profundendo. Hæc omnia DANIELI ita deſcribuntur (*b*). *In ejus, deinde,* SELEUCI Philopatoris, *loco, ſtabit homo vilis, cui illi,* Syri, qui HELIODORUM Regem creârunt, *non dabunt honorem Regni. Attamen pacatè intrabit, Regnúmque adulando,* Pergami

Scriptura Veritatis.

Quomodo de iis *Daniel.*

(*a*) [2. Macchab. IV. 7--11 &c. & 1. Macchab. I. 14--16. Vide tamen & *Joſephum*, Ant. XII. Cap. 6. poſteriora *Menelao* adſcribentem, &, Libro de Macchabæis, C. 4. longè majori pecuniâ conſtitiſſe *Jaſoni* Pontificatum referentem.]

(*b*) Cap. XI. 21, &c.

Digitized by Google

CAP. XII. Pergami præſertim Regem, *obtinebit, & brachia*, quæ pro HELIODORO ipſi obſtiterunt, *inundabuntur fluento à facie ejus, & confringentur*; *imò & Princeps fœderis*, ONIAS, Pontifex Maximus. *Et poſt ſancitum, cum ipſo fœdus*, cum Rege Ægypti, miſſo, qui ejus inaugurationi adeſſet, APOLLONIO, *aget fraudulenter*, contra Regem Ægypti; *adſcendet, enim, & corroborabitur*, in Phœniciâ, *cum exiguo populo. Et introibit in quietas, ac copiâ honorum dites, urbes provinciæ*, Phœniciæ, *faciétque*, ut ſibi gratiam conciliet Judæorum, in Phœniciâ & Ægypto, eorúmque qui his amici erant, *quod non fecerant ipſius patres, nec patrum majores*; *profundet inter ipſos prædam, & ſpolia, & divitias*, ab aliis locis exactas, *& conſilia inibit adversùs munimenta*, Ægypti, *idque pro tempore*.

Antiochi res geſtæ adverſùs Ægyptum, in Ægypto, &, reverten-tis in Judæos

Contigerunt hæc primo Regni ipſius anno, Æræ NABONASS. 573, ex eóque adversùs *Ægypti* propugnacula conſilia iniit, ad annum uſque ſextum. Tribus enim pòſt annis, quarto, nempe, Regni ejus, MENELAUS à JASONE Pontificatum emit; cùm, verò, pretium non ſolveret, à Rege arceſſitus eſt. Rex, autem, priùs quàm cauſæ illi audiendæ vacare poſſet, in *Ciliciam* contendit, ut ſeditionem ibi exortam, componeret; ANDRONICUM, tamen, legatum, *Antiochiæ* reliquit. Interea MENELAI frater, ut argentum, quod debebatur, conficeret, plurima vaſa Templo extulit, ex iiſque *Tyri* quædam vendidit, quædam, verò, ANDRONICO miſit. Hac de re correptus, ab ONIA, MENELAUS, effecit ut ab ANDRONICO ONIAS occideretur, eâ: autem, de cauſâ Rex, è *Ciliciâ* reverſus, ANDRONICUM interfici curavit (*a*). Tum alteram, in *Ægyptum*, expeditionem adornavit ANTIOCHUS, eámque, ſexto Regni ſui anno, perfecit, Æræ NABONASS. 578. Mortuâ, quippe, CLEOPATRA, tutores filii ipſius adoleſcentis, Regis *Ægypti*, *Phœniciam* & *Cœle-Syriam*, ut CLEOPATRÆ dotem, ab ANTIOCHO vindicârunt ſuo Regi, iiſque ditionibus recuperandis ingentem exercitum coëgerunt. ANTIOCHUS,

(*a*) [2. Macchab. IV. 23--38. non tamen Menelaus *à Jaſone*, ſed argento, *a Jaſone* ipſi dato, ut Regi ſolveret, atque inſuper majori promiſſo, *à Rege* emiſſe Pontificatum ibi dicitur.]

Digitized by Google

CHUS, conſiderato patrem ſuum earum Regionum poſſeſſione nunquam ceſſiſſe, eas CLEOPATRÆ dotem fuiſſe datas negavit; & & ipſe, igitur, cum exercitu ingenti, *Ægyptiis* occurrit, cúmque iis prælium, in *Ægypti* confiniis, inter *Peluſium* & *Caſium* montem, commiſit. Ibi eos fudit, omnémque eorum facilè deleviſſet exercitum, niſi, ſurſum deorſum per ſuos ipſe equitans, militibus, non occidere hoſtes, ſed viventes capere, juſſiſſet. Eà humanitate primùm *Peluſio*, mox etiam omni *Ægypto*, eſt potitus, quam cum vaſtâ multitudine, peditum, curruum, elephantum, & equitum, magnáque claſſe, ingreſſus eſt. Tum, occupatis, amici ſpecie, urbibus *Ægypti*, ac *Memphim* cum exercitu profectus, omnem belli culpam in EULÆUM, Regis tutorem, conjecit, externáque oſtentatione amicitiam cum Rege adoleſcente junxit, Regníque negotiorum ordinationem in ſe recepit. Dum ita occuparetur ANTIOCHUS, ac fama, per *Phœniciam*, ferret, eum vitam cum morte commutâſſe, JASON, ut Pontificatum recuperaret, *Hieroſolymas*, cum ampliùs mille viris, adórtus, urbem cepit (*a*). Hinc Rex, *Judæos* defeciſſe ratus, inſtar furioſi hominis ex *Ægypto* reverſus, urbem recepit; quadraginta *Judæorum* millia occidit; totidem, captivos factos, pecuniæ conficiendæ ergò vendidit, in Templum, porrò, ſeſe contulit, illúdque ſuis theſauris, ornamentis, utenſilibus, aureis argenteíſque vaſibus, ad mille & octingentorum talentorum pretium, ſpoliavit, omnémque prædam *Antiochiam* abduxit. Evenerunt hæc anno NABONASS. 578, eáque his verbis deſcribit DANIEL (*b*). *Et concitabit potentiam ſuam, & virtutem ſuam, adversùs Regem Auſtri, cum ingenti exercitu; & concitabitur Rex Auſtri ad prælium, cum exercitu prægrandi, potentíque; verùm non conſiſtet: illi enim*, ANTIOCHUS cum ſuis amicis, *conſilia adversùs eum inibunt*, ut ſupra deſcriptum; *imò illi, qui portione cibi ipſius aluntur, ipſum* prodent ac *perdent, excercitúſque ipſius proſtigabitur, & caſi concident multi. Erit autem utriuſque hujus Regis animus pronus ad nocendum; iíque*, [ambo Reges,] nunc amici facti, *mendacia ad unam menſam loquentur*, adverſùs Judæos, ſanctúmque fœdus, *illud*

Scriptura Veritatis.

Eorumdem deſcriptio apud Proſetam.

(*a*) [2. Macchab. V. 5. &c.] (*b*) Cap. XI. 25.

Digitized by Google

CAP. XII. *illud autem prosperè non cedet : verumtamen finis*, quo abominationis desolationis erectio secundis fatis utetur, *erit statuto tempore. Tùm revertetur in terràm suam, cum multis divitiis, erítque animus ejus adversùs sanctum fœdus, agétque*, adversùs illud, Templum spoliando, *ínque terram suam revertetur.*

Antiochi reditus in Ægyptum, atque inde in Syriam; hinc denuò in Ægyptum, & tandem, iterum, Romanorum jussu, in patriam; denique furor in Judæos.

Cùm animadverterent *Ægyptii Alexandrini*, *Philometorem*, primò in luxuriâ educatum, ab EULÆO Eunucho, jam autem sub potestate ANTIOCHI, Regnum *Euergeti*, juniori ipsius fratri, obtulêre. Tum ANTIOCHUS, *Philometori* Regnum restituturum præ se ferens, *Euergeti* bellum intulit; maritimo eum prælio vicit, deinde, unà cum sorore CLEOPATRA, *Alexandria* obsedit. Interea obsessi Principes Romam, imploratum Senatûs auxilium, mittunt. ANTIOCHUS autem, animadverso capere se urbem eo anno non posse, in *Syriam* reversus est, relicto *Memphi Philometore*, qui, se absente, *Ægyptum* regeret. Hic, verò, eâ hieme, amicitiam cum fratre junxit. ANTIOCHO, autem, proximo vere, anno NABONASS. 580, redeunti, atque utrumque PTOLEMÆUM *Alexandria* obsidere paranti, obviàm in itinere facti sunt POPILIUS LÆNA, C. DECIMIUS, & C. HOSTILIUS, Legati *Romanorum*. His manum ille osculandam obtulit; POPILIUS, verò, tabulas, quibus nuncium Senatûs inscriptum erat, ipsi tradens, eas priùs legere jussit. Lectis, ille, respondet, cum amicis expensurum quid factu opus sit: verùm POPILIUS, circulo in terrâ circùm ipsum ducto, respondere, priùs quàm inde egrediatur, imperat. Rex, feroci hoc insuetóque imperio (*a*) perculsus, ex voluntate *Romanorum* facturum sese promisit. Tum POPILIUS suam ANTIOCHO manum osculandam præbuit, hic, verò, ex *Ægypto* reversus est. Eodem anno ejus Duces, ipsius jussu, *Judæos* expilárunt, trucidárúntque, Templum profanárunt, Idolorum cultum in *Judæâ* introduxerunt, atque eadem colere recusantes vexare, & bello petere, cœperunt. Hæc apud DANIELEM ita descripta invenias (*b*): *Statuto tempore veniet*, iterum, *adversus Austrum, at non erit priori simile novissimum. Venient, quippe, naves Chittim*, cum legatione Romanorum, *adversùs eum*;

Danielis verba, illuc spectantia.

(*a*) *This blunt and unusual imperiousness.* (*b*) Ubi supra *v.* 29. 30.

Digitized by Google

eum: *idcirco contriſtabitur, revertetúrque, & indignabitur adversùs ſanctum fœdus. Ita faciet; revertetur, & mutua ipſi erunt conſilia* (*a*) *cum iis, qui ſancto fœderi non ſtabunt.* *Scriptura Veritatis.*

Eodem illo anno, NABONASS. 580, quo ANTIOCHUS, *Romanorum* juſſu, ex *Ægypto* receſſit, ac *Græcorum* Deorum cultum in *Judeâ* introduxit; *Romani Macedoniæ* Regnum, quo *Græcorum* Monarchia primùm cœperat, expugnârunt, atque in Provinciæ formam redegerunt. Et eo, quidem, Imperio tertiæ apud DANIELEM, beſtiæ finem impoſuêre. Hac ratione apud Profetam id deſcribitur (*b*): *Et poſt eum brachia*, id eſt, Romani, *exſurgent*. Ut ממלך verſu octavo, ſignificat *poſt Regem*, ita & מכנו ſignificare poteſt *poſt eum*. *Brachia* ubique, in hoc DANIELIS vaticinio, pro militari alicujus Imperii robore ponuntur, eáque tum *exſurgere* dicuntur, cùm alios Principatus ejuſmodi Imperium expugnat, ac potens evadit. Hactenus deſcripſerat DANIEL, quid geſturi forent Reges Auſtri & Aquilonis, poſtquam, verò, uſque ad expugnationem *Macedoniæ*, per *Romanos*, veniſſet, à deſcribendis *Græcorum* rebus geſtis deſiſtit; *Romanorum*, autem, in *Græciâ* negotia, ac geſta, deſcribere adgreditur. Subegerunt hi *Macedoniam, Illiricum* & *Epirum*, anno NABONASS. 580. Triginta quinque annis pòſt, ex teſtamento ATTALI, poſtremi Regis *Pergami*, ditiſſimum ac florentiſſimum illud Regnum, id eſt omnem, cis Taurum, *Aſiam*, hæreditario jure, conſequuti ſunt. Unde ſeptuaginta annis ulteriùs elapſis, Regnum *Syriæ* debellârunt, ínque Provinciæ formam redegerunt; triginta, deinde, & quatuor annis pòſt, idem fecerunt *Ægypto*. Singulis hiſce gradibus *Romana Brachia* ſupra *Græcos* exſurrexêre; tandémque, etiam, nonaginta ulteriùs annis pòſt, bello *Judæis* illato, *ſacrarium polluerunt, ac juge ſacrificium ſuſtulerunt, & tum abominationem deſolationis poſuerunt*. Poſita eſt, quippe, Porro *Daniel* Romanorum res geſtas adversùs Judæos, deſcribit, uſque ad *Hadriani* Imp. tempora.

(*a*) *He ſhall have intelligence.*

(*b*) Ibid. ℣. 31. [Nota. Quæ hinc, uſque ad finem paragraphi, occurrunt, eadem ſunt de quibus ad finem Cap. IX. Solummodò illic Noſter, exemplis hic allatis, addit; *eâdem ratione* מרמאחה *Dan. VIII. 9. ſignificaverit* poſt unum *ex ipſis.*

Digitized by Google

CAP. XII. ea abominatio (*a*), poſt *Chriſti* tempora, anno HADRIANI, Imperatoris, 16, à *Chriſto* nato 132, Templo, ſcilicet, JOVI *Capitolino* ædificato *Hieroſolymis*, eodem loco ubi Templum Dei ſteterat. Hinc *Judæi*, BARCHOCHEBA duce, in *Romanos* arma cepêre, atque eo, quidem, bello, quinquaginta ex ipſorum urbibus everſæ ſunt; nongenta & octoginta quinque ex optimis oppidis deſolata; quingenta, denique, & octoginta millia hominum cæſa; bellóque finito, anno *Chriſti* 136, ipſis, *Judeâ* pulſis, ſub pœnâ mortis, in patriam reditus interdictus eſt: unde regio illa veteribus incolis deſtituta manſit.

Nec non ulteriùs Chriſtianorum fata, uſque ad finem.

Initio belli *Judaici*, imperante NERONE, Apoſtoli cum ſuis gregibus, *è Judeâ* fugerunt; quidam trans Jordanem, *Pellam*, aliáque ad loca; quidam in *Ægyptum*, *Syriam*, *Meſopotamiam*, *Aſiam minorem*, alióque. PETRUS & JOANNES in *Aſiam* venerunt, unde, per *Corinthum*, ille *Romam* profectus eſt. Hic, verò, cùm in *Aſiâ* manſiſſet, à *Romanis* in inſulam *Patmon* eſt relegatus, ut Dux partis cujuſdam *Judæorum*, quibuſcum illis bellum erat (*b*). Hac diſperſione *Judæorum* Chriſtianorum, Religio Chriſtiana, quæ jam, Occidentem versùs, *Romam* uſque erat propagata, per omne *Romanum* Imperium ſparſa eſt, altáſque radices egit, & multas, ſub eo, exantlavit perſecutiones, uſque ad tempora CONSTANTINI Magni, ejúſque filiorum. Hæc omnia ita deſcribit Vates (*c*). *Qui impiè adversùs ſanctum fœdus egerint*, inquit, *eos ille*, qui abominationem poſuerit, *diſſimulare faciet*, Deóſque idololatrarum Gentium colere; *verùm populus*, inter ipſos, *qui noverit Deum ſuum, fortis erit, atque aget. Et qui intelligent in populo multos docebunt; attamen cadent, ferro & igni, & exſilio, & rapinâ, multis diebus. Jam, verò, cùm corruerint, auxilio parvulo ſublevabuntur*; imperante, ſcilicet, CONSTANTINO Magno; &, eo tempore, propter ſecundam, quâ gaudebunt, fortunam, *multi*, ex idololatris, ad eos

(*a*) Vide quæ notavimus ſuprà. Cùm, autem, & *Antiochus Epiphanes* ſacrarium, ſtatuâ Idoli, polluerit, nihil erat neceſſe ad *Hadrianum* hæc referre. At Noſter tempora obſtare cenſet, quo minùs ad *Antiochum* hæc referantur. Vide Cap. IX. præſertim p.... verumtamen & quæ illic notavimus.

(*b*) Vide quæ diximus ad hæc, in notulis ad Cap. I. obſervationum Noſtri ad Apocalypſim: medio fere capite.

(*c*) Ubi ſupra *v.* 32, &c.

Digitized by Google

eos tranſient, iiſque *adhærebunt*, *ſimulantes*. *Verùm*, *ex iis qui intelligent*, etiamnum *cadent*, *ut per ipſos explorentur* illi, qui Dei ſunt populus, *útque purgentur* à diſſimulatoribus, *útque dealbentur*; *etiam uſque ad tempus finis*; *quoniam adhuc eſt tempus definitum*. *Scriptura Veritatis.*

Hactenus Imperium *Romanum* integrum conſtiterat, & hac ſub dominatione, parvum cornu Hirci manſerat *potens*, verùm *non ſuis viribus*. Nunc, autem, conditâ *Conſtantinopoli*, novæque illi urbi conceſſo Senatu, aliísque æqualibus iis, quibus *Roma* gaudebat, juribus; diviſóque, inſuper, *Romano*, in duo Imperia, Imperio, unum *Græcorum*, *Latinorum* alterum, quorum ſingulorum capita erant ſingulæ illæ urbes; hiſce, inquam, factis, nova rerum facies incipit, nova ſcena comparet, in quâ *Rex quidam*, Imperium Græcorum, *facit prout ipſi libuerit* (*a*), *&*, ſuas leges divinis anteponendo, *ſeipſum effert atque extollit ſupra omnem Deum*, *ac mirabilia adversùs Deum Deorum loquitur*, *& proſperâ utetur fortunâ*, *donec indignatio completa ſit*. —— *Neque Deum patrum ſuorum curabit*, *neque* legitimum *fœminarum deſiderium* (*b*), ad matrimonium, *neque ullum Deum*, *at ſupra omnia ſeſe efferet*. *Atque*, *in ſede ſuâ*, *colet Mahuzzim*, id eſt, fortes patronos, animas defunctorum; *etiam cum Deo*, *quem non noverant patres ejus*, *ipſos colet*, in ipſorum Templis, *auro*, *argentóque*, *& pretioſis lapidibus*, *rebúſque ſumtuoſis*. Hæc omnia Monachorum Monialiúmque, per omne *Græcorum* Imperium, ingentem diſperſionem (*c*) ſpectant, ſanctitatem in abſtinentiâ à matrimonio collocantium; nec non Sanctorum invocationem, reliquiarum ipſorum venerationem, aliáſque id genus ſuperſtitiones, quarto & quinto, poſt *Chriſtum* natum, Sæculis, his auctoribus, in Eccleſiam introductas. *Et in tempore finis*, ita pergit, poſt pauca interjecta, DANIEL (*d*), *petet eum*, bello, *Rex Auſtri*, ſive Imperium Saracenorum, *veniétque adversùs eum Rex Aquilonis*, Turcarum Imperium, *inſtar turbinis*, *cum rhedis*, *& equitibus*, *plurimíſque navibus*; *& ingredietur terras*, Græcorum, *& inundabit & pertranſibit*. *Ingredietur*, *etiam*, *in terram* Maximè quæ in Imperio Orientis contigerunt.

(*a*) Dan. Ibid. *v.* 36, &c.
(*b*) Contrarium prorſus hic Vulgata: *Et erit in concupiſcentiis fœminarum.*
(*c*) *The overſpreading of the Greek Empire with Monks and Nuns.*
(*d*) Vſſ. 40. &c.

Digitized by Google

terram inclytam, multaque Regiones desolabuntur; hi autem, manum ejus effugient, Edomus, & Moabus, & præcipui posterorum Ammonis; id est, illi, quibus ipsius caravanæ, ut [barbarè vocantur,] tributum pendunt. *Extendet, etiam, manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, verùm habebit ille potestatem in thesauros auri atque argenti, omniáque Ægypti pretiosa; & Libyæ incolæ, & Æthiopes, erunt ad vestigia ipsius.* Omnes hæ gentes Imperium *Turcarum* constituunt, adeóque hoc, *Rege Aquilonis*, hìc est intelligendum. Constituunt etiam corpus Hirci; adeóque etiamnum, in postremo suo cornu, Hircus regnat, *viribus* autem *non suis.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Rege, qui fecit prout ipsi libuit; seseque supra omnem Deum extulit, & coluit Mahuzzim, non autem curavit desiderium fœminarum.

Primorum apud Christianos conciliorum ratio.

PRimis Christianismi sæculis, singularum urbium Christiani à concilio Presbyterorum regebantur, ejúsque concilii præses erat Episcopus urbis. Unius urbis Episcopi ac Presbyteri, alterius negotiis, nisi per litteras monitorias, vel legationes, sese non interponebant. Nec variarum urbium Episcopi in concilium convenerunt ante tempora Imperatoris COMMODI: neque, enim, illud ipsis erat liberum; nisi concedentibus *Romanarum* Provinciarum Præfectis. Iis, verò, temporibus, Conciliis provincialibus convenire cœperunt, Præfectorum permissu; primùm in *Asiâ*, ut hæresi *Cataphrygum* sese opponerent, ac brevi pòst, aliis in locis, aliísque de causis. In hisce Conciliis plerumque Episcopus Metropolitanus, sive primæ urbis ejusdem provinciæ, præses eligebatur; atque hinc nata est Metropolitanorum, præ aliorum, in eâdem provinciâ Episcoporum, auctoritas. Hinc etiam factum ut CYPRIANI temporibus, Episcopus *Romanus* sese *Episcoporum Episcopum* dixerit. Quamprimum Christianum evasit Imperium *Romani* Imperatores universalia Concilia cœperunt convocare, ex omnibus simul provinciis; ac, præscripto iis,

Conciliorum universalium origo.

de

Digitized by Google

de quibus agerent, suáque potentiâ, & prout res sua exigebat, ea dirigentes, quam volebant partem ceteris superiorem fecerunt. Ita, cùm Imperium *Romanum* in *Græcum* & *Latinum* esset divisum, illud evasit *Rex qui*, in iis quæ ad Religionem, *fecit prout ipsi libuit*; in iis, autem, quæ ad rem civilem, sese extulit, & omni Deo superiorem gessit; ac, tandem, septimo Concilio Oecumenico, imaginum animarúmque emortuorum, quæ hic *Mahuzzim* vocantur (*a*), cultum stabilivit.

Rex non curans de sideribus Feminarum.

Hæc cum ex Imperatoribus penderent, Imperator Græcus fuit *Rex qui pro voluntate sua agebat.*

Idem Rex sanctitatem in abstinentiâ à conjugio posuit. Narrat EUSEBIUS, in Historiâ Ecclesiasticâ (*b*), MUSANUM libellum edidisse adversùs eos, qui ad *Encratitarum* hæresim, nuper exortam, & quâ pernicioſi errores erant introducti, deficiebant; ejúsque sectæ auctorem fuisse TATIANUM, JUSTINI Discipulum; denique IRENÆUM, in primo *adversus Hæreses* libro, hoc docere, cùm de TATIANO, ac hæresi ipsius, ita loquitur: *A* SATURNINO *&* MARCIONE *profecti, qui vocantur Continentes, docuerunt non contrahendum esse matrimonium, reprobantes, scilicet, primitivum illud opificium Dei, & tacitè accusantes Deum, qui masculum & fœminam condidit, ad procreationem generis humani. Induxerunt, etiam, abstinentiam ab esu eorum, quæ animalia appellant, ingratos se exhibentes erga eum, qui universa creavit, Deum. Negant, etiam, primi hominis salutem. Atque hoc nuper apud illos excogitatum est*, TATIANO *quodam, omnium primo hujus impietatis auctore: qui*, JUSTINI *auditor, quamdiu cum illo versatus est, nihil hujusmodi protulit. Post martyrium autem illius, ab Ecclesiâ se abrumpens, doctoris arrogantiâ elatus ac tumidus, tamquam præstantior ceteris, novam quamdam formam doctrinæ conflavit; Æonas inviſibiles commentus, perinde ac* VALENTINUS: *asserens quoque, cum* SATURNINO *&* MARCIONE, *matrimonium nihil aliud esse, quàm corruptionem ac stuprum: nova præterea argumenta ad subvertendam* ADAMI *salutem excogitans. Hæc* IRENEUS *de Hæresi quæ tunc viguit, Encratitarum.* Hactenus EUSEBIUS. Quamquam, autem, TATIANI sectatores jam in principio ut Hæretici, *Encratitarum*

Quomodo hic sanctitatem in abstinentiâ posuerit.

Ortus & progressus Encratitismi, & vitæ monasticæ.

(*a*) Vide Cap. seq. in initio, & illic notata.
(*b*) Lib. IV. cap. 28. 29.

Digitized by Google

CAP. XIII. *titarum* vel *Continentium* nomine, damnati fuerint; non tamen ipsorum dogmata omnino potuerunt explodi: MONTANUS, quippe, eadem paulùm correcta, docuit, secundásque tantùm nuptias damnavit. Idem & frequentia introduxit jejunia, præsertim annua quædam, jejunii quadragesimalis celebrationem (*a*) nec non cibis siccatis pasci. Medio ferè Sæculo tertio, *Apostolici* matrimonium damnârunt: erant, quippe, pars Discipulorum TATIANI. Sub ejusdem Sæculi finem, etiam in *Ægypto Hierocitæ* idem fecêre. PAULUS *Eremita*, ut persecutionem *Decianam* evitaret, in desertum fugit, atque ibi solitariam vitam duxit usque ad CONSTANTINI *M.* tempora, nullos autem fecit Discipulos. Idem fecit ANTONIUS, persecutione *Diocletianæ*, vel paulò ante, atque hic Discipulos sibi conscivit; pluréque alii brevi ejus exemplum sequuti sunt.

Hactenus *Encratitarum* dogmata ab Ecclesiis rejecta fuerant; jam, verò, à Monachis paulùm correcta, neque omnibus obtrusa hominibus, sed illis tantùm, qui ultrò vitam monasticam susciperent, pro eximiis haberi cœperunt; & primò, quidem, *Græcam*, deinde & *Latinam* Ecclesiam, instar torrentis, inundare. Narrat EUSEBIUS (*b*) CONSTANTINUM summopere fuisse veneratum eos, qui se totos divinæ Philosophiæ devovebant; ac divino propemodum honore coluisse sanctissimam societatem virginum, Deo in perpetuum sacratarum; cùm certior esset eum, cui sese consecraverant, Deum, in ipsarum mentibus habitare. Ejus, CONSTANTINI, temporibus, & filiorum ipsius, hæc solitariæ vitæ professio in *Ægypto* ab ANTONIO propagata est, in *Syriâ* ab HILARIONE; ac tam latè radices, eásque altas, egit, ut brevi pòst JULIANI *Apostatæ* tempora, pars tertia *Ægyptiorum* in *Ægypti* desertis degeret. Primùm hi in cellulis vivebant singuli, dein, factis societatibus, in Cœnobiis (*c*), simul plures habitabant, denique hoc in ipsis urbibus factitârunt, Ecclesiásque Episcopis, Presbyteris & Diaconis implêrunt. ATHANASIUS, dum esset juvenis, ANTONIO, Magistro suo, ministravit, aquam, manibus lavandis, adfundens; animadversóque Monachos sibi fidos esse, ex iis multos in *Ægypto*

(*a*) *The keeping of Lent.*
(*b*) In Vitâ *Constantini*, lib. IV. c. 28.
(*c*) *Convents.*

Digitized by Google

Ægypto Episcopos & Presbyteros constituit : Atque hi, rursus, Episcopi, nova Cœnobia condidêre, è quibus, in suis ipsorum urbibus, Presbyteros eligebant, in alias Episcopos mittebant. Idem factum & in *Syriâ* ; brevi illuc propagatâ, ex *Ægypto*, superstitione, auctore, ANTONII Discipulo, HILARIONE. SPIRIDION & EPIPHANIUS Episcopi *Cyprii*, JACOBUS *Nisibensis*, CYRILLUS *Hierosolymitanus*, EUSTATIUS *Sebastiensis*, in *Armeniâ*, EUSEBIUS *Emisenus*, TITUS *Bostrensis*, BASILIUS *Ancyranus*, ACACIUS *Cæsareensis* in *Palestinâ*, ELPIDIUS *Laodicensis*, MELITIUS & FLAVIANUS *Antiocheni*, THEODORUS *Tyrius*, PROTOGENES *Carrhaensis*, ACACIUS *Berrhaensis*, THEODOTUS *Hierapolitanus*, EUSEBIUS *Chalcedonensis*, AMPHILOCHIUS *Iconiensis*, GREGORIUS *Nazianzenus*, GREGORIUS *Nyssenus*, & JOANNES *Chrysostomus Constantinopolitanus*, simul Episcopi & Monachi fuêre, Sæculo quarto. EUSTATHIUS, GREGORIUS utérque, BASILIUS, & alii, Monasteria Clericorum in suis urbibus habebant, unde in alias urbes mittebantur Episcopi ; qui & ipsi illic condebant Monasteria, donec Ecclesiæ, ex hisce Monasteriis, Episcopis essent instructæ. Hinc HIERONYMUS in epistolâ (*a*), anno, circiter, 385 scriptâ, de Clericis hunc in modum loquitur : *Quasi & ipsi aliud sint quàm Monachi, & non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui patres sunt Monachorum. Detrimentum pecoris pastoris ignominia est.* Et, in libro adversùs VIGILANTIUM : *Quid facient Orientis Ecclesiæ ?* —— *Quæ aut virgines Clericos accipiunt aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Non diu pòst, etiam ipsi Imperatores Ecclesias, Clericos è Monasteriis petere, hac lege jusserunt (*b*) :

Rex non curans desiderium Feminarum.

Impp. ARCAD. & HONOR. *AA.* CÆSARIO *PF. P.*

Si quos fortè Episcopi deesse sibi Clericos arbitrantur, ex Monachorum numero rectiùs ordinabunt : non obnoxios publicis privatísque rationibus cum invidiâ teneant, sed habeant jam probatos. Dat. VII. Kal. Aug. HONORIO *A. IV.* & EUTYCHIANIO *Coss.* *A. C.*

(*a*) Epist. 10. (*b*) L. 32. de Episcopis.

Digitized by Google

CAP. XIII. *A. C.* 398. *Græco* Imperio jam in potestatem horum *Encratitarum* prolapso, ac ipsos stupente, peculiarem notam *Regis, qui pro voluntate suâ aget*, statuit DANIEL, *non curaturum fœminarum desiderium.*

Ita *Encratitarum* secta, cui originem dedêre *Gnostici*, à TATIANO & MONTANO propagata, sub finem Sæculi secundi, ab ejus & sequentis Sæculi Ecclesiis damnata; quarum, denique, successores, ejusdem placita paulùm recoxerant, (*a*), per Orientales Ecclesias quarto Sæculo diffusa est, atque, eo nondum elapso, per Occidentales item diffundi cœpit. Ex hoc tempore Ecclesiæ Christianæ, cùm *speciem haberent pietatis, at virtutem ejus abnegâssent*, in potestatem horum *Encratitarum* venerunt: Antiquæ, verò, idololatriæ sectatores, qui, quarto Sæculo, ingenti numero ad Christianos transibant, promtiùs hoc Christianismi genus amplexi sunt, ut magis antiquis suis superstitionibus adfine, quàm Religionem verorum Christianorum, qui, non Monasteriorum, sed septem *Asiaticarum* Ecclesiarum, lucernis, priora tria Sæcula illustraverant.

Plures, etiam, alias superstitiones *Cataphryges* introduxerunt: quales erant doctrinæ de spiritibus, eorúmque pœnis in purgatorio; nec non preces atque oblationes pro earum diminutione, ut docet, in libris *de Animâ & de Monogamiâ*, TERTULLIANUS. Crucis quoque signo, instar magicæ cujusdam figuræ, utebantur. Ita TERTULLIANUS, in libro *de coronâ militis*: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Ad omnes hasce superstitiones respicit Apostolus, ubi scribit (*b*): *Spiritus, autem, manifestè dicit, in novissimis temporibus recessûros quosdam à fide, adtendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*; ad dæmonia & spiritus, quos idololatræ colebant: *in hypocrisi loquentium mendacium*, de ipsorum epiphaniis, ac prodigiis, quæ fecerant vel ipsi, vel ipsorum in terris reliquiæ, quæve signi crucis virtute evenerant, *& cauterio inustam habentium conscientiam; prohibentium nubere, jubentiúmque abstinere à cibis, quos*

(*a*) *Refined upon by their followers.* (*b*) 1. Tim. IV. 1, 2, 3.

Digitized by Google

quos creavit Deus, ut utantur iis homines *cum gratiarum actione.* A *Cataphrygibus* hæc dogmata, atque hi ritus, ad posteros fuêre propagati. *Mysterium*, quippe, *iniquitatis*, jam *operabatur*, temporibus Apostolorum, in *Gnosticis*; fortissimè operari perstitit in horum propagine, *Tatianistis*, *Cataphrygibúsque*, atque operaturum erat, *donec vir ille peccati palam fieret; cujus adventus est secundùm operationem Satanæ, cum omni potentiâ, & signis, & mendacibus prodigiis, atque omni seductione iniquitatis* (*a*); Christianæ pietatis specie illitæ (*b*), absque ejusdem autem virtute.

Rex non curans desiderium Fœminarum.

Quamvis, enim, Provincialibus Conciliis, huic *Cataphrygum* Christianismo objecta subinde mora sit, ad quartum usque Sæculum; attamen tunc, *Romanis* Imperatoribus Christianæ Religionis professionem amplexis, ingentibúsque idololatrarum multitudinibus, externâ saltem professione, ad Ecclesiam transeuntibus, his *Cataphrygum* placita, multò magis, quàm puræ fidei Christianorum doctrina, moréque, cum veteribus placitis, Religionem in externis ritibus, diebus festis, ac doctrinis de spiritibus, collocare suetorum, convenire visa sunt: quapropter facilè se *Cataphrygibus* Christianis adjunxerunt, eorúmque Religionem, ante finem Sæculi quarti, constabiliérunt. Atque hac ratione contigit, ut *intelligentes*, postquam persecutiones Imperatorum idololatrarum, tribus prioribus Sæculis, sustinuerant, *& parvo* fuerant *sublevati auxilio*, CONSTANTINI Magni, ejúsque filiorum, ad Christianam fidem conversione, in novas inciderint vexationes, *ut purgarentur ab iis qui simulabant, útque dealbarentur etiam usque ad tempus finis.*

(*a*) 2. Thess. II. 7-9-10.

(*b*) *Coloured over.*

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De ipsis Mahuzzim, Regi, qui pro voluntate suâ agit, cultis.

Mahuzzim significant *propugnacula*, iisque hic denotantur patroni, animæ defunctorum.

LEgimus in S. Scripturâ de quibusdam *Deo*, de aliis *Idolis confidentibus*, docemúrque *Deum esse nostrum refugium, nostrum robur, nostrum vindicem.* Hoc sensu Deus *populi sui rupes* est, falsíque *Dii rupes eorum, qui ipsis confidunt*, vocantur (*a*). Eodem Dii Regis, *qui pro lubitu suo aget*, vocantur *Mahuzzim*, loca munita, propugnacula, protectores, tutélares genii vel vindices, seu defensores. *In loco suo*, inquit DANIEL (*b*), *colet Mahuzzim; etiam cum Deo, quem non noverant Patres ejus; colet ipsos auro, argentóque, & pretiosis lapidibus, & rebus sumtuosis. Ita aget, in munimentis*, sive Templis; — *& regnare eos faciet super multos, & terram* inter illos *in possessionem dividet.* Jam, verò, hæc gradatim, & hac quidem ratione, evenerunt.

Quomodo earum cultus in Ecclesiam Christianam introductus fuerit.

Narrat GREGORIUS *Nyssenus* (*c*) post *Decianam* persequutionem GREGORIUM, *Neocæsareæ*, in *Ponto*, Episcopum, *apud omnem populum, additamenti instar, vel corollarii, ad cultum Dei instituisse, ut dies festi & conventus celebrarentur, in honorem eorum, qui pro fide contenderant*, id est, *Martyrum.* Atque hanc ejus institutionis rationem reddit. *Cùm animadverteret*, inquit Nyssenus, *simplicem & rudem multitudinem, præ corporeis oblectamentis, quibus addicta est, in errore de Idolis manere; ut primarium illud inter eos corrigeretur, nempe, ut loco vani ipsorum cultûs, oculos in Deum converteret; permisit ut, in sanctorum Martyrum memoriam, hilaritati ac lætitiæ sese dederent, gaudióque relaxarentur.* Delectabantur Deorum suorum festis idololatræ, nec oblectationibus iis spoliari se volebant; hanc, ergo, ob causam, GREGORIUS, quo faciliùs ad Christianam Ecclesiam adducerentur, annuos, in Sanctorum, Martyrúmque memoriam, dies festos instituit. Hinc factum ut, explosis idololatrarum festis, in eorum locum

Primus eò gradus fuit festorum in honorem Martyrum institutio.

Ejus origo.

(*a*) Deut. XXXII. 4. 15. 18. 30. 31. 37.
(*b*) Dan. XI. 38. 39.
(*c*) Oratione de vitâ *Gregorii* Thaumaturg. T. III. p. 574.

Digitized by Google

cum præcipua è Chriſtianis feſtis ſucceſſerint : Exempli gratiâ, Natalium *Chriſti*, cum hederâ & comeſſationibus, & ludis, jocíſque in locum *Bacchanalium*, *Saturnaliúmque* ; celebratio primi diei Menſis Maji cum floribus, loco *Floralium* ; celebratio, denique, feſtorum in honorem *Virginis* MARIÆ, JOANNIS *Baptiſtæ*, & variorum ex Apoſtolis, in locum ſolennium rituum, diebus, queis in ſingula Zodiaci ſigna, ex veteri Juliano Kalendario, intrabat Sol, celebrari ſolitorum. Per eamdem *Decianam* perſecutionem, CYPRIANUS Martyrum in *Africâ* nomina albo deſcribi juſſit, ut quotannis ipſorum memoria coleretur, factis oblationibus ac ſacrificiis : nec diu pòſt, FELIX Epiſcopus *Romanus*, narrante PLATINA, *Martyrum gloria conſulens, ſtatuit, ut quotannis ſacrificia eorum nomine celebrarentur.* Horum feſtorum jucunditate Chriſtiani multùm numero creverunt, tantumdémque decreverunt virtute, donec, perſecutione *Diocletianâ*, *purgarentur atque dealbarentur.* Et hic, quidem, fuit primus gradus, quo, in Chriſtianam Religionem, cultus Martyrum religioſus introductus eſt : quamquam, enim, hoc nondum ad illegitimum cultum exſurgat ; Chriſtianos tamen, ad ejuſmodi ulteriorem mortuorum venerationem, reddidit compoſitos, quæ brevi in invocationem Sanctorum erupit. *Cultus Mabuzim.*

Proximus illuc gradus fuit adfectatio, preces ad Martyrum ſepulcra dicendi ; qui mos per *Diocletianeam* perſecutionem cœpit. Concilium *Eliberenſe*, in *Hiſpaniâ* celebratum, tertio vel quarto ejus perſecutionis anno, à C. 305, inter ceteros etiam hos Canones habet. Can. 34 *Cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi. Inquietandi, enim, ſpiritus Sanctorum non ſunt. Qui hæc non obſervârint, arceantur ab Eccleſiæ communione.* Can. 35. *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cæmeterio pervigilent, eò quod ſæpe, ſub obtentu orationis latenter ſcelera committant.* Protinus ab eâ perſecutione, puta, anno circiter 314, Concilium *Laodicenum* in *Phrygiâ*, quod tum convenit, ad collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, ſequentia decrevit. Can. 9. *Iis, qui ad Eccleſiam pertinent, non permittitur in cæmeteriis ſive martyria Hæreticorum ire, precum dicendarum, ſanitatíſve recuperandæ, cauſâ ; quicumque, autem, ierint, ſi ſint è fidelibus, ad tempus Eccleſiæ communione arcebuntur.* Proximus fuit honor ſepulcris ipſorum exhibitus.

Digitized by Google

CAP. XIV. *cebuntur.* Can. 34. *Non oportet Christianum Martyres Christi relinquere, seseque ad falsos Martyres conferre*, id est, ad Martyres ex Hæreticis; *hi, enim, alieni sunt à Deo: quapropter, quiqui ad hos sese conferunt, Anathema sunto.* Can. 51. *Martyrum natales tempore quadrageſimali celebrabuntur, commemoratio, autem, ipsorum fiet diebus ſabbati ac dominicis.* Concilium *Paphlagonense*, anno 324 celebratum, hoc decretum condidit. *Si quis, arrogantiâ ductus, abominetur congregationes Martyrum, vel liturgias in iis actas, vel Martyrum memoriam, Anathema esto.* E quibus omnibus manifestum est, Christianos, persecutionis *Diocletianæ* tempore, in cœmeteriis precari fuisse suetos, persecutionis discrimen evitandi causâ; nec non Templorum, quæ passim eversa erant, defectu; porrò, illâ persecutione jam cessante, eum morem, in honorem Martyrum, retinuisse, donec nova ædificata forent Templa: denique, longinquo usu idem adfectasse, ut sincero cultui (*a*) conducens, nec non ad sanitatem ægrotantium recuperandam. Patet etiam ipsos, in hisce sepulcretis, quotannis Martyrum commemorationem fecisse, diebus iis consecratis, omnésque hos ritus pro piis ac religiosis habuisse, atque illos, quasi arrogantes, Anathemate feriisse, quicumque sese ipsis opponebant, vel in martyriis Hæreticorum precabantur. Et faces interdiu Martyribus accendebant, ut Diis suis solebant idololatræ; qui mos, Sæculo quarto nondum finito, in Occidente magnopere prævaluit. Martyrum, quoque, cultores aquâ consecratâ adspergebant, ut idololatræ suorum Deorum cultores; ac peregrinationes suscipiebant, *Hierosolymas*, aliáque sancta loca videndi causâ, quasi sanctitatem illa visentibus se impertirentur. E more, porrò, dicendi, in cœmeteriis, ac martyriis, preces, ortus est mos transferendi Sanctorum, Martyrúmque cadavera, in Templa recèns ædificata. Initium ejus fecit CONSTANTIUS Imperator, anno, circiter, 359, cùm, ipsius jussu, ANDREÆ Apostoli, LUCÆ, ac TIMOTHEI corpora, in novum *Constantinopoli* Templum translata sunt: Quinimo jam priùs, quàm hoc gesserat CONSTANTIUS, *Ægyptii*, Martyrum suorum Sanctorúmque cadavera inhumata, in privatis domibus, lectulis imposita, servabant,

Unde ortus est mos transferendi eorum cadavera in templa recèns ædificata.

(*a*) *Devotion.*

Digitized by Google

servabant, fabuláſque narrabant de ipſorum animabus, noctu apparentibus, adſcendentibúſque in cœlum, ut refert, in vitâ ANTONII, ATHANASIUS. Atque hæc omnia JULIANO Imperatori, ut CYRILLUS ſcribit, anſam præbuêre Chriſtianos hunc in modum accuſandi (*a*): *Quod veteri illi mortuo*, JESU, *plurimos alios mortuos addatis, quis ſatìs abominari queat? Cuncta loca ſepulcris implèſtis ac monmentis, licèt nuſquam vobis præceptum ſit ſepulcris vos proſternere, atque illa colere officiosè.* Et paulò pòſt: *Cùm* JESUS *dixerit, plena immunditie eſſe ſepulchra, quî vos ſuper iis Deum invocatis?* Et iterum, alio loco (*b*) dicit idem; quòd, ſi *Hebræorum* præceptis inhæſiſſent Chriſtiani, *unum, loco multorum, Deum coluiſſent; non hominem, vel, potiùs, non multos homines infelices*: ut & ipſos *lignum crucis adorâſſe, pictâ etiam ejus imagine in frontibus, atque ante ades.* *Cultus Mahuzzim.*

Sanctorum, ita, Martyrúmque ſepulcris in religioſi cultûs loca converſis, qualia idololatrarum Templa fuerant; Templísque in ſepulcra: & quâdam, veluti, ſanctitate cadaveribus Martyrum Sanctorúmque, in iis ſepultis, adſcriptâ, nec non introducto, ut quotannis, in ipſorum honorem, feſta celebrarentur, ſacrificiis tum Deo, ipſorum nomine, obìatis; proximus ad eorumdem invocationem gradus fuit quod cadaveribus, oſſibus, aliísve ipſorum reliquiis adſcribebatur virtus edendi miracula, ídque per animas, à corporibus ſeparatas, quæ ſcire cenſebantur quid nos dicamus agamúsque, ac potentiâ inſtructæ eſſe, nobis benè vel malè faciendi, eáque miracula edendi. Eadem prorſus hæc erat ſententia, cum eâ, quam fovebant idololatræ, de ſeparatis à corporibus animabus antiquorum ſuorum Regum atque Heroum, quos colebant nominibus SATURNI, RHEÆ, JOVIS, JUNONIS, MARTIS, VENERIS, BACCHI, CERERIS, OSIRIDIS, ISIDIS, APOLLINIS, DIANÆ, ac reliquorum ſuorum Deorum. Hæc, enim numina, cùm ſint maſcula & fœmina, maritus & uxor, filius & filia, frater ſorórque, eo ipſo patet fuiſſe antiquos viros ac mulieres. Jam, ut primus *Proximus inde ad invocationem Sanctorum gradus fuit, miraculorum edendorum poteſtas ipſorum reliquiis adſcripta.*

(*a*) [Cyrill. Libr. X. adv. Julian.] (*b*) Apud Cyrill. Libr. VI. Quæ autem hic præcedunt, illic, duobus *Julia*ni locis interjectis, ſequuntur.

CAP. XIV. mus gradus ad invocationem Sanctorum positus fuit per *Decianam*, alter per *Diocletianaam* persequutionem; ita tertius hic deberi videtur cœptis CONSTANTII ac JULIANI Apostatæ. Nempe, cùm JULIANUS falsorum Deorum cultum instaurare occiperet, Sanctósque & Martyres contemnere; videntur Christiani *Syri* & *Ægyptii* multa jactâsse de miraculis editis à Sanctorum Christianorum Martyrúmque reliquiis, oppositè ad virtutes, quas JULIANUS ac Idololatræ suis Idolis adscribebant. Narrant, enim, SOZOMENUS (*a*) & RUFFINUS (*b*), quòd, cùm Imperator Idolorum Templa aperuisset, atque Oraculo APOLLINIS *Daphnai*, in suburbibus *Antiochiæ*, consulto, plurimis sacrificiis responsum instanter flagitaret, tandem responderit Oraculum, BABILÆ Martyris ossa, illic sepulta prohibere, quo minùs respondere possit, de quibus fuerat consultum. Ex quo responso intelligere licet, Christianum quemdam in eum locum concessisse, unde superstitionis administri, oracula edituri, per tubum loqui solebant. Quin imò jam antea HILARIUS, in suo adversùs CONSTANTIUM libro, quem postremo ejus Imperatoris anno conscripsit, hanc eorum, quæ tum in Oriente, ubi ipse degebat, agebantur, mentionem facit: *Sine Martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ*, NERO, DECI, MAXIMIANE, *debemus. Diabolum, enim, per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, dum in his Dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum miraculorum opera cernuntur, elevari sine laqueis corpora, & dispensis pede fœminis vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogantis incremento fidei.* GREGORIUS, etiam, *Nazianzenus*, primâ adversùs JULIANUM, tunc imperantem, Oratione, ita scribit: *Martyres non extimuisti, quibus præclari honores & festa constituta, à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur; quorum sunt apparitiones & prædictiones; quorum vel sola corpora, idem possunt quod anima sancta, sive manibus contrectentur, sive honorentur; quorum vel sola sanguinis gutta atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis & adspernaris.* Hæc causa exstiterunt, quare, eodem

(*a*) [Libr. V. c. 19.]; (*b*) [Libr. I. suæ historiæ, c. 35.]

Digitized by Google

dem imperante Idololatræ, JOANNIS *Baptiſtæ*, in *Phœniciâ*, ſepulcrum diruerint, ejúſque oſſa cremârint; quo facto, plurimi Chriſtianorum illis ſeſe intermiſcentes, quaſdam ex reliquiis ipſius collegerunt, quæ, ad ATHANASIUM miſſa, ab illo in pariete Templi cujuſdam ſunt abſcondita, prævidente, *ſpiritu profetico*, ut ait RUFFINUS (*a*) *futuris Saculis illa profutura.* *Cultus Mahuzzim.*

Horum, deinde, miraculorum fama, ſemel ſparſa, multos annos duravit, imò aucta eſt, magíſque univerſalis evaſit. CHRYSOSTOMUS, ſecundâ Oratione in S. BABYLAM, viginti annis poſt impoſitum APOLLINIS *Daphnæi* Oraculo ſilentium, de quo ſupra, habitâ, nempe A. C. 382, de miraculis, quæ Sancti eorúmque reliquiæ edebant, ita loquitur (*b*): *Nulla eſt noſtri hujus orbis ſeu Regio, ſeu Gens, ſue Urbs, ubi nova & inopinata miracula hæc non decantentur, qua, quidem, ſi figmenta fuiſſent, prorſus in tantam hominum admirationem non veniſſent.* Et paulò pòſt: *Abunde orationi noſtræ fidem faciunt, quæ quotidiana, à Martyribus, miracula eduntur magnâ affatim ad illa hominum multitudine affluente.* Et 66. Homiliâ, poſtquam narravit, quî oſſium Martyrum virtute Diaboli cruciarentur atque ejicerentur, addit: *Ob eam cauſam multi, plerumque, Reges peregrè profecti ſunt, ut hoc ſpectaculo fruerentur. Siquidem ſanctorum Martyrum Templa, futuri judicii veſtigia & ſigna exhibent, dum, nimirum, Dæmones flagris caduntur, hominésque torquentur & liberantur. Vide, quæ Sanctorum, vitâ functorum, vis ſit.* Etiam HIERONYMUS epitaphio in PAULAM, ſic eadem narrat (*c*): PAULA *vidit* —— *Samariam*: —— *ibi ſiti ſunt* ELISÆUS *&* ABDIAS, *Profetæ, &* —— JOANNES *Baptiſta. Ubi multis intremuit conſternata mirabilibus. Namque, cernebat aureis Dæmones rugire cruciatibus, &, ante ſepulcra Sanctorum, ululare homines, more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fœminis veſtes non deſluere* Miraculorum eorum fama.

(*a*) [Ubi ſupra, Lib. II. c. 28.]
(*b*) Vid. Hom. 47. in S. Julian.
(*c*) Epiſt. 27. ad Euſtochium.

Digitized by Google

CAP. XIV.

Ejusmodi reliquiis maximè abundabat Ægyptus.

in faciem (a). Contigit hoc, anno circiter 384 : Porrò, & CHRYSOSTOMUS, Oratione in Martyres *Ægyptios*, antesignanam, in hisce rebus, *Ægyptum* statuere videtur, cùm ait (*b*): *Benedictus Deus, quandoquidem ex Ægypto prodeunt Martyres; ex Ægypto illâ, cum Deo pugnante ac insanissimâ, & unde impia ora, unde linguæ blasphemæ. Ex Ægypto Martyres habentur; non in Ægypto tantùm, nec in finitimâ vicinâque Regione, sed* UBIQUE TERRARUM. *Et, quemadmodum in annonæ summâ ubertate, cùm viderunt urbium incolæ, majorem, quàm usus habitatorum postulat, esse proventum, ad peregrinas, etiam, urbes transmittunt; cùm ut suam comitatem & liberalitatem ostendant; tum ut, præter horum abundantiam, cum facilitate, res quibus indigent, rursus ab illis sibi comparent: sic & Ægyptii, quod attinet ad religionis athletas, fecerunt. Cùm apud se multam eorum, Dei benignitate, copiam cernerent, nequaquam ingens Dei munus suâ civitate concluserunt, sed in* OMNES TERRÆ PARTES *bonorum thesauros effuderunt: cum ut suum in fratres amorem ostenderent, tùm ut communem omnium Dominum honore adficerent, ac civitati suæ gloriam, apud omnes, compararent, totiúsque terrarum* ORBIS *esse* METROPOLIN *declararent; —— Sanctorum, enim, illorum corpora, quovis adamantino & inexpugnabili muro tutiùs, nobis urbem communiunt, &, tanquam excelsi quidam scopuli undique prominentes, non horum, qui sub sensus cadunt & oculis cernuntur, hostium impetus propulsant tantùm, sed etiam invisibilium Dæmonum insidias, omnésque Diaboli fraudes, subvertunt ac dissipant. —— Neque verò, tantùm adversùs hominum insidias, aut adversùs fallacias Dæmonum, utilis nobis est hæc possessio, sed, si nobis communis Dominus, ob peccatorum multitudinem iratscatur, his objectis corporibus continuò poterimus eum propitium reddere civitati.* Scripta fuit hæc Oratio *Antiochiæ*, dum adhuc *Alexandria* Metropolis Orientis esset, adeóque ante A. C. 381, quo *Constantinopolis* ad illud fastigium evasit : fuerat, autem,

Unde in omnes terras eæ sunt missæ.

(*a*) [In editione Erasmianâ alterâ, Bas. 1524, p. 176, quâ hæc occurrunt, omittitur, *non*: manifesto errore, cum ita nihil miri dicatur.]

(*b*) Edit. *Frontonis Ducæi* Tom. I.

autem, aliquot annorum opus *Ægyptiis*, miracula edentes suorum Martyrum reliquias per totum terrarum orbem distribuere, quod jam ante eum annum consummaverant. Abundabat maximè Sanctorum Martyrúmque reliquiis *Ægyptus*, cùm, balsamo condita, eorum cadavera, privatim, etiam domi, in lectulis, *Ægyptii* servarent; erátque, præ omnibus aliis urbibus, celebris *Alexandria*, quod ad earum distributionem, ita ut, hoc respectu, gloriam apud omnes consequeretur, seséque Orbis Metropolin probaret. *Ægypti* exemplum, deinde, secuta est *Antiochia*, dispergendo reliquias quadraginta Martyrum. Secuta est exemplum, denique, cùm *Ægypti*, tùm *Syriæ*, reliqua pars orbis terrarum.

Cultus Mabuzàm.

Quare iis abundârint Ægyptii.

Ægypti exemplum secuta, deinde, est Antiochia, distributis 40 Martyrum reliquiis.

Quadraginta Martyrum *Antiochenorum* reliquiæ inter Ecclesias fuêre distributæ ante annum 373. ATHANASIUS, enim, qui illo anno decessit è vivis, Orationem de iis conscripsit. Nondum in lucem emissa est hæc Oratio; eam, autem, in M. S. in Cardinalis ASCANII, in *Italiâ*, bibliothecâ, se vidisse, testatur *Gerardus Joannes* VOSSIUS, in commentario in Orationem EPHRÆMI *Syri* super eosdem 40 Martyres. Cùm, itaque, Monachi *Alexandrini* reliquias Martyrum *Ægyptiorum* in omnes orbis terrarum partes dimiserint, eóque gloriam suæ civitati comparârint, imò, in rebus ejusmodi, Metropolin eam universi orbis probârint, ut è CHRYSOSTOMO observavimus; colligere hinc licet, *Alexandriam*, antequam ipsa quadraginta Martyrum reliquias *Antiochiâ* acciperet, jam suorum in omnes tractus mittere cœpisse, primum aliis civitatibus exemplum præbentem. Cœpit, itaque, hæc consuetudo in *Ægypto*, aliquot ante mortem ATHANASII annis. Cœpit tum, cùm miracula edentia JOANNIS *Baptistæ* ossa in *Ægyptum* deportata fuerant, ac in Templi cujusdam pariete abscondita, *ut futuris Seculis prodessent.* Repressa est imperante JULIANO Apostatâ: deinde, autem, ex *Ægypto* per omne diffusa Imperium, *Alexandriâ*, totius orbis Metropoli, secundùm CHRYSOSTOMUM, factâ, eò quòd cultum hujus generis prima & præcipuè propagâsset; *Antiochiâ*, porrò, aliisque urbibus, brevi illius exemplum secutis.

Digitized by Google

CAP. XIV.

In harum propagatione superstitionum antesignani fuêre Monachi, atque hisce dux ANTONIUS; in fine, enim, vitæ hujus eremicolæ, ATHANASIUS hæc fuisse refert ipsius morientis verba ad Discipulos, qui tunc ipsi ministrabant: *Primo loco curate ut adhæreatis Christo, deinde Sanctis, ut, post mortem, vos amicos ac familiares in æterna tabernacula recipiant. Hæc cogitate, hæc percipite; ac si quem ad me respectum habeatis, mei mementote, instar patris* (a). Cùm hoc ita, à moriente jam ANTONIO, Monachis commendatum esset, A. C. 356; fieri non potuit quin toti, summâ erga Sanctos pietate, veluti accenderentur, utpote quâ, tanquam paratissimâ viâ, sibi adeò ipsos amicos essent reddituri, ut quàm certissimè se, post mortem, in sempiterna tabernacula reciperent. Hinc ingens illa fama, tempore CONSTANTII, de miraculis à Sanctorum reliquiis editis: hinc miracula edentium reliquiarum per omne Imperium dispersus, exemplum præbente, ac præ omnibus aliis urbibus idcirco celebratâ, *Alexandriâ*. Hinc, JULIANI temporibus, A. C. 362, contigit ut ATHANASIUS, *prophetico*, (ut RUFFINUS ait,) *spiritu*, JOANNIS *Baptistæ*, ossa Idololatrarum metu *abscondiderit*, non in terrâ, ut oblivioni mandarentur, verùm *sub cavato Templi cujusdam pariete*, coram idoneis testibus, posteris Sæculis profutura. Hinc, etiam, invocatio Sanctorum, ut ejusmodi miracula ederent; hominibúsque, in precibus, atque aliis pietatis excercitiis, essent auxilio; denique, apud Deum pro ipsis intercederent. Quippe ATHANASIUS, jam inde ab adolescentiâ, emortuos Sanctos ac Martyres spectavit ut nostrarum precum adjutores. In epistolâ ad MARCELLINUM, tempore CONSTANTINI M. conscriptâ, dicit, Psalmorum verba non esse transponenda, quod ad ordinem, neque ullâ ratione immutanda, verùm absque omni artificio, quomodo scripta sunt, recitanda & canenda, *ut sancti, qui eos scripserunt, homines, cognito ea, quæ recitantur, vel canuntur, propria sua ipsorum esse verba, nobiscum precentur; vel potiùs, ut Spiritus Sanctus, qui in Sanctis hisce loquutus est, animadverso sua ipsius verba, quæ illis quondam inspiravit*, iis sese, *in nobis succurrendo, jungat.*

In harum superstitionum propagatione antesignani fuêre Monachi, atque hisce dux *Antonius*.

Athanasius jam ab adolescentiâ Sanctos emortuos spectavit ut patronos.

Cùm

(a) [Vide quæ ad hæc diximus in Præfatione.]

Digitized by Google

Cùm, præ omnibus aliis terris, *Ægyptus* Monachis abundaret, religiosus Sanctorum cultus illic citiùs incepit atque altiores, passim, in eâ Regione radices egit, quàm alibi. PALLADIUS, anno 388. in *Ægyptum* profectus, ut Monasteria inviseret, nec non APOLLONII, aliorúmque *Thebaidum* Martyrum, qui sub MAXIMINO passi fuerant, sepulcra; de illis dicit: *Iis omnibus Christiani fecerunt ædem unam, ubi nunc multæ virtutes peraguntur. Tanta, autem, fuit viri gratia, ut de iis, quæ esset precatus, statim exaudiretur, cum sic honorante Servatore: quem etiam nos in Martyrio precati, vidimus, cum iis, qui cum ipso fuerant martyrio adfecti; &, Deum adorantes, eorum corpora salutavimus.* EUNAPIUS, quoque, (Idololatra ille quidem, locuples tamen testis eorum, quæ ipsius temporibus contigerunt,) narrans, quomodo milites Templa *Ægypti* in potestatem Monachorum tradiderint, quod anno contigit 389; ita, impium in modum, Martyres ludibrio habet, ridétque, ut in veterum Deorum *Ægyptiorum* locum succedentes. *Illi ipsi*, inquit, milites, *Monachos Canopi quoque collocârunt, ut, pro Diis, qui animo cernuntur, servos, & quidem flagitiosos, divinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum ceremoniásque obligatis. Ii, namque, condita & salita eorum capita, qui, ob scelerum multitudinem, à Judicibus extremo judicio fuerant adfecti, pro Divis ostentabant; iis genua submittebant, eos in Deorum numerum receptabant, ad illorum sepulcra pulvere sordibúsque conspurcati. Martyres, igitur, vocabantur, & ministri, quidem, & legati, arbitríque precum apud Deos; cùm fuerint servilia infida, & flagris pessimè subacta, quæ cicatrices scelerum, ac nequitiæ vestigia, corporibus circumferunt; ejusmodi, tamen, Deos fert tellus.* Ex hisce exemplis intelligere est, invocationem Sanctorum jam quodammodo pedem in *Ægypto* fixisse, ac jam universè illic receptam, atque vulgo in usu fuisse.

Cultus Malus-zim.

Religiosus eorum cultus in Ægypto cœpit, altioréque radices egit; & quare.

Ita BASILIUS, Monachus, qui, anno 396, *Cæsareæ* creatus fuit Episcopus, anno, autem, 378 decessit, Oratione in honorem MAMANTIS, Martyris, ita loquitur: *Mementote Martyris; quicumque vestrûm ipso in somnis estis fruiti, quicumque, hoc in loco, in precibus ab ipso fuistis adjuti, quicumque vestrûm, nomine ipsius vocato,*

Eum illic, nec non in Phœniciâ, Syriâ, & Cappadociâ, jam Sæcu-

Digitized by Google

CAP. XIV. lo quarto viguisse, probatur ex *Basilio*;

vocato, praesentem in vestris operibus cistis experti; quoscumque oberrantes reduxit in viam, quoscumque sanitati restituit, quorumcumque à mortuis, per ipsum, revocati sunt liberi, quibuscunque per ipsum vitæ tempus prorogatum est. Idem paulò pòst, quàm universalis hæc in *Cappadocia* & *Bithynia* Regionibus superstitio fuerit, hac ratione innuit: *Ad memoriam*, inquit, *Martyris, omnis Regio commovetur; ejus festo omnis civitas gaudio suffusa est. Neque ad majorum suorum sepulcra divertunt divitum cognati, verùm omnes ad locum religiosi cultûs sese conferunt.* Iterum, in Homiliæ illius fine, precatur, ut velit *Deus conservare Ecclesiam, firmis, Martyrum, turribus adeò munitam.* Denique, Oratione in honorem quadraginta Martyrum: *Hi sunt*, inquit, *qui, nostram obtinentes Regionem, instar certarum turrium, nobis securitatem ab inimicis præstant: Neque uni tantùm loco inclusi, verùm per multas Regiones distributi sunt, multâsque terras exornant.* —— *Sæpe dedistis operam, sæpe laborâstis, ut unum invenireris, qui pro vobis oraret: hìc sunt quadraginta, unam precum vocem emittentes.* —— *Hos petit, qui calamitatibus premitur, ad hos se recipit, qui exsultat: ille, ut liberetur malis; hic, ut felix fortunatúsque maneat. Hìc mulier, pro liberis orans, exauditur; marito peregrè degenti incolumem reditum impetrat, ægroranti sanitatem.* —— *O communes humani generis custodes, curarum nostrarum sodales optimi, suffragatores nostrarum precum, atque adjutores, potentissimi legati apud Deum*, &c. Quibus omnibus manifestum est, jam ante annum 378, Orationes in Sanctorum laudem, longè extra terminos styli merè oratorii ac figurati fuisse evagatas, & vulgus in Oriente, jam tum, universè, à Monachis, cultu Sanctorum infectum fuisse.

Nazianzeno;

Gregorius *Nazianzenus*, item Monachus, Oratione sextâ, anno C. 373 conscriptâ, cùm primùm *Sosima* Episcopus creatus esset, ita loquitur: *Puros nos reddamus Martyribus, fratres, vel potiùs Martyrum Deo* (*a*): & paulò pòst, Martyres vocat *deprecatores, pro obtinendo gradu altiori, sive divinitate.* Eodem

(*a*) ¶ Ita *Nevotonus*, in genere. Habetur, autem, apud *Chrysostomum*, *vel ei, potiùs, cui & ipsi, cruoris veritatisque confessione, purificati sint.*]

Digitized by Google

Eodem anno, in fine Orationis in honorem ATHANASII, tunc recèns mortui, ita eum compellat: *Tu nos propitius respice, atque hunc rege populum, utpote qui perfectè perfectam adorat Trinitatem, quæ in Patre, Filio, & Spiritu Sancto consideratur atque colitur: si pax futura sit, me conserva, meúmque mecum gregem pasce; sin bellum, domum me deducito, apud te, tuíque similes, mihi locum præbeto; quantumvis magnum sit quod peto.* In fine Orationis in honorem BASILII, A. C. 378 conscriptæ, hoc modo illum adloquitur: *Tu, verò, ô divinum sacrúmque caput, è cœlo nos respice; ac, vel precibus tuis, stimulum illum carnis tolle, quem nobis, ad nos exercendos, dedit Deus; vel id obtine, ut alacri animo eumdem feramus; omnémque nostram vitam dirige ad illud, quod maximè nobis conducit. Cùm hac vitâ excedemus, illic nos, in tabernacula tua, recipe; ut simul viventes, sanctámque & beatam Trinitatem, cujus nunc non nisi imperfecta nobis contemplatio est, puriùs & perfectiùs intuentes, finem nostrorum, illic, desideriorum consequamur, eámque mercedem accipiamus bellorum, quæ gessimus vel sustinuimus.* Denique, Oratione in honorem CYPRIANI, non Episcopi illius *Carthaginensis*, sed *Græci* cujusdam, eumdem in modum eum invocat; quin & narrat virginem quamdam, JUSTINAM nomine, in periculo defensam, invocatâ MARIA virgine, & miracula per CYPRIANI cineres edita fuisse.

Cultu Mahuzzim.

GREGORIUS *Nyssenus*, alius celebris Monachus, atque Episcopus, in EPHRÆMI *Syri* vitâ, narrat virum quemdam, cùm è longinquâ Regione domum rediret, in magno periculo fuisse versatum, eo quod omnes viæ Barbararum Nationum exercitibus erant præclusæ; ast, cùm invocâsset nomine EPHRÆMUM, dixissétque, *Sancte* EPHRÆME, *adjuva me*; evasisse periculum, metúque mortis abjecto, præter spem, ad suos rediisse incolumem. In fine hujus Orationis, sequentem in modum EPHRÆMUM GREGORIUS compellat: *Tu, autem, ô* EPHRÆM, *divino, jam, adsistens altari, & Principi vitæ & sanctissimæ Trinitati sacrificia offerens, unà cum Angelis; omnium nostrûm esto memor; veniámque peccatorum nostrorum nobis impetra, ut æternâ Regni cœlestis felicitate aliquan-*

Nysseno;

Digitized by Google

CAP. XIV. *do fruamur.* Idem; Oratione in laudem THEODORI Martyris, A. C. 381 conscriptâ, ipsius potentiam, populique consuetudinem, hisce verbis describit: *Hic Martyr*, inquit, *anno proximè elapso, sævam illam tempestatem sedavit, horrendúmque illud, cum ferocibus atque crudelibus Scythis, bellum repressit.* —— *Si cui permittatur, ut pulverem auferat, quo coopertum est monumentum, in quo sancti Martyris corpus quievit, pulvis ille pro dono accipitur, colligitúrque, servandus, ut res ingentis pretii. Ipsas, quippe, reliquias tangere, si qua tam prospera umquam fortuna eveniat; quantus is sit favor, & quàm non, nisi impensissimis precibus, impetrandus, probè nôrunt, qui impetrârunt. Etenim, instar florentis adhuc viventísque corporis, illud, qui id conspiciunt, amplectuntur, oculos, os, aures, aliáque sensûs organa omnia, illi adplicantes; ac, deinde, amore in eum pleni (a), lachrymis, in Martyrem, quasi integrum adhuc, seséque vivum ipsis exhibentem, fusis, preces ei, atque supplicationes, offerunt, ut pro se advocatus intercedat; eum precantes, ut administrum Dei; invocantes, ut dona, quandocumque velit, accipientem.* Denique, hac precatione finem Orationi imponit GREGORIUS: *O* THEODORE, *plurimis indigemus bonis; intercede pro patriâ tuâ, & supplica communi Regi ac Domino. Patria, enim, Martyris, est locus ubi passus est, iíque ipsius sunt cives, fratres, & consanguinei, qui ipsum possident, defendunt, exornant, atque colunt. Mala extimescimus, pericula imminentia cernimus: Non procul absunt impii Scythæ, ad bellum nobis inferendum parati. Ut miles, pro nobis pugna; ut Martyr, παῤῥησία pro conservis tuis utere. Pacem implora, ut ne publici hi cessent conventus, ne furiosus atque impius Barbarus in templa atque altaria desæviat, ne profanus ac sceleſtus res sacras conculcet. Beneficium, à te acceptum, agnoscimus, quòd salvi atque intacti hactenus sumus conservati; ut in futurum periculis simus liberi, precamur. Quod si, verò, majori supplicatione ac deprecatione opus fuerit, fratrum tuorum, Martyrum, chorum convoca, iisque omnibus junctus, simul pro nobis deprecare. Placent Deum Justorum multorum preces, veniámque*

(a) *With affection.*

Digitized by Google

que peccatorum multitudini populóque procurent. Exhortare PETRUM, *excita* PAULUM, *nec non* JOANNEM, *divinum illum ac dilectum Discipulum, ut solliciti sint de Ecclesiis, quas condiderunt, quarum causâ catenis fuêre vincti, pro quibus periculis mortésque perpessi sunt; ut ne caput adversus nos attollat cultus Idolorum; ne spinarum instar, in vineto nascantur hæreses; ne crescens lolium triticum suffocet; ne ulla, pinguedinis veri roris expers, petra sit adversus nos, verbóque vim fœcundam, radicis expertem faciat; verùm virtute, (a) precum, & tuarum & tuorum sodalium, ô vir præclare, atque inter Martyres excellens, Christianorum respublica frumento plenus ager evadat.* Idem, adhuc, *Nyssenus*, Oratione funebri in obitum MELETII, Episcopi *Antiocheni*, eodem anno 381, *Constantinopoli* habitâ, coram cœtu Episcoporum, qui, ex omni Oriente, ad secundum Concilium Oecumenicum convenerant, ita de MELETIO loquitur: *Sponsus*, inquit, *non à nobis ablatus est: in medio nostrûm constitit, quamvis ipsum non videamus: sacerdos est in intimis locis, ac coram apud Deum supplicat, pro nobis & peccatis populi.* Non erat hæc figura loquendi oratoria, sed ex verâ animi sententiâ sic loquebatur GREGORIUS, ut ex iis, quæ supra ex eo, de EPHRÆMO & THEODORO, citavimus, intelligere est. Cúmque coram Concilio *Constantinopolitano* hæc verba faceret, discere hinc licet, inquit BARONIUS (*b*), professum esse ipsum, quod integrum Concilium, ac, cum eo, tota illarum Regionum Ecclesia, credebat, nempe, Sanctos in cœlo preces pro nobis Deo offerre. *Cultus Mahuzim.*

EPHRÆM *Syrus*, celebris itidem Monachus, BASILII æqualis, qui & eodem, quo hic, anno decessit in fine Encomii, sive Orationis in laudem BASILII, tunc recèns mortui, hunc in modum ipsum invocat: *Deum supplica pro me, homine miserrimo, ac revoca (c) me advocatione tuâ ô pater; tu, qui fortis es ora pro me infirmo; tu, qui diligens es, pro negligente; tu, qui hilaris, pro torpido; tu, qui sapiens, pro insipiente; tu, qui tibi* *Ephræm Syro;*

(*a*) Power.
(*b*) Ad annum 381. Sect. 41.
(*c*) Recal.

Digitized by Google

CAP. XIV. *omnium virtutum theſaurum collegeris, dux eſto mihi, omnis boni operis experti.* In principio Encomii quadraginta Martyrum, per idem tempus ab ipſo conſcripti, ita eos compellat: *Opitulamini, ergo, mihi ô ſancti, ſuplicatione veſtrâ; veſtríſque precibus, ô dilecti; ut Chriſtus ſuâ gratiâ linguam meam dirigat loquuturam, &c.* Et poſtea, factâ mentione de unius, è quadraginta hiſce Martyribus, matre, Orationem hac precatione concludit: *Te, ô ſancta, fidelis, ac beata mulier, obſecro, pro me Sanctos preceris, dicáſque; ſupplicate, vos, qui in Chriſto triumphatis pro pertenui ac miſero* EPHRÆMO, *ut miſericordiam inveniat, Chriſtíque gratiâ ſervetur.* Atque iterum, ſecundâ Oratione de laudibus ſanctorum Martyrum *Chriſti* hac ipſos ratione adloquitur: *Obſecramus vos, ô Martyres ſanctiſſimi, ſupplicate pro nobis miſeris peccatoribus, negligentia ſqualore immundis, Dominum, ut divinum ſuam nobis gratiam infundere velit.* Denique, poſtea, prope ejuſdem Orationis finem: *Jam, vos, ſanctiſſimi homines, atque illuſtres Dei Martyres, me, miſerum peccatorem, precibus veſtris adjuvate, ut terribili illâ horâ, quâ omnium cordum ſecreta manifeſta fient, miſericordiam conſequar. Ego vobis hodie, ô ſanctiſſimi Chriſti Martyres, velut inutilis atque imperitus fui pincerna: tradidi, quippe, filiis ac fratribus veſtræ fidei, poculum eximii vini veſtræ militiæ, paravi ipſis eximiam veſtræ victoriæ, omnigenis repletam dapibus, menſam. Omni mentis adfectu ac deſiderio dedi operam, ut patres veſtros, fratréſque, familiam veſtram, atque conſanguineos, qui menſam quotidie frequentant, recrearem. Ecce, enim, cantant, atque, exſultantes & lætitiâ perfuſi, Dei gloriam celebrant, qui virtutes veſtras coronavit, poſitis in ſacratiſſima veſtra capita, coronis immortalibus atque cœleſtibus; illi, prater modum gaviſi, circùm ſacras, martyriorum veſtrorum, reliquias conſiſtunt, felicitatem à vobis requirentes (a), ac medicinam cùm corpori, tùm animo, auferre cupientes. Ut boni, ergo, diſcipuli, fidíque miniſtri benigni Domini noſtri, ac Servatoris, hos omnes fortunate (b) & me, quoque, infirmum licèt atque debilem,*

(a) *Wiſhing for a bleſſing.* (b) *Beſtow a bleſſing on them all.*

Digitized by Google

bilem, qui, vestris meritis & supplicatione vires adeptus, hymnum in vestram laudem ac gloriam, coram sanctis vestris reliquiis, cecini. Quapropter vos obsecro, coram divinæ Majestatis solio, pro me, EPHRÆMO, *vili ac miserabili peccatore, consistite, ut, vestris precibus, salutem consequi merear, ac vobiscum sempiternâ fruar felicitate, per gratiam, ac benignitatem, ac misericordiam Domini nostri & Servatoris* JESU *Christi, cui, cum Patre, & Spiritu Sancto, sit laus, honor & gloria, in sempiternum. Amen.* †Cultus Martyrum.

Ex iis quæ è BASILIO, utroque GREGORIO, & EPHRÆMO citavimus, intelligere est, Sanctorum cultum, inter Monachos, eorúmque admiratores, in *Ægypto, Phœniciâ, Syriâ & Cappadociâ*, jam ante annum 378 fuisse institutum ratúmque, cùm, eo anno, BASILIUS atque EPHRÆM sint mortui. Non multò, hisce, posterior fuit CHRYSOSTOMUS. Is *Antiochiæ* docuit, quamdiu, ferè THEODOSIUS M. imperavit, multæque in ipsius Orationibus sacris, ad hujusmodi superstitionem adhortationes occurrunt. Videre hoc licet in fine Orationum in laudem S. JULIÆ, S. PELAGIÆ, Martyris IGNATII, Martyrum *Ægyptiorum*, *de Fato & Providentiâ*, in honorem Martyrum in genere, S. BERENICES ac S. PROSDOCES, JUVENTINI & MAXIMI, in nomen *Cæmeterii*, &c. Ita, Oratione de BERENICE & PROSDOCE: *Fortasse*, inquit, *non exiguo amore in has Martyres accensi estis; hoc igitur ardore procidamus ante ipsarum reliquias, loculos, queis inclusæ sunt, amplectamur. Martyrum, quippe, loculi, magnâ virtute pollent, scilicet, ut Martyrum ossa, potentiâ valent. Neque hujus tantùm die festi, verùm aliis quoque diebus, nosmet ad ipsas adplicemus, ipsas invocemus atque obsecremus, ut nostræ patronæ esse velint. Pollent, enim, virtute atque efficaciâ, non modò dum in vivis sunt, verùm etiam post mortem; multóque magis post mortem, quàm ante. Nunc, quippe, notas, vel stigmata, gerunt Christi; cúmque ea ostendunt, omnia à Rege possunt obtinere. Quandoquidem, ergo, tantùm efficacitatis habent, támque ingens, cum eo, ipsis amicitia intercedit; nos, etiam, ubi continenti* Et Chrysostomo.

CAP. XIV. *tinenti earum cultu, atque assiduè eas invisendo (a), familiaritatem ipsarum fuerimus nacti, ipsarum ope, divinam misericordiam obtinere possumus.*

Tandem eo infecta & Constantinopolis.

Libera erat, ab hisce superstitionibus, *Constantinopolis*, donec, A. C. 379, illuc veniret GREGORIUS *Nazianzenus*; paucis, verò, annis, iisdem quoque studiis accensa est. Narrat RUFFINUS *(b)*, THEODOSIUM Imperatorem, cùm bellum in EUGENIUM tyrannum adornaret, (quod fecit anno 394,) cum Sacerdotibus populóque omnia loca, in quibus preces publicè dici solebant, circumiisse; cilicio prostratum jacuisse ante thecas, quibus Martyrum atque Apostolorum reliquiæ continebantur, atque *auxilium implorâsse, Sanctorum advocatione.* Addit SOZOMENUS, Imperatorem, cùm ad septimum milliare *Constantinopoli*, adversùs EUGENIUM exercitum duxisset, templum, à se, JOANNI *Baptistæ* ædificatum, introiisse, *Baptistámque sibi auxiliatorem (c) invocâsse (d).* Hinc CHRYSOSTOMUS (*e*): *Qui purpurâ*, inquit, *vestitur, hæc sepulcra amplexurus accedit; ac, positâ* tantisper *dignitate, consistit, supplicans Sanctis, ut pro se Patronos agant apud Deum: Atque ille, qui diademate coronatus incedit, tentoriorum fabricatori, aut piscatori, ut patronis, preces offert.* Atque alibi (*f*): *Concurrunt*, inquit, *civitates ad Martyrum sepulcra, eorúmque amore populus accensus est.*

Postmodùm vetitæ sunt

Hæc, tamen, consuetudo, reliquias, ad miracula edenda, ex uno loco ad alium mittendi, eóque pietatem gentium, erga Sanctos

(*a*) *By continual attendance and perpetual visitation of them.*

(*b*) Hist. Eccl. L. 2. 33.

(*c*) [σύμμαχον.]

(*d*) Libr. VII. c. 24.

(*e*) Hom. 66. ad populum, circa finem: & Hom. 8. 27. in Matth. Hom. 42, 43. in Gen. Hom. 1. in 1. Thess.

(*f*) Exposit. in Psal. 114. sub finem.

Digitized by Google

tos vitâ cassos, eorúmque reliquias, accendendi, nec non, invocandi ipsorum animas, Religionem instituendi, tantùm ad medium Imperii THEODOSII M. tempus duravit; tunc, enim, is eam prohibuit hoc edito: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur; Habeant, verò, in potestate, si quolibet in loco Sanctorum est aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod* Martyrium *vocandum sit, addant quod voluerint fabricarum. Dat. IV. Kal. Mart. Constantinopoli,* HONORIO, *nob: puero, &* EUODIO *Coss. A. C.* 386. Post hæc, agros viásque publicas altaribus replebant, in honorem erectis Martyrum, quos per somnia ac visa sibi innotuisse præ se ferebant: Atque hæc occasio exstitit, A. C. 398, quinto Concilio *Carthaginensi*, decimum quartum condendi Canonem, qui ita habet: *Item placuit, ut altaria, quæ passim, per agros aut vias, tanquam memoria Martyrum, constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui illis locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Sin, autem, hoc, propter tumultus populares, non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut, qui rectè sapiunt, nullâ, ibi, superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter accipiatur, nisi aut ibi corpus, aut aliqua certè reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissimâ origine traditur. Nam, quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes, quorumlibet hominum, ubique constituuntur altaria, omnimodè reprobentur.* Constituta fuerant hæc altaria, ad invocandos Sanctos, Martyrésve, sub iis sepultos, vel qui sub iis sepulti ferebantur. Primò, itaque, Templa, ubique locorum, replêrunt Martyrum reliquiis, sive veris sive falsis, ut in Templis invocarentur; deinde agros, viásque publicas, altaribus; ut ubique preces ipsis fierent: & nova quidem hæc Religio à Monachis, per omne *Græcorum* Imperium, ante THEODOSII M. in EUGENIUM expeditionem, atque, ut mihi videtur, ante illius edictum, quod supra citavi, A. C. 386, introducta est.

Cultus Mahuzzim.

illæ superstitiones.

Quapropter ubique in viis publicis &c. altaria Sanctis erecta.

Vetitum illud à Concilio Carthaginensi, A. C. 398.

Eadem

Digitized by Google

Fædem superſtitiones, brevi pòſt, per Occidentem ſparſas.

Eadem Religio, colendi *Mahuzzim*, citò, etiam, per Imperium Occidentis ſe diffudit: DANIEL, autem, in hoc vaticinio, præcipuè res, inter populos qui tertiæ, apud eum, beſtiæ corpore continentur, geſtas, deſcribit.

PRIMÆ PARTIS FINIS.

OPUSCU-

Digitized by Google

OPUSCULI XXV.

PARS SECUNDA.

ISAACI

NEWTONI

OBSERVATIONES

AD

SANCTI JOANNIS

APOCALYPSIN,

Eodem Interprete.

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONES
AD
SANCTI JOANNIS
APOCALYPSIN.

CAPUT PRIMUM.

INTRODUCTIO.

De tempore, quo Apocalypsis conscripta est.

RENÆUS auctor exstitit sententiæ, quâ scripta statuebatur *Apocalypsis* imperante DOMITIANO; tum, verò, idem, alios etiam è sacris libris, seriùs quàm vulgò creduntur, scriptos affirmavit, ita ut pòst ceteros omnes *Apocalypsin* collocaret. Audierat fortassis à magistro suo POLYCARPO, accepisse ipsum hunc librum à JOANNE, eo, circiter, tempore, quo DOMITIANUS occisus est; quinimò fieri potuit, ut ipse, tum

Apocalypsis non *Domitiani*, sed *Neronis* tempore conscripta est.

Digitized by Google

CAP. I. temporis, JOANNES, novam ejus libri velut editionem in publicum emiserit, unde collegerit postea IRENÆUS, tum recèns eumdem conscriptum fuisse. IRENÆUM secutus est EUSEBIUS in *Chronico*, nec non in Historiâ Ecclesiasticâ; postmodum, autem, in *Demonstratione Evangelicâ* (*a*), proscriptionem, quâ in *Patmon* exulatum missus est JOANNES, cum morte PETRI ac PAULI conjungit: Hoc faciunt etiam TERTULLIANUS (*b*), & *Pseudo*-PROCHORUS, nec non primus, quisquis fuerit, auctor fabulæ illius vetustissimæ, quâ JOANNES ferebatur, à NERONE in vas oleo ferventi plenum conjectus, ac, cùm illæsus inde egressus esset, ab eodem in *Patmon* relegatus. Quamvis merum illud sit figmentum, attamen hoc primarum Ecclesiarum traditione nititur, JOANNEM in *Patmon* fuisse relegatum imperante NERONE.

Testibus pleriscque è veteribus:

EPIPHANIUS de JOANNIS Evangelio loquitur, ut temporibus DOMITIANI scripto, de *Apocalypsi*, autem, ut scriptâ etiam ante NERONEM. ARETHAS (*c*), initio Commentarii sui, sententiam IRENÆI ex EUSEBIO citat, non autem illam sequitur: postea, quippe, *Apocalypsin*, ante eversas *Hierosolymas* conscriptam fuisse, adserit, priorésque commentatores, sextum sigillum de eâ eversione exposuisse, testatur.

Nec non Ecclesiâ Syrâ;

Cum primorum sacræ Scripturæ, inter Christianos, Interpretum sententiâ, congruit traditio Ecclesiarum *Syrarum*, ad hunc usque diem servata, in *Syriacæ* Versionis *Apocalypseos* titulo, qui ita se habet: *Revelatio, quæ obtigit* JOANNI *Evangelistæ, à Deo, in insulâ Patmo, in quam relegatus erat ab* NERONE *Cæsare.*

Et Clem. Alex.

Confirmatur eadem narratiunculâ, quam, è CLEMENTE *Alexandrino*, aliisque vetustis auctoribus, in Historiâ Ecclesiasticâ, refert EUSEBIUS (*d*), de quodam juvene, quem, aliquanto pòst quàm è *Patmo* reversus esset, JOANNES, curæ Episcopi, certæ cujusdam urbis, demandavit. Hic, demandatum sibi educavit, docuit,

(*a*) Dem. Evang. Libr. 3.

(*b*) Vide *Pamelium* in notis ad *Tertullianum* de Præscriptionibus n. 215. & *Hieron.* l. 1. contra *Jovinianum* c. 27. Edit. *Erasmi.*

(*c*) Areth. c. 18. 19.

(*d*) Hist. Eccl. l. 3: c. 23: [Apud ipsum Clem. Alex. in libro qui inscribitur, τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, occurrit hæc historia; §. 42. sive p. edit. in duodecimo, Oxon. 1683. 12o. &c.]

Digitized by Google

docuit, denique baptismo inauguravit; tum, verò, curam remisit: quo facto, juvenis, cùm in malos sodales incidisset, gradatim hos cœpit imitari: primùm comessari, ac dissolutis esse moribus, deinde malè habere ac spoliare, quos noctu sibi obviam offenderet, tandem, adeò desperatis rebus esse, ut sodales ipsius, in manum latronum conversi, ducem sibi ipsum elegerint: Et horum dux, inquit CHRYSOSTOMUS (*a*), per longum tempus mansit. JOANNES, denique, ad illam urbem reversus, auditis quæ contigerant, conscenso equo, hunc latronem petiit; qui, cùm, reverentiâ in veterem magistrum ductus, fugam capesseret, insequutus Apostolus, eum à pravâ vivendi ratione revocavit, Ecclesiæque reddidit. Hæc historia plures annos complectitur, exigítque ut potiùs brevi post NERONIS, quàm post DOMITIANI mortem, è *Patmo* rediisse JOANNEM statuamus; cùm inter mortem DOMITIANI, ipsiúsque JOANNIS, duo tantùm anni cum dimidio intercesserint; tum & hic senex adeò fuerit debilis (*b*), ut in Ecclesiam deportaretur, & ultra 90 annos natus cùm moreretur, adeóque non credi possit, eâ ætate equo petiisse latronem (*c*). *Introductio.*

Eadem, porrò, etiam inde corroboratur sententia, quòd sæpissime in *Apocalypsi* respiciatur ad Templum, Altare, Urbémque sanctam, ut etiam tum superstites; nec non ad Gentes, brevi Urbem sanctam, atque atrium exterius, pedibus conculcaturas. Confirmatur etiam stylo ipsius *Apocalypseos*, qui *Hebraismis*, præ ejusdem auctoris Evangelio, abundat. Exinde, enim, colligere est, illam conscriptam esse, cùm recèns è *Judeâ* venisset JOANNES, ubi linguæ *Syriacæ* adsuetus fuerat; non autem scripsisse eum Evangelium suum, nisi cùm diutinâ consuetudine cum *Græcis Asiaticis*, maximam Hebraismorum partem didicisset. Confirmatur multis illis falsis fictisque *Apocalypsibus*, ut PETRI, PAULI, THOMÆ, STEPHANI, ELIÆ, & CERINTHI, in imitationem veræ hujus, conscriptis. Ut, enim, multorum, quæ *Idem ex ipsâ Apocalypsi, ejúsque stylo, confirmatur:*

Nec non ex suppositiis Apocalypsibus, maximè Cerinthi.

(*a*) Ad *Theodorum* lapsum.

(*b*) *Hieronym.* in Epist. ad Gal. l. 3. cap. 6.

(*c*) [Addit quidem *Clemens*, (quem vide) *Joannem*, cùm fugientem se latronem insequeretur, post eúmque clamitaret ac vociferaretur, *ætatis oblitum* fuisse, verùm id omnino statuendum, etiam si multò fuerit junior quam 90, vel 87 annorum, ex gr. 68.]

Digitized by Google

CAP. I. exstant, falsorum Evangeliorum, falsorum Actuum, falsarum Epistolarum conscribendarum, occasio exstiterunt vera Evangelia, Actus, Epistolæ; utque falsæ *Apocalypses* multæ exaratæ, atque adscriptæ Apostolis ac Profetis, argumento sunt, veram quamdam Apostolicámque tùm exstisse *Apocalypsin*, quæ primis Christianis in ingenti honore fuerit: ita jure possumus statuere, jam maturè (*a*) hanc veram scriptam fuisse, ut tempus, sæculo etiamnum Apostolico, supersit, quo tot spuriæ conscribi potuerint postea, ac tamquam auctores earum prædicari PETRUS, PAULUS, THOMAS, aliíque, qui ante JOANNEM vitâ excessêre. CAJUS, TERTULLIANI æqualis (*b*), nos docet, CERINTHUM, instar magni Apostoli, revelationes suas scripsisse, ac præ se tulisse, Angelorum ministerio sibi visa fuisse oblata, adferentem *millennium* voluptatum carnalium, *Hierosolymis*, post resurrectionem, vivendum; ita ut planè adpareat, *Apocalypsin* hujus in imitationem JOANNIS scriptam fuisse. Et hic, tamen, adeò maturè vixit (*c*), ut Apostolis sese *Hierosolymis* opposuerit, ipso anno primo CLAUDII, (vel paulò ante,) id est, viginti sex ante NERONIS mortem annis; mortuus autem est idem (*d*) ante JOANNEM Apostolum.

Denique inde, quod in Epistolis *Petri*, & ad Hebræos, ad Apocalypsin respici videatur.

Sufficere queant hæ rationes, ut scriptæ *Apocalypseos* tempus, ita ut feci, determinetur; attamen restat etiam alia, illis, qui res penitius considerare solent, firma videri apta, aliis non item. Hanc dabo, ac uniuscujusque judicio relinquam. Ad *Apocalypsin* in Epistolis PETRI, nec non in eâ, quæ ad *Hebræos* scripta est, respici videtur, adeóque illa priùs scripta quàm hæ. Ejúsmodi in Epistolâ ad *Hebræos* esse censeo ratiocinationes illas de Pontifice Maximo in Tabernaculo cœlesti, qui Pontifex simul est & Rex, ut MELCHIZEDECUS, ut & illas de *verbo Dei*, cum acuto ancipitíque gladio, *illas περὶ σαββατισμοῦ, sive de quiete millennii*, de *terrâ cujus finis est ad combustionem*, puta, per stagnum ignis, de *judicio atque igneâ indignatione, adversarios devoraturâ*, de *cœlesti urbe, quæ fundamenta habet, cujus Architectus atque Ædificator est Deus*; de *nube testium*; *monte*

(*a*) *Early.*
(*b*) Apud Euseb. Eccl. Histor. lib. 3. c. 28 Edit. *Valesii.*
(*c*) Epiphan. Hæres. 28.
(*d*) Hieron. adv. Lucif.

Digitized by Google

monte Sione, Hierosolymis cœlestibus, universali cœtu, spiritibus justo- Introductio.
rum perfectorum, scilicet, per resurrectionem; denique, de *conquas-*
satione cœli ac terræ eorúmque remotione, ut novi cœli, nova terra,
novúmque Regnum, quod concuti nequit, maneant. In primâ PE-
TRI occurrunt hæc: *Revelatio* JESU *Christi* (*a*); quod bis vel
ter reperitur; *sanguis Christi, ut agni præordinati, ante jacta mun-*
di fundamenta (*b*); *spirituale ædificium* in cœlis (*c*); *hæreditas*
incorrupta, incontaminata, & non marcescens, quæ in cœlis conser-
vatur, nobis, qui custodimur in salutem, paratam revelari tempore
novissimo (*d*); *Sacerdotium regale* (*e*), *Sacerdotium sanctum* (*f*);
Judicium quod à domo Dei incipit (*g*); denique, *Ecclesia Babylo-*
ne (*h*). Et hi quidem reverâ obscuriores sunt respectus; altera au-
tem ejusdem Epistolâ, à decimo nono versu primi capitis ad finem
usque, perpetuus videtur ad *Apocalypsin* commentarius. Ibi, ad
Ecclesias Asiaticas scribens, ad quas jussus fuit JOANNES hæc
vaticinia mittere, ipsas dicit habere *firmiorem propheticum sermonem*,
ad quem *ipsis adtendendum, quasi lucem lucentem in caliginoso lo-*
co, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in ipsorum cordibus, id
est, donec eum sermonem intelligere incipiant: *nulla enim*, inquit,
προφητεία γραφῆς, *est privata alicujus interpretationis*; *vaticinium*,
olim, non humanâ voluntate allatum est, verùm sancti Dei viri
locuti sunt, prout à Sancto Spiritu fuerunt acti. Ipse DANIEL
profitetur, se sua ipsius non intellexisse vaticinia (*i*), adeóque Ec-
clesiis interpretatio, non ab ipsorum Profeta JOANNE exspectanda,
sed ipsarum erat, sensus oraculorum investigare. Hæc summa est
eorum, quæ, in primo capite, dicit PETRUS. Tum, in secun-
do, pergit, ut *è firmo hoc sermone Profetico*, describat, qui ex-
surgerent in Ecclesiâ *falsi Profeta* (*k*), sive *falsi Doctores*, (quod
collectivè in *Apocalypsi* enunciatur per falsum illum Profetam) *qui*
introducerent sectas, [ut vocantur,] *perditionis, etiam eum qui emit*
eos Dominum abnegantes, quæ nota est *Antichristi*: *Et multi*, in-
quit,

(*a*) 1. Petr. I. 7. 13. IV. 13. V. 1.
(*b*) Apoc. XIII. 8. [1. Petr. I. 19, 20.]
(*c*) Apoc. XXI. 1. Petr. II. 5.
(*d*) 1. Petr. I. 4. 5.
(*e*) [1. Petr. II. 9.] Apoc. I. 6. V. 10.
(*f*) [1. Petr. II. 5.] Apoc. XX. 9.
(*g*) [1. Petr. IV. 17.] Apoc. XX. 4. 12.
(*h*) [1. Petr. V. 13.] Apoc. XVII.
(*i*) Dan. VIII. 15. 16. 27. & XII. 8. 9.
(*k*) 2. Petr. II. 1. &c.

Digitized by Google

CAP. I. quit, *ſequentur eorum luxurias (a)*; qui degunt ſuper terram (*b*), decipientur à falſo Profetâ, vinóque ſcortationum Meretricis inebriabuntur, *per quos (c) via veritatis blaſphemabitur*; Beſtia, quippe, blaſphemiarum plena (*d*): *Et in avaritiâ, fictis verbis, de vobis negotiabuntur*; hi, enim, mercatores in orbe terrarum, qui negotiantur cum Meretrice illâ magnâ, quorúmque merces omnia pretioſa ſunt, etiam corpora atque animæ hominum (*e*): *quorum judicium — non ceſſat, & perditio (f) non dormitat*, verùm quàm certiſſimè, die ſupremo, in eos ſubitò irruet, ut quondam diluvium in mundum veterem, útque ignis ac ſulphur in *Sodomam* & *Gomorrham*; quo tempore pii ſervabuntur è pernicie, ut LOTHUS (*g*); *novit*, enim, *Dominus, pios è tentatione eripere; iniquos, verò, in diem Judicii reſervare cruciandos*, in ſtagno ignis; *magis, autem, eos, qui poſt carnem, in concupiſcentiâ immunditiæ, ambulant*, inebriati vino ſcortationum Meretricis (*h*); *qui contemnunt dominationem, nec blaſphemare dignitates (i) verentur*; aperuit, enim, Beſtia ſuum os adverſùs Deum (*k*), ad blaſphemandum ejus nomen, ejúſque tabernaculum, nec non illos, qui cœlum incolunt. *Hi, velut irrationabiles brutaque beſtiæ*, Beſtia quæ decem, & altera, quæ duobus erat cornibus prædita, ſive falſus Profeta, *facta in perniciem*, in lacu ignis, *blaſphemant, quæ non intelligunt: voluptatem exiſtimant comeſſari per diem, — ludum ſibi facientes ſuas ipſorum ſeductiones, dum vobiſcum (l) convivantur, oculos habentes plenos adulterâ (m)*: Regna, quippe, Beſtiæ, luxurioſè vivunt cum magnâ illâ Meretrice, illiúſque ſcortationum vino, gentes inebriantur: *Derelinquentes rectam viam, erraverunt, ſecuti viam* BALAAM, *filii* BEOR, *qui mercedem iniquitatis amavit*, falſus Profeta, qui BAL-

(*a*) Ἀσελγείαις: in multis ex optimis MSS.
(*b*) Apoc. XIII. 7. 12.
(*c*) Angl. *by reaſon of whom*; *quorum cauſâ*.
(*d*) Apoc. XIII. 1. 5. 6.
(*e*) Apoc. XVIII. 12, 13.
(*f*) Ibid. XIX. 20.
(*g*) Apoc. XXI. 3. 4.
(*h*) Apoc. IX. 21. & XVII. 2.
(*i*) Angl. *Glories*.
(*k*) Ibid. XIII. 6.
[*l*] Apoc. XVIII. 3. 7. 9.
(*m*) Μοιχαλίδος.

Digitized by Google

BALACUM (*a*) docuit mittere scandalum coram filiis *Israël. Hi sunt*, non scaturigines aquæ salientis, verùm *fontes sine aquâ*; non nubes Sanctorum, quales illæ, in quibus duo Testes adscendunt, sed *nebulæ turbinibus exagitatæ, &c.* Ita hujus Epistolæ auctor omne secundum Caput impendit, describendo proprietates Bestiarum ac falsi Prophetæ in *Apocalypsi*: Deinde, in tertio, pergit ipsorum perniciem pleniùs describere, ut & Regnum futurum. Monet illic (*b*) quia in longum differendus esset adventus *Christi*, illudentes illos dicturos: *ubi est promissio adventûs ejus?* Tum describit inopinatum diei Domini in illos adventum, *instar furis nocturni*, quæ phrasis est, ut ita loquar, *Apocalyptica*; mentionem facit *millennii*, sive *mille annorum, qui Deo tantùm instar unius diei sint*; agit de *remotione veterum cœlorum* terræque, per conflagrationem in stagno ignis, déque nostrâ *exspectatione novorum cœlorum, novæque terræ, in quibus justitia habitet.* Introductio.

Consideranti, ergo, PETRUM & JOANNEM *Judæorum* fuisse Apostolos, mihi quidem videtur, mansisse illos apud suas, in *Judæâ* ac *Syriâ*, Ecclesias, usquedum Genti ipsorum *Romani* bellum inferrent, hoc est, usque ad NERONIS annum duodecimum; tùm, maximam fugientis populi partem, in *Asiam* fuisse sequutos, atque inde PETRUM per *Corinthum*, *Romam* petiisse; porrò, Imperium *Romanum* has Ecclesias hostes sibi censuisse, utpote *Judæos* origine, adeòque, ne & illæ in se insurgerent, ductores ipsarum in carcerem conjecisse, JOANNEM, [ex his unum,] in *Patmon* relegâsse (*c*). Probabile etiam mihi videtur, illic conscriptam fuisse *Apocalypsin*, nec diu pòst Epistolam ad *Hebræos*, & utramque PETRI, ad has Ecclesias fuisse missas, habito respectu ad hæc, ut quæ peculiariter ad ipsas attinerent, vaticinia. Ex his, quippe, Epistolis adparet, conscriptas illas esse tempore universalis calamitatis atque oppressionis, quibus, ab Idololatris, Christiani vexaban- Ulterior hujus argumenti confirmatio.

(*a*) Apoc. II. 14.
(*b*) *v.* 3. &c.
(*c*) Vix, imò fortè ne vix quidem, hæc possunt admitti, propter ea quæ habentur Apoc. I. 9. maximè hæc verba: διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Digitized by Google

CAP. I. vexabantur, adeóque tùm, cùm *Romani* bellum cum *Judæis* gerebant; donec, enim, illud bellum inciperet, pax Idololatris erat, æquè cum Christianis *Judæis*, ac cum ceteris. Epistola ad *Hebræos*, cùm TIMOTHEI faciat mentionem, quâ patet, cognatum ipsis eum fuisse, scripta ad ipsos fuerit necesse est, post quàm in *Asiam* fugissent: illic, enim, Episcopus erat TIMOTHEUS. PETRUS quoque, ubi *Romam* vocat *Babylonem*, non tantùm id respectu nominis hujus in *Apocalypsi*, verùm etiam ad bellum præsens, à *Romanis Judæis* illatum, proximámque abductionem in exsilium, ut quondam sub veteribus *Babyloniis*, id facere videtur: cúmque primam Epistolam inscribat *advenis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam ac Bithyniam dispersis*, innuere videtur, advenas illos esse, recèns, bellis *Romanis*, per has Regiones dispersos; hi, quippe, soli fuerunt, quorum illic PETRO gerenda cura erat, advenæ.

Sententiæ traditæ, ex veteri historiâ illustratio.

Hæc, quam tradidi, rerum descriptio, optimè cum veteri historiâ, rectè, atque ut oportet, expositâ, convenit. Etenim JUSTINUS Martyr (*a*) & IRENÆUS (*b*) auctores sunt, SIMONEM *Magum*, CLAUDIO imperante, *Romam* venisse, ibíque præstigias edidisse. Addit *Pseudo*-CLEMENS, tentâsse eum illic volare, astprecato PETRO, fractâ cervice periisse: Unde EUSEBIUS (*c*), sive potiùs ejusdem interpolator HIERONYMUS, memoriæ tradidit, PETRUM, secundo anno CLAUDII, *Romam* venisse: CYRILLUS (*d*), verò, *Hierosolymitanus*, PHILASTRIUS, SULPITIUS, PROSPER, MAXIMUS *Taurinensis*, & HEGESIPPUS *junior*, hanc PETRI victoriam ad tempora NERONIS referunt. Sanè, antiquior fuit sententia, PETRUM, hoc *Cæsare* imperante, *Romam* venisse, ut apud LACTANTIUM (*e*) videre est. *Chrysostomus* (*f*) narrat, Apostolos longum tempus in *Judæâ* mansisse; tum, à *Judæis* pulsos, ad alias Gentes sese contulisse. Evenit hic dispersus anno primo belli *Judaici*, cùm *Judæi*, ut auctor est JOSEPHUS, ubique tumul-

(*a*) Apol. ad *Antoninum Pium*.
(*b*) Hæres. Libr. 1. c. 20. Vide etiam *Tertullianum*, Apol. c. 13.
(*c*) Euseb. Chron.
(*d*) Cyrill. Catech. 6. Philastr. de Hæres. cap. 30. Sulp. Hist. l. 2. Prosp. de promiss. dimid. temp. cap. 13. Max. Serm. 5. in Nat. Apost. Hegesipp. l. 2. c. 2.
(*e*) Lactant. de mortib. Persec. c. 2.
(*f*) Homiliâ 70. in Matth. c. XXIII.

Digitized by Google

tumultuari ac violenter agere inciperent. Omnes quippe consentiunt, Apostolos simul ac semel omnes, in varias oras dispersos esse; & ORIGENES (*a*) quidem, ipsum tempus notavit, narrans, initio belli *Judaici* hanc Apostolorum Discipulorúmque Domini nostri, in varias Gentes, disparationem contigisse; THOMAM quidem in *Parthiam*, ANDREAM in *Scythiam*, JOANNEM in *Asiam*, PETRUM quoque, primùm in *Asiam*, ubi dispalatis Evangelium prædicavit, illinc autem in *Italiam*, venisse. DIONYSIUS *Corinthius* (*b*) scribit, PETRUM ex *Asiâ*, per *Corinthum*, *Romam* profectum, omnísque consentit antiquitas, PETRUM PAULUMque illic martyrium esse passos, sub finem imperii NERONIS. Patet etiam, cum TIMOTHEO, MARCUM *Romam* petiisse (*c*). SILVANUS, [de quo PETRUS in Epistolâ primâ (*d*),] PAULI fuit adjutor (*e*); atque ex iis, quorum ille, citato loco, mentionem facit, tamquam suorum sodalium, colligere est, *Romæ* ipsum scripsisse; inter antiquos autem generatim convenit, in hac Epistolâ, nuncupatione *Babylonis*, *Romam* designâsse Auctorem. Altera ejusdem Epistola ad eosdem, ad quos prima, advenas conscripta est (*f*): quâ affirmatur, etiam PAULUM, de iisdem rebus, ad ipsos scripsisse, nec non in aliis ipsius Epistolis (*g*). Jam, sicut nulla PAULI ad hos advenas Epistola exstat, præter eam quæ ad *Hebræos* inscribitur, ita in hac (*h*) fusè agi videmus, de omnibus iis quorum meminerat PETRUS, ad quæ illo etiam loco respicit. Speciatim illic occurrunt, *remotio veterum cœlorum ac terræ, constabilitio hæreditatis immotæ*, cum exhortatione ad virtutem (*i*), quoniam impiis *Deus est ignis consumens* (*k*). *Introductio.*

Ita, determinato, quo tempore scripta sit *Apocalypsis*, non necesse est multa de illius veritate dicere, cùm in tanto, primis Sæculis, honore ea fuerit, ut multi eam imitari sint conati, falsis editis *Apocalypsibus*, Apostolorum nominibus inscriptis; cùm etiam ipsi, *De Apocalypseos auctoritate & stylo.*

(*a*) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 25.
(*b*) Ibidem.
(*c*) 2. Timoth. IV. 11. Coloss. IV. 10.
(*d*) 1. Petr. V. 12.
(*e*) Utr. ad Thess. I. 1.
(*f*) 2. Petr. III. 1.
(*g*) Ibid. *v.* 15. 16.
(*h*) Hebr. X. 11. 12.
(*i*) Angl. *Grace.*
(*k*) Hebr. XII. 25. 26. 28. 29.

Digitized by Google

CAP. I. si, ut modò ostendi, Apostoli, eidem studendo operam dederint, ejúsque phrasibus sint usi; quo factum, ut Epistolæ ad *Hebræos* stylus mysticus evaserit, magis quàm reliquarum *Paulinarum*; is, etiam, quo usus est in Evangelio JOANNES, figuratus magis atque augustus stylo ceterorum sit Evangeliorum. Non in ullo, qui ante *Apocalypsin* scriptus sit, Novi Testamenti libro, *Christum* puto dici *Verbum*, sive *Sermonem Dei* (*a*); quapropter ea phrasis, ex illo vaticinio desumta mihi videtur, quod & de multis aliis, in hoc Evangelio, phrasibus judicandum censeo; quales hæ: *Christum esse Lucem quæ mundum illuminat* (*b*), *Agnum Dei qui tollit peccata mundi* (*c*), *Sponsum* (*d*), *eum qui testimonium perhibet* (*e*), *eum, qui è cœlis descendit, Filium Dei, &c.* (*f*). JUSTINUS Martyr, qui, nondum triginta elapsis, à JOANNIS morte, annis, fidem Christianam amplexus est, disertè scribit (*g*), *certum quemdam virum inter Christianos, cui nomen* JOANNES, *unum è duodecim Apostolis Christi, in eâ, quæ ipsi oblata fuit, Apocalypsi, prædixisse, credentes in Christum, mille annos victuros Hierosolymis.* Et, paulò ante, idem: *Ast ego*, inquit, *& quicunque sunt Christiani in omnibus rectè sentientes, credimus, & futuram esse resurrectionem carnis, & mille annorum ætam Hierosolymis, instauratis, ornatis, amplificatis.* Quod idem est ac si diceret, apud omnes, primi illius ævi, Christianos, hunc librum receptum fuisse: omnibus, quippe, sæculis, quicumque millennium crediderunt, *Apocalypsin* receperunt, ut sententiæ suæ fundamentum: nec unum in contrarium exemplum novi. PAPIAS, Episcopus *Hierapolitanus*, vir ævi Apostolici, atque unus ex ipsius JOANNIS Discipulis, non tantùm doctrinam de millennio docuit, verùm etiam *Apocalypsin* vindicavit (*h*), ut afflatu divino conscriptam. MELITO, qui proximè à JUSTINO Martyre floruit, commentarium (*i*) scripsit.

(*a*) Joan. I. 1 — 14.
(*b*) Ibid. ℣. 9. VIII. 12.
(*c*) Ibid. I. 29. 36.
(*d*) Ibid. III. 29.
(*e*) Ibid. ℣. 32.
(*f*) Ibid. ℣. 13.
(*g*) Dialog. cum *Tryphone* pagg. [editionis Colon. anni 1686.] 308. 307.
(*h*) Areth. in Procemio Comment. in Apoc.
(*i*) Euseb. Hist. lib. 4. cap. 26. *Hieronymus.*

Digitized by Google

ſcripſit in hunc librum: atque hic, ſanè, cùm Epiſcopus eſſet Ecclesiæ *Sardenſis*, unius è ſeptem, [ad quas liber miſſus eſt,] neque ignarus traditionis ipſarum, de illo, eſſe, neque ipſis imponere potuit. IRENÆUS, MELITONIS æqualis, multa in eamdem *Apocalypſin* ſcripſit, teſtatúrque *numerum 666 in omnibus veteribus atque probatis apographis exſtitiſſe, ſibíque etiam idem confirmatum fuiſſe, ab iis, qui* JOANNEM *coràm viderant*, procul dubio Magiſtrum ſuum Polycarpum, ut unum ex his, innuens. Eodem tempore hunc librum vindicavit THEOPHILUS (*a*), Epiſcopus *Antiochenus*, nec non, brevi pòſt, TERTULLIANUS, CLEMENS *Alexandrinus*, & ORIGENES; quorum æqualis, HIPPOLYTUS Martyr, *Arabum* Metropolita, commentarium in illum conſcripſit (*b*). Hí omnes antiqui ſunt viri, qui centum & viginti, à JOANNIS morte, annorum ſpatio floruerunt, maximæque, in eorum temporum Eccleſiis, famæ fuerunt. Paulò pòſt, alium, in librum hunc commentarium ſcripſit VICTORINUS *Pictavienſis*; floruit autem is imperante DIOCLETIANO. *Introductio.*

Hæc, profectò, ſufficiunt ad probandum, quî jam primis Sæculis recepta fuerit *Apocalypſis*, eique ſtudendo opera navata: neque ullus ſanè mihi N. T. occurrit liber, cujus tam validis, atque hujus, teſtimoniis auctoritas ſit fulta, in quémve adeò maturè commentarii conſcripti ſint, atque in hunc. Legitur in hoc vaticinio (*c*): *Beatus is qui legit, iíque qui audiunt verba hujus vaticinationis, ac ſervant quæ in illa ſcripta ſunt.* Hoc primorum Chriſtianorum animos adeò accendit, ad tantùm huic libro ſtudendo operæ impendendum, donec rei difficultas remittere eamdem ſuaderet, atque alios potiùs N. T. libros commentariis illuſtrare. Hæc fata fuêre *Apocalypſeos*, uſquedum ex malè intellectis, quæ in illâ de millennio habebantur, præjudicium in ipſam ſit obortum: quod DIONYSIUS, quidem, *Alexandrinus*, animadverſo, quanto opere barbariſmis, hoc eſt Hebraiſmis, abundaret, eatenus auxit, ut multi *Græcorum*, quarto Sæculo, libri auctoritatem in dubium revocârint. Fruſtra illa poſtmodùm in dubium vocata.

(*a*) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 24.
(*b*) *Hieronymus.*
(*c*) Cap. I. 3.

Digitized by Google

CAP. I. vocârint. Cùm, verò, *Latini*, *Græcorúm*que pars magna, ſemper *Apocalypſin* retinuerint, ac reliqui, non niſi præjudicii cauſâ, de illâ dubitaverint; nihil hoc contra ejus auctoritatem facit.

Apocalypſi aperiuntur, quæ obſignare juſſus erat *Daniel*:

Vaticinia hæc vocantur *Revelatio*, reſpectu habito ad *Scripturam veritatis* (*a*), quam DANIEL juſſus erat *claudere & obſignare, uſque ad tempus finis* (*b*). Obſignavit eam DANIEL *uſque ad tempus finis*, ac, donec illud tempus veniat, Agnus ſingulatim ſigilla aperit: deinde, ambo Teſtes, ex apertis libri obſignati partibus, per longum tempus vaticinantur, in cilicio, ante quàm, nube vecti, in cœlum adſcendant. Quibus omnibus tantumdem ſignificatur, atque hæc DANIELIS & JOANNIS vaticinia, non antè quàm advenerit finis, intellectum iri: quoſdam, verò, interea ex ipſis vaticinaturos, adfectâ ac lugubri conditione, atque hoc non niſi obſcurè, ita ut paucos tantùm ad ſaniorem mentem ſint redacturi. In ipſo, autem, fine, eatenus illuſtrandum atque explicandum eſſe vaticinium, ut multi de ipſius veritate convincerentur. *Tum*, inquit DANIEL, *plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia* (*c*). Oportet, enim, inter omnes Gentes prædicari Evangelium, ante magnam illam oppreſſionem, rerúmque finem. Fieri nequit, ut ex omnibus Gentibus innumera ſit palmifera illa turba, quæ ex ingenti eâ oppreſſione evaſura dicitur, niſi ejuſmodi fiat per Evangelii, ante quàm hæc contingant, prædicationem. Neceſſe eſt, lapidem priùs abſque manibus ex rupe exſcindi, quàm in digitos imaginis incidere queat, ingénſque mons evadere, ac terram replere (*d*). Neceſſe eſt, priùs Angelum per medium volare cœlum, ferentem Evangelium ſempiternum, ut omnibus illud Gentibus annuntiet, quàm cadat *Babylon*, ſuámque meſſem metat Filius hominis. Oportet duos illos Profetas priùs, nube vectos, in cœlum adſcendere, quàm Regna hujus mundi, Regna Chriſti fiant. Hæc igitur eſt hujus vaticinii pars, non intelligendam eſſe eam ante ſupremum mundi ſæculum; adeòque, etiam, eò credibilior eſt ipſius veritas, quòd nondum intelligatur. Sin, autem, ſupremum illud

Ita tamen, ut neutra vaticinia plenè intelligantur, ante quàm rerum finis adſit.

(*a*) Dan. X. 21.
(*b*) Idem, XII. 4. 9.
(*c*) Dan. XII. 4.
(*d*) Vid. Dan. II. 34. 45.

Digitized by Google

illud ævum, quo, nempe, hæc explicanda sunt, jam instet, ut è magnis eorum, qui hisce temporibus, proximèque elapsis floruerunt, Interpretum successibus, colligendum videtur; majora nobis sunt incitamenta (*a*), eáque majori successûs verisimilitudine nixa, quàm fuerunt umquam, ad has res perscrutandas. Si jam universalis Evangelii prædicatio propinqua sit, ad nos, nostrósque posteros, hæc verba pertinent præcipuè: *In tempore finis, docti intelligent, nullus, autem, ex impiis intelliget* (*b*). *Beatus is qui legit, iisque qui audiunt verba hujus vaticinii, & servant illa quæ in eo scripta sunt* (*c*). *Introductio.*

In eo stultitiæ reos sese reddiderunt Interpretes, quòd tempora & eventus, ex hoc vaticinio, prædicere adgressi sunt. Hac temeritate non se ipsos tantùm ludibrio exposuêre, verùm & ipsam in contemtum adduxêre prædictionem. Longè alius fuit scopus Dei. Dedit ille hæc, ut & ea, quæ, Vetus Testamentum continet vaticinia, non ut hominum curiositati indulgeret, aptos illos reddendo ad prævidenda futura; verùm ut hæc, pòst quàm contigissent, ex ipso eventu, homines interpretarentur, ipsiúsque, adeò, Dei, non Interpretis, providentia, orbi terrarum palàm fieret. Hac, enim, ratione eventus rerum, à multis inde sæculis prædictarum, argumento erit, quo convincantur homines, mundum Providentiâ regi. Sicut enim, pauca atque obscura, quæ de primo *Christi* adventu exstabant vaticinia, ad Christianæ Religionis, quam omnes inde Gentes corruperunt, introductionem tendebant; ita multa, eáque clara, quibus res, in altero adventu *Christi* peragendæ prædicuntur, non solùm ad prædicendam tendunt, verùm etiam ad efficiendam restitutionem atque instaurationem veritatis diu perditæ, condendúmque Regnum *in quo habitet justitia*. Eventus, itaque, veritatem *Apocalypseos* probabit; atque hæc, ita probata intellectáque explicandis inserviet veteribus Profetis, omnésque, adeò, simul veram Religionem reddent cognitam eamdémque stabilient. Qui, enim, veteres

Vaticinia Deus non dedit, ut curiositatem nostram excitaret, verùm ut providentiam ejus, ex eventu, agnosceremus.

Ex eventu, ergo, illa explicanda.

(*a*) Angl. *Encouragement*.
(*b*) Dan. XII. 10.
(*c*) Apoc. I. 3.

Digitized by Google

CAP. I. res intelligere avet Profetas, ab hoc libro incipiat neceſſe eſt; attamen tempus necdum advenit, quo plenè ſint intelligendi, quoniam præcipua, quæ in iis prædicitur, rerum converſio, nondum evenit. *Tempore vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit is tubâ canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut declaravit per ſervos ſuos Profetas:* ac tum *Regna hujus mundi fient Regna Domini noſtri Chriſtique ejus, ínque aternum regnabit* (*a*). Tantum jam hujus vaticinii eventu comprobatum eſt, ut quicumque huic ſtudio velint operam impendere, ſatis exemplorum Divinæ Providentiæ ſint animadverſuri: tum, verò illuſtres rerum converſiones, ab omnibus ſanctis Profetis prædictæ, ſimul oculos hominum adtentos ad vaticinia expendenda reddent, ac plenam eorumdem interpretationem exhibebunt. Donec illud fiat, contentos eſſe nos oportet iis rebus interpretandis, quarum prædictiones jam eventum ſunt ſortitæ

Inter proximè elapſi ævi Interpretes vix unus eſt, alicujus notæ, qui non aliquid novi, ſcitu dignum, detexerit; unde jure colligere mihi videor, in eos eſſe Deum, ut hæc myſteria referet. Aliorum ſucceſſus me quoque ad hæc expendenda impulit; qui, ſi quid ſequuturis ſcriptoribus uſui futurum egero, propoſitum fuero adſequutus.

CAPUT SECUNDUM.

De eâ, quæ in JOANNIS *Apocalypſi habetur, ratione* (*b*) *libri Legis* MOSIS, *cultúſque divini in Templo.*

Apocalypſeos eadem eſt ratio, quæ vaticiniorum *Danielis.*

SCripta eſt JOANNIS *Apocalypſis* eodem ſtylo, eâdémque phraſi, ac DANIELIS vaticinia, idémque illius ad hæc, qui horum inter ſe reſponſus eſt, adeò ut omnia ſimul unum tantùm perfectum vaticinium faciant: Eâdem, quoque ut hæc, ratione, illa duabus conſtat partibus ſcilicet introductione, quâ propriè ipſum vaticinium continetur, ejúſque interpretatione.

Vaticinium

(*a*) Apoc. X. 7. IX. 15. (*b*) *Of the Relation*, &c.

Digitized by Google

Vaticinium in ſeptem continuas partes diſtinguitur, ſeptem ſigillorum ejus libri, quem obſignare juſſus fuerat DANIEL, apertione: atque hinc *Apocalypſis*, ſive *Revelatio*, JESU *Chriſti* nuncupatur. Tempus, quod apertione ſeptimi ſigilli incipit, in octo minores, eaſdémque continuas, partes dividitur; ſilentio, nempe, quod in cœlo fuit per ſemihoram, ſeptémque buccinarum, unius poſt alteram, clangore. Ex his ſeptima, canens, ad prælium ejus, qui magnus Dei Omnipotentis dies vocatur, temporis, concitat, quo *Regna hujus mundi*, *Regna Domini fiunt*, *Chriſtique ipſius*, atque illi qui terram vaſtabant, perduntur.

Ea, quæ Moſis Legem reſpiciunt.

Vaticinii; ipſius partes.

Interpretatio hiſce verbis incipit: *Et apertum eſt in cœlo Templum Dei, & conſpecta eſt in ipſius Templo Arca Teſtamenti ipſius* (*a*): atque hæc ad finem uſque libri producitur (*b*). Templum eſt ſcena, quâ res futuræ JOANNI repræſentantur; viſa, autem, in Templo, referuntur ad feſtum menſis ſeptimi: *Judæorum*, quippe, feſta, rerum futurarum typi fuerunt; Paſcha reſpiciebat primum adventum *Chriſti*; feſta, autem, menſis ſeptimi, adventum ejus alterum: Cùm, itaque, prior jam præteriiſſet, ante quàm hoc vaticinium JOANNI obtingeret; ſeptimi ad tantùm menſis feſta hìc reſpicitur.

Ejus interpretatio incipit conſpecto Templo Dei.

Scena eorum quæ *Joannes* viderat.

Primo hujus menſis die, mane, Pontifex Maximus accendebat (*c*) lucernas: ad hunc morem reſpiciens vaticinium, incipit repræſentatione cujuſdam, inſtar *filii hominis*, veſtibus Sacerdotis Magni induti, ambulantis, quaſi in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſeu è regione medii ex illis lucernas parantis, quæ inſtar virgæ, è ſeptem ſtellis conſtantis, in ipſius manu adparebant. Et

Conſpectus Filii hominis, Cap. I. unde deſumtus ſit.

(*a*) Cap. XI. 19.

(*b*) Siccine? Quæ tamen inde, ad finem uſque, ſequuntur, non minùs obſcura ſunt quàm priora, non minùs allegorica. Videntur potiùs ſequi illic, quæ, poſt jam prædicta, in orbe terrarum eventura erant. Dices: finis rerum jam Cap. XI. ℣. 15. & 18. innuitur. Verùm id non conſtat. Verſu 15. veroſimilius eſt, tempora Conſtantini M. innui, & verba ℣. 18, mortuos judicatum iri tum temporis, propriè, de ſupremo judicio, accipi, neceſſe non eſt. Judicantur, etiam, mortui, cùm mortuorum res vindicatur. Poſſint, etiam, inpropriè mortui intelligi. Certè, ea tempora reſpici, hinc etiam illuſtratur, quòd res proximè inſequuturæ Cap. XII. repræſentantur.

(*c*) *Dreſſed.*

Digitized by Google

CAP. II. Et hæc, quidem, lucernarum accenſio perfecta eſt, miſſione ſeptem Epiſtolarum ad Angelos, ſeu Epiſcopos, ſeptem Eccleſiarum in *Aſiâ*, qui, primis illis temporibus, Templum, ſeu Eccleſiam Catholicam, lumine ſuo illuſtrabant. Continent hæ Epiſtolæ monita adverſùs adpropinquantem apoſtaſiam, adeóque ea tempora reſpiciunt, quibus hæc fortiter incipiebat operari, ante quàm verò prævaleret. Operari illa incepit jam Apoſtolorum temporibus, ídque agendo perſeveratura erat, donec *vir peccati palàm fieret*. Operari incepit in diſcipulis SIMONIS, MENANDRI, CARPOCRATIS, CERINTHI aliorúmque id genus, hominum, qui Metaphyſicæ Philoſophorum doctrinæ, & Cabbaliſtices *Judaica* præcepta imbiberant, atque inde *Gnoſtici* adpellabantur. *Antichriſtos* eos vocat JOANNES, dicens, ſuis temporibus *exſtitiſſe multos Antichriſtos* (*a*). Hi autem, cùm ab Apoſtolis, eorúmque Diſcipulis erroris damnati fuerint, in nullum periculum Eccleſias adduxerunt, dum quatuor priora ſigilla aperirentur. Quæ JOANNI repræſentata ſunt horum ſigillorum apertione, ad civiles tantùm Imperii *Romani*, necdum Chriſtiani, res pertinent. Eò uſque prævaluêre traditiones Apoſtolicæ, ínque ſuâ puritate Eccleſiam conſervavêre: unde ejúſdem res, non ante apertionem quinti ſigilli, in hoc vaticinio, tractari incipiunt. Tum illa corrumpi cœpit, admonitionibúſque indigere, atque idcirco hiſce Epiſtolis monetur, donec prævaleret apoſtaſia, omnémque locum occuparet; quod ad ſeptimi ſigilli apertionem contigit. Itaque monita, quæ ſeptem hiſce Epiſtolis continentur, Eccleſiæ ſtatum, temporibus aperti quinti ſextíque ſigilli, ſpectant. Ad quinti apertionem, ab hypocritis Eccleſia purgatur ingenti vexatione. Ad apertionem ſexti, id quod obſtabat, *Romanum* ſcilicet, Imperium eatenus idololatricum, è medio tollitur. Ad ſeptimi apertionem, *vir peccati* fit palàm. Atque ad hæc tempora ſeptem Epiſtolæ referuntur.

Angeli Cap. I. reſpondent Amarcholim apud Judæos.

Septem Angeli, ad quos Epiſtolæ hæ ſcriptæ ſunt, reſpondent ſeptem *Amarcholim*, qui fuêre Sacerdotes & Præfecti Templi, quorúmque omnium cuſtodiæ, claves portarum Templi, nec non theſaurorum, demandatæ erant, queis etiam curatio omnium, quæ in Templo, incumbebat.

(*a*) 1. Epiſt. II. 18.

Poſt

Digitized by Google

Post paratas lucernas, vidit JOANNES (*a*) *aperiri januam* Templi ac *voce, quasi buccinæ*, evocabatur ad eam magni atrii portam, quæ Orientem spectat, ut illic visa videret: Atque *ecce thronus ponebatur*, nempe propitiatorium operculum, Arcæ fœderis impositum, quod *Judæi* colebant ut Dei thronum inter Cherubos (*b*). *Et qui illi* throno *insedit, adspectu erat instar lapidis Jaspidis & Sardinis*, id est, coloris olivarii, cujus, nempe, coloris sunt incolæ *Judææ*. *Et*, Sole tum in Oriente versante, *Iris erat circa thronum*, emblema gloriæ. *Et circa thronum erant sedilia viginti quatuor*; respondentia nempe conclavibus totidem principum Sacerdotum, duodecim ad Meridiem, duodecim ad Septemtrionem atrii Sacerdotum. *Et super sedilia viginti quatuor Seniores sedebant, albis vestibus amicti, inque eorum capitibus corona*; repræsentantes principes viginti quatuor ordinum Sacerdotum, lineis vestimentis amictos. *Et ex throno procedebant fulgura, & tonitrua, & voces*, nempe, coruscæ vibrationes flammarum in altari, matutini sacrificii tempore, tonantésque voces buccinas inflantium, canentiúmque ad atrii Sacerdotum Orientalem portam; hæ, quippe, cùm inter JOANNEM essent & thronum, ipsi quasi è throno procedere visæ sunt. *Et septem lucernæ erant ardentes in Templo, ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei*, sive Angeli septem Ecclesiarum, in principio hujus vaticinii repræsentati septem astris. *Et ante thronum erat mare vitreum, pellucidum, instar Chrystalli*; mare æneum, inter porticum Templi & altare, aquâ purâ plenum. *Et in medio sedis, & in circuitu sedis, erant quatuor Animalia, plena oculis ante & à tergo:* id est, unum Animal ante thronum, atque unum post, JOANNI speciem præbentia, quasi in medio throni essent, unum, porrò, à singulo ejusdem latere in ipsius circuitu, multitudine suorum oculorum denotantia populum, qui in quatuor lateribus atrii sui stabat. *Et simile erat primum Animal leoni, & alterum vitulo, tertium erat facie humanâ, quartum simile aquilæ volanti.* Populus *Israëliticus*, dum in desertis ageret, circùm Tabernaculum castra metabatur (*c*); adeò, quidem ut ab

Ea, quæ Mosis Legem respiciunt.

Explicatio Cap. IV.

(*a*) Cap. IV. 1. &c.
(*b*) Vide Exod. XXV. 2. Psal. XCIX. 1.
(*c*) Vid. Num. II.

Digitized by Google

CAP. II. Oriente essent tres Tribus sub vexillo *Juda*; ab Occidente tres Tribus sub vexillo *Ephraimi*, à Meridie tres sub vexillo *Rubenis*; à Septemtrione tres Tribus sub vexillo *Danis*. Jam, verò in vexillo *Juda* pictus erat Leo; in vexillo *Ephraimi*, Bos; in vexillo *Rubenis*, Vir; in vexillo *Danis*, picta erat Aquila; ut docent *Judæi* (*a*). Hinc composita fuêre hieroglyphica *Cheruborum* & *Seraphorum* ad populum *Israëliticum* repræsentandum. *Cherubo* erat unum corpus, at quatuor facies; facies nempe, Leonis, Bovis, Hominis, & Aquilæ, ita positæ, ut quatuor cœli plagas, singulæ singulas, respicerent, non vertentes situm, ut est in viso EZECHIELIS (*b*). Quatuor, verò Seraphis eædem facies quatuor erant, verùm & quatuor corpora, singulis, nempe, coporibus singulæ facies. Quatuor, itaque Animalia, de quibus hìc JOANNES, quatuor sunt Seraphi in quatuor lateribus atrii populi stantes: primum in latere ad Orientem capite Leonino; alterum in latere ad Occidentem, capite Bovino; tertium in latere ad Meridiem, capite Humano; quartum in latere ad Septemtrionem, capite Aquilino: & omnia simul duodecim Tribus *Israëlis* significant, è quibus centum illi & quadraginta quatuor mille fuerunt obsignati (*c*), *Et singulis Animalibus erant sex alæ*, singulis Tribubus binæ, in universum viginti quatuor, quæ viginti quatuor populi stationibus respondent. *Et pleni erant oculis intus*, sive sub alis ipsorum. *Nec quiescunt interdiu, nec noctu*, vel matutini & vespertini sacrificii temporibus, *dicentes; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens qui erat, & est, & venturus est.* Hæc Animalia, ergo, Seraphi illi sunt, quos in viso, huic *Apocalypsi* simili, viderat ISAIA: In illo quippe, etiam Dominus throno insidebat, in Templo; Seraphíque, singuli sex alis præditi clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (*d*). *Cúmque hæc animalia gloriam & honorem reddunt, gratiásque agunt ei qui throno insidet, qui in omnia sæcula vivit, viginti quatuor Seniores* in

(*a*) Vide *J. Spencerum* de Legibus Hebræorum, Libr. III. Cap. IV. Dissert. V. Sect. II. membro secundo (3): &, quem illic citat, *Joan. Medum*: nec non *J. Lightfootum*, Miscell. Cap. LIII. ex *Chaldæo* paulò aliter hæc referentem.

(*b*) Ezech. I. 12. (*c*) Apoc. VII. 4. (*d*) Isai. VI. 1. 3.

Digitized by Google

in Templum introëunt, ibíque *procidunt coram ſedente in throno, eúmque adorant qui in æternum vivit, ſuáſque, ante thronum, dejiciunt coronas, dicentes: Dignus es tu, ô Domine, qui gloriam, ac honorem, ac potentiam accipias: tu, quippe, creâſti omnia & propter voluntatem tuam ſunt ea, & creata ſunt.* Cùm matutinum veſpertinúmque ſacrificium offerebatur, quamprimum altari impoſitum, ſacrum erat, fundíque incipiebat libamen, clangebant buccinæ, térque, ex more (*a*), *Levitæ* canebant: ſingulis, etiam, quibus buccina clangebat, vicibus, procidebat populus Deúmque adorabat. Ter, itaque & hoc fiebat, adeóque ut innuatur ille numerus, clamant, apud JOANNEM, Animalia *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Porrò, cantu finito, populus orabat ſtans, donec ſolemnes ritus eſſent peracti. Interea Sacerdotes, Templum ingreſſi, procidebant coram eo, qui throno inſidebat eúmque venerabantur. *Ea, quæ Moſis Legem reſpiciunt.*

Et vidit JOANNES *in dextrâ inſidentis throno, librum ſcriptum intus & à tergo, ſeptem ſigillis obſignatum*; eum, ſcilicet, quem DANIEL fuerat juſſus obſignare, quíque hìc repræſentatur profetico Legis libro, ad dextram partem Arcæ repoſito, quaſi in dextrâ ejus qui throno inſidet: Feſta, quippe, & cæremoniæ Legis, hoc libro populo præſcriptæ, eas adumbrabant res, quas DANIEL prædixit; ſcriptio, autem, *intus & foris*, vaticinia ſynchrona (*b*) reſpiciebat. *Et nemo inveniebatur dignus qui librum aperiret*, præter Agnum Dei. *Atque, ecce, in medio throni & quatuor Animalium, & in medio Seniorum*, id eſt, ad baſin altaris, *ſtabat Agnus, ut occiſus fuerat*, ſacrificium matutinum; *habens ſeptem cornua*, quæ ſunt ſeptem Eccleſiæ, *& ſeptem oculos, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, per omnem terrarum orbem emiſſi. Et venit ille, & accepit librum è dextrâ inſidentis throno: Et ubi librum accepiſſet, quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores procidebant coram Agno, ſinguli habentes citharas, & aureas phialas, odoribus plenas, quæ ſunt preces Sanctorum. Et canebant hymnum novum, dicentes: Tu dignus es librum accipere, ejuſdémque ſigilla aperire: tu enim occiſus fuiſti, ac nos Deo redemiſti ſanguine tuo, ex omni familiâ, & linguâ, & populo, & gente; feciſtíque nos, Deo noſtro,* Cap. V.

(*a*) *By Course.* (*b*) *Synchronal.*

CAP. II. *tro, Reges ac Sacerdotes, & nos regnabimus in terris.* Animalia, itaque, & Seniores, primævos omnium Gentium Christianos significant; atque horum cultus in suis Ecclesiis, formâ cultûs, Deo atque Agno in Templo exhibiti, hìc repræsentatur; Deo, ob beneficium creationis omnium rerum; Agno, ob beneficium nostræ redemtionis, ipsius sanguine partæ: Deo, ut throno insidenti, viventíque in omnia sæcula; Agno, ut super omnia evecto, meritis suæ mortis. *Et audivi*, inquit JOANNES, *vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & Animalium & Seniorum: & erat numerus eorum decies millies decem millia, & millies mille; dicentium voce magnâ: Dignus est Agnus, qui occisus fuit, accipere potentiam, & divitias, & sapientiam, & virtutem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & in terrâ, & sub terrâ, & quæ sunt in mari, & quæcumque in illis, audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno sit benedictio, honor, gloria, & potentia in omnia sæcula! Et quatuor Animalia dicebant, Amen! Et procidebant viginti quatuor Seniores, & adorabant eum qui in æternum vivit.* Hic erat cultus Christianorum primis temporibus.

Quò respiciat sigillorum singulorum apertio.

Mos erat Pontifici Maximo, septem proximos, ante septimi mensis jejunium, dies continuos manere in Templo, libróque Legis studendo incumbere, ut ejus argumentum plenè edoceretur ad solennis Expiationis peragendæ diem; eo, enim, cultus omnis, qui varius erat ac difficilis (*a*), ab ipso solo erat administrandus; cujus cultûs pars erat lectio ipsius Legis coram populo. Utque studium illud Pontificis promoveretur, à Synedrio quidam Sacerdotes constituti erant, qui, septem illis diebus, ipsi, in uno ex ipsius conclavibus in Templo, adessent, cúmque ipso de Lege colloquerentur, eam coram ipso legerent, eúmque monerent, ut legeret eam ipse, atque expenderet. Ad has Pontificis actiones aperiendi ac legendi libri Legis, illis diebus septem, respicitur, ubi sigilla aperuisse dicitur Agnus. Considerare etiam ita rem nos oportet, septem illos dies singulos, incipere vesperi qui eum præcedit: ordiebantur, enim, suos dies *Judæi* ab occasu Solis; adeóque solenne tempus jejunii incipere septimi diei mane.

(*a*) *Intricate.*

Itaque

Digitized by Google

Itaque ſeptimum ſigillum die Expiationis apertum eſt, ac tum, quidem, *ſilentium fuit in cœlo per ſemihoram. Et Angelus*, Pontifex Maximus, *ſtabat ad altare, thuribulum habens aureum; & datum eſt ipſi multum odorum, quos incenderet, Deóque offerret, cum precibus omnium Sanctorum, in aureo, quod ante thronum erat, altari (b)*. Mos erat, aliis diebus, ut aliquis Sacerdotum, è magno altari, ignem in argenteum thuribulum caperet, hoc autem, ut Pontifex Maximus idem faceret, aureóque thuribulo uteretur: quo facto, cùm à magno altari deſcendiſſet, odores, ab aliquo è Sacerdotibus, eos ferente, capiebat, cúmque iis ad aureum altare accedebat: Hoſce dum odores incenderet, Deóque offerret, populus, extra ſtans, ſilentio preces fundebat, quò reſpicit *ſilentium in cœlo per ſemihoram*. Pòſt quàm Pontifex altari odores impoſuiſſet, thuribulum, cum parte eorum ardenti, manu portabat ideni in ſanctiſſimum Templi locum, ante Arcam. *Et adſcendit fumus odorum, cum precibus Sanctorum, coram Deo, è manu Angeli*. Aliis diebus, certa odorum menſura conſtituta erat, quæ in altari aureo accenderetur; hùic, autem, diei major copia deſignata erat, pro altari ſimul illo, & loco ſanctiſſimo, quâ de cauſâ hìc dicitur *multum odorum*. Poſt hæc, *Angelus ſumſit thuribulum, implevítque illud igne, ex magno altari, conjecítque in terram*; id eſt, per manus Sacerdotum, qui ad myſticum ipſius corpus pertinent, miſit illud in terram extra Templi pomœria, ut comburetur ille hircus, qui ſorte Domino obtigerat. Et durante hoc, aliiſque hoc comitantibus ſacrificiis, donec veſpertinum ſacrificium abſolveretur, *erant voces, & tonitrua, & fulgura & terræ motus*: nempe, vox Pontificis Maximi populo Legem prælegentis, aliæque, inſuper, voces, ac tonitrua, buccinarum, nempe, & hymnorum, qui in Templo, ad ſacrificiorum oblationem canebantur, clangores, & fulgura, ex igne ſuper altari flagrante.

Ea, quæ Moſis Legem reſpiciunt.

Quònam reſpiciant quæ, aperto ſeptimo ſigillo, à *Joanne* ſunt viſa.

Peractis ſolemnis Expiationis diei ritibus, ſeptem Angeli ſuas ſinguli buccinas inflant, ut populus ad magna ſacrificia, ſeptem feſti Tabernaculorum diebus propria, congregetur; eorumdémque ſacrificiorum tempore, ſeptem tonitrua ſuas voces edunt; quibus notantur

Angeli buccinas inflantes, & phialas effundentes, quò reſpiciant.

(a) Cap. VIII. 1. &c.

Digitized by Google

CAP. II. tantur cantus in Templo, hymníque Levitarum, clangore buccinarum mixti: denique ſeptem Angeli ſuas phialas iræ effundunt, quæ eorumdem ſacrificiorum libamina reſpiciunt.

De obſignatione ſervorum Dei.

Pòſtquàm ſex è ſeptem ſigillis aperta eſſent, ita loquitur JOANNES: *Et poſt hæc*, id eſt, poſt repræſentationes ſigilli ſexti, *quatuor Angelos vidi, ſtantes in quatuor angulis orbis terrarum, retinentes quatuor ventos terrarum, ne ſflaret ventus in terras, neque in mare, neque in ullam arborem. Et alium vidi Angelum, adſcendentem ex Oriente, habentémque ſigillum viventis Dei: & clamabat hic ad quatuor Angelos, quibus datum erat nocere terræ & mari, dicens: Neque terræ, neque mari, neque arboribus nocete, donec ſervos Dei noſtri in fronte ſignaverimus* (*a*).

Reſpicit illa traditionem quamdam Judæorum

Hac obſignatione reſpicitur ad *Judæorum* traditionem, in die Expiationis omnem populum *Iſrëliticum* obſignari in libris vitæ ac mortis (*b*). Referunt, quippe, in ſuo Talmude, *Judæi*, in principio uniuſcujuſque anni, ſeu primo menſis *Tisri* die, qui menſis anni eccleſiaſtici apud illos eſt ſeptimus, tres libros in Judicio divino aperiri; *librum vitæ*, in quo eorum ſcribantur nomina, qui perfectè juſti ſunt; *librum mortis*, in quo nomina eorum, qui ſunt Athei, vel valde impii; denique, *librum* quemdam *tertium*, eorum, quorum judicium in diem Expiationis differtur, & quorum, ante illum diem, nomina in vitæ vel mortis libro non ſint ſcripta. Decem primos hujus menſis dies vocant dies pœnitentiæ; iiſque omnibus jejunia agunt, precantúrque plurimùm, & ſummopere ſunt religioſi, ut decimo die remittantur ipſorum peccata, ſcribantúrque nomina in libro vitæ; qui dies idcirco *dies Expiationis* dicitur. Atque hoc, quidem, die, dum è Synagogâ domum revertuntur, mutuò ſeſe his verbis ſalutant, *Deus creator in bonum te annum obſignet.* Etenim ſibi perſuadent, jam libros obſignari, judiciúmque divinum, ad anni finem uſque, immutatum manere.

Nec non dues hircos, Dei & Azazelis.

Idem deſignatur duobus hircis, quorum frontibus Pontifex Maximus quotannis, Expiationis die, duas ſortes imponebat, inſcriptas *Deo* & *Azazeli*; ſorte Dei denotante populum Dei nomine, in frontibus, obſignatum, ſorte autem Azazelis, qui hircus in deſertum

(*a*) Cap. VII. 1-3. &c. (*b*) Buxtorf. in Synagogâ Judaicâ, c. 18. 21.

Digitized by Google

tum mittebatur, eos qui signum nomenque Bestiæ recipiunt, cúmque magnâ Meretrice in desertum tendunt.

Ea, quæ Mosis Legem respiciunt.

Cùm itaque servi Dei Expiationis die obsignentur, opinari licet, hanc obsignationem tempore respondere (*a*), iis visis, quæ JOANNI, ad apertionem septimi sigilli, oblata sunt; Agnúmque, ubi sex è sigillis aperuisset, vidissétque ea, quæ ad introrsum spectantem sexti [folii] partem pertinebant visa, oculum in posticam partem septimi folii convertisse, ac tum vidisse [JOANNEM] *Angelos quatuor, retinentes quatuor ventos cœli, aliúmque Angelum, ab Oriente adscendentem, cum sigillo Dei.* Puta, etiam, Angelos qui ventos retinebant, fuisse quatuor priores illorum septem, qui, cùm septimum sigillum aperiretur, stantes coram Deo conspecti sunt (*b*); nec non his ventos retinentibus, *silentium in cœlo per semihoram fuisse*; porrò, dum servi Dei obsignarentur, Angelum, qui aureum thuribulum tenebat, ipsorum preces, cum odoribus, Deo obtulisse, in aureo altari, ac prælegisse Legem; denique, quàm primùm illi obsignati essent, ventos, ad primæ buccinæ clangorem, nocuisse terræ; ad clangorem secundæ, mari; denotantibus his ventis bella, ad quæ priores quatuor buccinæ populos clangore suo excitabant. Etenim, ut priora quatuor sigilla, à tribus posterioribus distinguuntur, eò, quod illis apertis, singulatim conspiciebantur quatuor equitantes, versùs totidem plagas cœli; ita & bella, ad quæ priorum quatuor buccinarum sonus populos excitabat, ab illis, quibus tres posteriores inserviebant, distinguuntur, repræsentatione illorum, specie *quatuor ventorum*, horum autem, nomine *triplicis, ejúsque ingentis Væ.*

Obsignatio servorum Dei, tempore respondet visis post apertum sigillum septimum.

In quodam ex visis EZEKIELI oblatis (*c*), instante jam abductione *Judæorum* in exsilium *Babylonicum*, conspecti sunt *sex viri, armis ad cædem instructi; & septimus* (*d*), qui *inter eos* comparuit, *albis vestimentis lineis amictus, cum atramentario scriptoris ad ejus latus adpenso, per medium Hierosolymarum ire jubetur, signúmque*

Visum Angelorum, buccinâ clangentium, respondet visio *Ezek. IX.*

(*a*) *Is synchronal.*
(*b*) Cap. VIII. 2.
(*c*) Ezek. IX. 2.
(*d*) Ita *Newtonus.* In Textu, verò, illa vox non additur. Attamen septimum fuisse non absre censent Interpretes.

Digitized by Google

CAP. II. *signúmque ponere in fronte virorum gementium & clamantium ob cuncta abominanda scelera, quæ in medio ipsarum fiunt:* deinde sex viri, instar Angelorum qui sex priores buccinas inflant, eos occidere jubentur, qui non signati essent. Puta, itaque, centum & quadraginta quatuor illa millia obsignata esse, ut singuli à malis, sex priorum buccinarum clangorem insecuturis, illæsi manerent; porrò, hos, longo temporis tractu, per prædicationem æterni Evangelii, in *ingentem multitudinem* crescere, *quam nemo numerare valeret, ex omni gente, & familiâ, & populo, & linguâ.* Denique, ad clangorem septimæ, ex magnâ vexatione venire, *palmas manibus gestantes: Regnis hujus mundi,* bello, ad quod ea buccina gentes excitat, *factis Dei Christique ipsius.* Solemnia, enim, magni *Hosannah*, septimo, sive ultimo, festi Tabernaculorum die, *Judæis* celebrabantur; gestantibus manu palmas, clamantibúsque *Hosannah!*

De Angelo, nube amicto, ac iride caput circumdato, &c.

Pòst quàm sex è septem de quibus diximus, Angelis, sex viris, apud EZEKIELEM, armis ad cædem instructis, respondentes, suas singuli buccinas inflârunt, Agnus, *potentis Angeli* formâ, *è cœlo descendit, amictus nube, erátque Iris super caput ejus, faciésque ejus instar Solis, pedes, verò, instar columnarum ex igne* (*a*): quâ formâ *Christus*, hujus vaticinii initio, adparuit. *Et erat in ipsius manu libellus apertus*, liber nempe, quem modò aperuerat; unicum, etenim, librum, ab eo qui throno insidet, acceperat, & solus dignus erat habitus, qui hunc aperiret, inspicerétque. *Et dextro pede constitit super mare, sinistro autem super terram, & ingenti voce clamavit, veluti cùm rugit leo.* Mos erat, die Expiationis consistere Pontificem Maximum loco editiori, in atrio populi, ad Orientem spectantem portam atrii Sacerdotalis, populóque Legem prælegere, dum juvenca, nec non hircus, qui sorte Domino obtigerat, extra Templi pomœria comburerentur. Licet, itaque, nobis, eum quasi illà ratione stantem concipere, ut dexter ipsius pes JOANNI videri potuerit, quasi mari vitreo innixus, sinister, autem, ipso Templi solo; deinde, ingenti voce clamantem, dum Legem, die Expiationis, prælegit. *Et pòst quàm clamâsset, septem*

[*a*] Cap. X. 1.

Digitized by Google

septem tonitrua suas voces ediderunt. Tonitrua sunt voces nubis, nubes, verò, significat multitudinem; atque hæc fuerint Levitæ, qui, quasi tonantibus vocibus, cantabant, ac musicis ludebant instrumentis, ad magna sacrificia, septem festi Tabernaculorum diebus: quibus temporibus etiam clangebant buccinæ. Hæc, quippe, clangebant, ac Levitæ cantabant, alternatim, ad singula sacrificia. Vaticinium, itaque, de septem tonitrubus nihil aliud est, nisi vaticinii de septem buccinis, aliâ tantùm formâ, repetitio. *Et Angelus, quem stantem vidi super mare & super terram, sustulit ad cælum manum, juravítque per eum qui in æternum vivit, non amplius*, post septem tonitrua, *fore tempus*; *diebus, autem, vocis septimi Angeli, cùm is clangere incipiet, mysterium Dei finitum iri ut servis suis, Profetis, revelavit.* Voces, ergo, tonitruum, ad finem usque rerum durant, itidémque voces buccinarum. *Ea, quæ Mosis Legem respiciunt.*

Et vox, quam audivi è cælo, pergit JOANNES (*a*), *iterum ad me locuta est, dixítque; vade, sume libellum &c. & accepi libellum è manu Angeli, & eum comedi; & in ore meo dulcis fuit tanquam mel, quamprimum autem eum comederam, amarus fuit mihi venter. Dixítque mihi; vaticinandum tibi est, denuo, coram multis populis, & gentibus, & linguis & Regibus.* Est hæc introductio ad novum vaticinium, ad repetitionem vaticinii totius libri; eáque respicitur ad EZEKIELEM, comedentem volumen, sive librum, coram ipso evolutum, scriptúmque intus & foris, plenum querimoniis & luctu & væ, dulcem tamen in ipsius ore. *Comedere* ac *bibere* significant adquirere & possidere; *comedere librum*, ergo, est, adflatum fieri vaticiniis quæ illo continentur. Neque id simpliciter; verùm extraordinaria, innuitur, ac vegeta, adflatûs, ratio, ejusmodi, quâ integri libri argumentum Profeticum percipitur. Significatur, ergo, hìc, vivida repetitio integri vaticinii, in modum interpretationis, nec, nisi jam primo vaticinio, de sigillis ac buccinis, ad finem perducto, incipit. Dulcis fuit, in JOANNIS ore, liber, adeóque non incipit amaro vaticinio de abductione amarâ *Israëlis* in *Babyloniam*, ac tempore quo Gentes Idololatræ in exteriori atrio Templi essent, urbémque sanctam proculcarent, De libello Joanni comesum dato. Quare is in ore ipsius dulcis, in ventre amarus fuisse dicatur.

[*a*] Ibid. *v.* 8. 10.

Digitized by Google

CAP. II. rent, quo duo Teſtes, cilicio induti, vaticinarentur, terrámque omnibus malis percuterent, ipſíque dein à Beſtiâ occiderentur: verùm, quamprimùm vaticinium de buccinis ad finem perductum eſt, incipit hic liber dulci *prædictione de Muliere illuſtri in cœlo*, victoriáque MICHAELIS à Dracone reportatâ; poſt hæc, verò, amarus eſt in ventre JOANNIS, prolixâ, nempe, deſcriptione temporum magnæ Apoſtaſiæ.

De dimenſione Templi, &c.

Et ſtabat Angelus, ſuper terram & mare, *dicens: Surge & metire Templum Dei, & altare, & qui in eo adorant* (a), id eſt, ipſorum atria, cum ædificiis ſuper ea, ſcilicet atrium quadratum Templi, qui *locus ſeparatus* adpellatur; atrium quadratum altaris, *Sacerdotum atrium* dictum; atrium, denique, eorum qui in Templo adorant, cui *novi atrii* nomen eſt. *Atrium, autem, magnum, quod extra Templum eſt, mitte, neque metiaris illud; datum, enim, eſt Gentibus, eaque ſanctam civitatem proculcabunt, quadraginta duos menſes.* Hæc dimenſio ſimilem Templi SALOMONIS dimenſionem, ab EZEKIELE factam, reſpicit. Ibi Templum integrum, non excluſo atrio exteriori menſurabatur, ut innueretur poſterioribus temporibus inſtaurandum fore; Hîc tantùm ipſius Templi atrium & altaris, adorantésque in eo ut ſignificetur ædificatio Templi alterius, pro illis qui ex omnibus *Iſraëlis* Tribubus obſignati erant, Deúmque, in interiori atrio ſinceri, honeſtóque incocti, pectoris adorant: Jubetur, autem, JOANNES omittere, in ſuâ dimenſione, externum atrium, ſive externam ſpeciem ac formam Religionis & regiminis eccleſiaſtici, quod illud *Babyloniis* Gentibus relictum ſit. Etenim illuſtris illa mulier in cœlo, cujus ſeminis reliquiæ mandata Dei obſervabant, ac teſtimonium JESU habebant, externâ ſpecie eadem manſit poſt fugam in deſertum, quando, ſinceritate ac pietate relictâ, magna illa meretrix evaſit. Caſtitatem amiſit; externam, verò, faciem formámque retinuit. Porrò, dum Gentes ſanctam civitatem proculcant, atque in externo adorant atrio, duo Teſtes, fortaſſe duobus pedibus Angeli, ſuper terram & mare ſtantis repræſentati, adverſus illas vaticinantur, *erátque ipſis poteſtas*, ut quondam ELIÆ & MOSI, *perdendi ſuos hoſtes igne, qui ipſorum ex ore egrediebatur*,

[a] Cap. XI. 1. &c.

Digitized by Google

tur, & cœlum claudendi, ne vaticinationis ſuæ tempore cadat pluvia, & aquas in ſanguinem convertendi, terrámque omnibus malis feriendi, quotieſcumque libuerit, malis, nempe, quæ ſignificant buccinæ & phialæ iræ. Tandem occidúntur hi, ex morte refurgunt, adſcendúntque, nube vecti, in cœlum: quo facto ſeptima buccina diem Judicii clangore ſuo annunciat. *Ea, quæ Moſis Legem reſpiciunt.*

Finito vaticinio, de integro adflatur, comeſto libro, JOANNES, ejúſque interpretationem his verbis orditur: *Et apertum eſt in cœlo Templum Dei, & conſpecta eſt in ipſius Templo Arca Teſtamenti* (*a*). Eâ Arcâ patet, hoc primum fuiſſe Templum, in ſecundo, enim, nulla Arca fuit. *Et facta ſunt fulgura & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.* Reſpondent hæc bellis, quæ in Imperio *Romano* geſta ſunt, donec regnabant quatuor equites, ad priorum quatuor ſigillorum apertionem, conſpecti. *Et adparuit in cœlo prodigium ingens, mulier amicta Sole.* In ipſo vaticinio res Eccleſiæ tractari incipiunt ad apertionem ſigilli quinti; in interpretatione ibidem incipiunt, repræſentatione Eccleſiæ ſub figurâ mulieris in cœlo: illic ejus hoſtes ipſam perſequuntur; hìc, paritura, doloribus premitur. Interpretatio producitur primùm uſque ad obſignationem ſervorum Dei, ac reliquorum notatione notâ Beſtiæ, inde, uſque ad diem Judicii, meſſe & vindemiâ repræſentatum. Tum retro adſcendit, ad tempus apertionis ſeptimi ſigilli, ac vaticinium de ſeptem buccinis exponit per effuſionem ſeptem phialarum iræ. Angeli, qui has effundunt, *Templo Tabernaculi* egrediuntur; id eſt, Templo ſecundo, neque enim habebat Tabernaculum atrium exterius (*b*). Inde, iterum retro deſcendit, ad tempora dimenſi Templi, atque altaris, quibus Gentes in externo atrio adorant, ac Beſtia duos Teſtes in platæis urbis magnæ occidit; quæ omnia exponit per viſum *Mulieris Beſtiæ inſidentis, hauſtóque Sanctorum ſanguine ebriæ* (*c*): inde, tandem, exponendo pergit, uſque ad caſum magnæ urbis, diémque Judicii. Sequentium conſpectus generalis. Phialæ & buccinæ eodem ſpectant.

[*a*] Cap. XI. 19.

[*b*] Obſcurum hoc brevitate. Id vult: innui hìc illud, quod dimenſus erat *Joannes*, Templum; hoc verò, *Templum Tabernaculi* vocari, quia in ejus dimenſione, atrium exterius omiſſum eſt, quo, cùm caruerit Tabernaculum, huic ſimile id Templum fuit.

[*c*] Cap. XVII. 4. 6.

Digitized by Google

Omne, itaque, vaticinium ejus, qui libro Legis repræsentatus fuerat libri, repetitur atque exponitur, visis, ea quæ ad inflationem septimæ buccinæ pertinent, sequentibus; eo, autem, quo Templi Dei, in cœlo aperti, species JOANNI oblata est, incipientibus. Tantummodo res, quas septem tonitrua edidêre non descriptæ fuerant, adeóque non exponuntur.

CAPUT TERTIUM.

De eâ, quæ, in JOANNIS *prædictione habetur, vaticiniorum* DANIELIS *ratione; déque illius prædictionis subjecto.*

Scenæ profeticæ partes.

OMnis prædictionis sacræ scena, tribus primariis partibus constat: terris ultra Euphratem, duabus prioribus bestiis apud DANIELEM repræsentatis; Imperio *Græcorum*, cis Euphratem, quod denotatur Pardo & Hirco; denique Imperio *Latinorum*, cis *Græciam*, quod bestia decem cornibus prædita repræsentat. Atque ad has partes respiciunt phrases *tertiæ partis terrarum, maris, fluviorum, arborum, navium, astrorum, Solis, Lunæ* (*a*). Corpus quartæ bestiæ cis *Græciam* colloco, quia tribus prioribus vita producta est, pòst quàm jam ipsis imperium ademtum esset, adeòque ad quartæ corpus non pertinent. Hæc tantùm pedibus eas proculcavit.

Terra & *mare* quid in Apocalypsi significent.

Terræ nomine ingentem continentem *Asiæ* atque *Africæ Judæi* intelligebant; in quam, scilicet, omnem ipsis terrâ patebat aditus: nomine, verò, insularum *maris*, ea significabant loca, in quæ mari ipsis navigandum esset, omnem præcipuè *Europam*: Atque hinc, in hac prædictione, nomine *terræ marísque* significantur *Græci Latiníque* Imperii Gentes.

Bestiarum tertiæ & quartæ apud *Danielem*, cum Dracone & Bestiâ

Tertia & quarta, apud *Danielem*, bestiæ, eædem sunt cum Dracone & Bestiâ decem cornibus præditâ, apud JOANNEM, hoc autem discrimine: JOANNES Dracone significat omne *Romanum* Imperium, donec integrum mansit, quia erat integrum quando hoc vaticinium edebatur; Bestiæ, verò, nullam rationem habet, nisi ubi

[*a*] Apocal. VIII. 7--12.

Digitized by Google

ubi primùm illud Imperium divisum est: inde Draconem pro *Græcorum*, Bestiam pro *Romanorum* Imperio ponit. Hinc Draconi ac Bestiæ similia (*a*) sunt capita, similia (*b*) cornua: Ast illi tantùm in capitibus, huic tantùm in cornibus, coronæ; quia Bestia ejúsque cornua non imperârunt, nisi pòst quàm à Dracone separata erant: cúmque Draco Bestiæ thronum suum tradidisset, decem cornua Regum potestatem adepta sunt, eâdem horâ ac Bestia. Capita sunt septem Reges, continuâ serie alter alteri succedentes. Ex iis quatuor fuêre quatuor illi equites, ad quatuor priorum è septem sigillis apertionem conspecti. In postremâ parte eorum, quæ de sexto capite, vel sigillo, tamquam præsentia in visis, considerantur, hæc legimus: *Quinque* è septem Regibus *ceciderunt*, *unus exsistit*, *alius nondum venit*; *& Bestia*, *quæ erat*, *& non est*, cùm, nempe, letali adfecta sit vulnere, *ea est octavus*, *& est è septem*: pars itaque erat septimi, eodem tempore exsistens (*c*). Cornua eadem sunt, quæ bestiæ DANIELIS, supra descripta.

Apocal. ex Daniel. Illust.

Apocalyptica comparatio. Quidnam hisce intelligatur.

Quatuor equites, ad quatuor priorum sigillorum apertionem visos, rectè exposuit Jo. *Medus*; nisi quod potiùs, ea quæ tertium adtinent, usque ad finem imperii trium GORDIANORUM & PHILIPPI *Arabis* produxerim, cùm hi fuerint Reges ex Austro; quæ, autem, ad quartum, inceperim à DECII imperio, atque extenderim ad imperium DIOCLETIANI. Quartus, enim, eques, *pallido equo insidebat*, *erátque ipsi nomen Mors*, *& sequebatur eum infernus*; *datáque est ipsis potestas occidendi ad quartam terræ partem*, *ense*, *& fame*, *& pestilentiâ*, *& bestiis terræ* (*d*), vel exercitibus invadentium & rebellium. Et ejusmodi per omne hoc intervallum tempora fuêre. Hactenus Imperium *Romanum* unâ, non interruptæ nec divisæ Monarchiæ, formâ mansit, si rebelliones excipias; & ejusmodi repræsentatur quatuor equitibus. DIOCLETIANUS, autem, illud inter se & MAXIMINIANUM divisit, A. C. 285; atque ita divisum mansit, usque ad victoriam quam de LICINIO reportavit CONSTANTINUS Magnus, A. C. 323, quâ, vexationibus Christianorum, ab Idololatris, quas DIOCLETIANUS, MAXI-

Quatuor equites, sunt Imperatores Romani ad Diocletianum usque.

(*a*) Apoc. XII. & XIII.
(*b*) Angl. *Common.*
(*c*) *Collateral.*
(*d*) Apoc. VI. 8.

Digitized by Google

CAP. III. MAXIMINIANUSque promoverant, quæque ad quinti ſigilli apertionem deſcribuntur, finis eſt impoſitus. Illa, autem, Imperii diviſio imperfecta erat, manentis, interim, ſub uno eodémque Senatu. Eâdem, de quâ diximus, CONSTANTINI de LICINIO, Idololatrâ, eóque Chriſtianorum inſectatore, victoriâ, Idololatrici Imperii caſus incipit, qui ad apertionem ſexti ſigilli depingitur: atque hujus aperti viſa, ultra imperium JULIANI Apoſtatæ pertingunt, cum hic falſos Deos coluerit Imperator, atque omne *Romanum* Imperium ei ſubjectum fuerit.

Eccleſiæ Chriſtianæ res, à quinti ſigilli apertione tractari incipiunt.

Eccleſiæ Chriſtianæ res, ad quinti ſigilli apertionem tractari incipiunt, ut ſupra notatum. Deinde ea repræſentatur ſpecie *mulieris*, in Templo cœli, *Sole* juſtitiæ *amicta*, *Lunámque*, ceremoniarum Judaicarum, *ſub pedibus habentis*, *capitíque impoſitam coronam duodecim aſtrorum* (*a*), quâ ad duodecim Apoſtolos, totidémque Tribus *Iſraëlis* reſpicitur. Hæc, ubi è Templo in deſertum fugit, reliquit illic *reliquias ſeminis ſui*, *cuſtodientes mandata Dei*, *& habentes teſtimonium* JESU *Chriſti*; adeóque ante fugam ſuam repræſentavit primævam Eccleſiam Dei, quamvis poſtea, *Obola* inſtar, atque *Oholibæ* (*b*), degenerârit. *Diocletianæ* perſecutionis tempore, *clamabat parturiens*, *& cruciabatur ut pareret*: in fine, verò, ejuſdem perſecutionis, victoriâ CONSTANTINI de MAXENTIO, A. C. 312, *peperit prolem maſculam*, *prolem quæ omnes Gentes ferreâ virgâ erat rectura*, Imperium, nempe, Chriſtianum. *Et raptus eſt ejus filius ad Deum & ad thronum ejus*, victoriâ CONSTANTINI de LICINIO, A. C. 323. *Et mulier*, diviſione Imperii *Romani* in *Græcum* & *Latinum*, *fugit*, à primo Templo, *in deſertum*, *Latinorum* Imperium, ſterile, quod ad internum cultum Dei, ubi poſtea inſidens reperitur Beſtiæ, ſeptémque montibus; vocatúrque *Urbs magna*, *quæ dominatur in Reges terræ* (*c*), id eſt, in decem illos Reges, qui regna ſua Beſtiæ tradiderunt.

De mulierę filium enixâ.

De pugnâ Michaëlem inter & Draconem.

Antè, verò, quàm fugeret mulier, bellum fuit in cœlo, MICHAELEM inter & Draconem, id eſt, Chriſtianam inter & antiquam Idololatrarum Religionem; ac *dejectus eſt in terram*, Draco, *vetus ille ſerpens*, *cui nomen Diabolus*, *& Satanas*, *qui omnem*

(*a*) Cap. XII. 1. &c. (*b*) Ezek. XXIII. (*c*) Apoc. XVII. ℣. ult.

Digitized by Google

nem orbem ſeducit, dejectique ſunt, cum ipſo, ejus Angeli: Audivitque JOANNES *vocem in cœlo, dicentem, Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quippe dejectus eſt accuſator noſtrorum fratrum.* ——— *Et vicerunt eum ſanguine Agni, & verbo teſtimonii ſui. Nec vitas ſuas dilexerunt uſque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui eos incolitis. Væ terræ & maris incolis*, id eſt, populis Imperii Græci Latiníque, *quippe ad vos deſcendit Diabolus, irâ æſtuans; quia breve tantùm ſibi tempus eſſe novit.* Apocal. ex Dan. Illuſtr.

Videns, autem, Draco, ſe dejectum, throno Imperii *Romani*, & maſculam mulieris prolem in eumdem raptam, *perſecutus eſt mulierem, prolem maſculam enixam; & huic*, diviſione *Romani* Imperii inter Urbem *Romam* & *Conſtantinopolin* A. C. 330, *datæ ſunt duæ alæ aquilæ magnæ*, Romani Imperii ſymboli, *ut fugeret*, è primo Templo, *in deſertum*, Arabiæ, *in locum ſuum*, qui Babylone, myſtico ſenſu ita dicto. *Et Serpens* (*a*), diviſione ejuſdem Imperii inter *Conſtantini* M. filios, A. C. 337, *miſit aquam ex ore ſuo, tanquam flumen*, Imperium Occidentis, *poſt mulierem, ut faceret eam trahi à flumine. Terra, verò*, vel Imperium Græcum, *mulieri ſuccurrit, apertiſque ſuis faucibus, flumen abſorbuit*, victoriâ CONSTANTII de MAGNENTIO, A. C. 353. Atque ita Beſtia letaliter enſe vulnerata eſt. *Iratus, deinde, fuit mulieri Draco*, imperante JULIANO Apoſtatâ, A. C. 361, *&*, novâ Imperii inter VALENTINIANUM & VALENTEM diviſione, A. C. 364, *abiit*, ab eâ, in Imperium Orientis, *bellum illaturus reliquiis* ſeminis *ipſius*, quas fugiens illa poſt ſe reliquerat: Atque hac ratione Beſtia è ſuo vulnere convaluit. Draconis, in terram dejecti, in mulierem anſus, &c. Beſtiæ vulnus, ejuſdemque ſanatio

Proximâ Imperii diviſione, quæ GRATIANUM inter & THEODOSIUM, facta eſt A. C. 379, *Beſtia* decem capitibus prædita, *è mari ſurrexit; beſtia* autem bicornis, *ex Terrâ*: ex poſtremâ, denique, diviſione ejuſdem inter THEODOSII filios, A. C. 395, *ſuam, Draco, potentiam ſuúmque thronum & ingentem auctoritatem, Beſtiæ* Beſtiæ majoris, & alterius minoris exortus.

[*a*] Quæ deinde Serpenti, ſive Draconi, adſcribit, Romani, jam Chriſtiani, Imperii ſunt; itaque non idololatricum tantùm Romanum Imperium Dracone intelligi velle Noſtrum, (quod tamen ſupra velle videretur) liquet. Meliùs ſibi conſtaret expoſitio, ſi ipſam ſuperſtitionem antiquam Dracone intelligat.

Digitized by Google

CAP. III. *dedit* (*a*). Et potentiam instar Regum, *eâdem horâ cùm Bestiâ, decem cornua acceperunt.*

Mulieris, in tergo Bestiæ, res gestæ.

Tandem mulier in locum suum Imperii politici, æquè, ac ecclesiastici locum, super Bestiæ tergum (*b*), pervenit, *ubi alitur, tempus, tempora, & dimidium temporis, à facie Serpentis;* non in ipsius Imperio, sed aliquâ loci distantiâ semota. *Alitur* à mercatoribus terræ tria tempora, sive annos tres, cum dimidio, sive 42 menses, vel 1260 dies: his, autem, in vaticiniis, dies pro annis ponuntur. Omni hoc tempore Bestia propriè egit; illa verò, *ipsi insedit*, hoc est, in ipsam dominata est, nec non in Reges, *qui potentiam suam & robur* id est, Regnum suum, *Bestiæ tradiderunt*; & ebria erat illa sanguine Sanctorum. Omnibus hisce circumstantiis patet, eam esse undecimum cornu quartæ, apud DANIELEM, bestiæ, quod *torvo magis quàm cetera, adspectu* regnavit, alterius, etiam, erat generis, quàm priora decem, *oculósque & os*, mulieris instar *habebat*, & bellum *inferebat, Sanctis, ipsósque superavit, & contrivit, & putavit quòd posset mutare tempora; in cujus manus tradita illa sunt ad tempus, tempora, & dimidium temporis* (*c*). Perfectissimè inter se congruunt hæ notæ mulieris, & parvi cornu bestiæ apud DANIELEM: ratione civilis dominii, illa bestiæ ejus erat cornu; ratione dominii ecclesiastici, ipsi insidebat, specie mulieris, ejúsque Ecclesia erat, & cum decem Regibus meretricem egit.

Eadem *Danieli*, parvo quartæ bestiæ cornu, significabatur.

Bestia bicornis Ecclesiam Græcam repræsentat. Ejusdem gesta, in gratiam prioris.

Altera bestia (*d*), quæ *ex terrâ adscendit*, erat Ecclesia Imperii *Græci*: námque, *duo ipsi erant cornua, similia agni*, adeóque Ecclesia erat; *& loquebatur sicut Draco*, adeóque ejusdem, cujus ille, Religionis; *è terrâ*, autem *adscendit*, adeóque in illius Regno. Eadem etiam vocatur Falsus Profeta, qui, coram priori Bestiâ, prodigia edebat, queis illius notâ insignitos, imaginémque adorantes, decepit. Cùm Draco à muliere abiisset, reliquiis feminis ipsius bellum illaturus hæc bestia, terrâ egressa, illi, hoc in bello, auxilio fuit, *effecítque ut terra, & ejus incolæ* auctoritatem *Bestiæ prioris, cujus mortiferum vulnus sanatum erat, venerarentur, facerénteque illi simulacrum*, id est, hominum, ipsi, quod ad Religionem, similium,

(*a*) Cap. XIII. 2.
(*b*) Apoc. XVII. 3.
(*c*) Dan. VII. 18. 20. 25.
(*d*) Apoc. XIII. 11. &c.

Digitized by Google

milium, corpus ipſi colligerent. *Erat, etiam, eidem poteſtas vitam conferendi* atque auctoritatem, illi *ſimulacro*, ita ut *& loqui poſſet*, *&* jubendo *efficere ut omnes*, Religionis cauſâ unitæ hominum ſocietates, ſive corpora, *quæ ſimulacri* auctoritatem *non adorarent* myſtico ſenſu *occiderentur. Et omnes homines adegit, ut acciperent in dextrâ manu, vel in fronte, notam, effecítque ne cui liberum eſſet emere nec vendere, niſi qui notam vel numerum, Beſtiæ, vel numerum nominis ipſius, habebat;* reliquis omnibus communione Eccleſiæ, à beſtiâ bicorni, interdicto. Nota ejus eſt +++, nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ, numerus, verò, nominis, 666.

Apocal. ex Dan. Illuſtr.

Beſtiæ majoris ſimulacrum, nota, nomen, numerus.

Ita, ergo, Beſtia, pòſt quàm mortiferum vulnus gladio ipſi eſſet inflictum, eáque inde convaluiſſet, conſecrata eſt, quemadmodum Idololatris mos erat ſuos Reges, poſt mortem, in Deorum numerum referre, ac divino honore proſequi; & ipſi poſitum eſt ſimulacrum; imò qui eam colerent, novis hiſce ſacris initiati, notâ vel nomine novi hujus Dei, vel nominis ejus numero accepto. Occiſione omnium, qui ipſam, ejúſque ſimulacrum ut colant, non poſſunt adigi, primum Templum, quod lumine ſuo illuſtrárant ſeptem Eccleſiæ (*a*), dirutum eſt, novúmque, illum cultum detrectantibus, ædificatum: atque hujus, quidem, novi Templi atrium externum, ſive externa Eccleſiæ facies, *Gentibus* conceſſum. Beſtiam ejúſque ſimulacrum colentibus: dum illi, qui hoc facere recuſant, nomine Dei frontibus ipſorum impoſito, obſignantur, ſéque in atrium internum hujus novi Templi recipiunt. Hi ſunt centies quadragies & quater mille illi obſignati, ex duodecim Tribubus *Iſraël* (*b*), vocantúrque *duo Teſtes* (*c*), utpote à duabus alis mulieris orti, dum in deſertum illa fugeret, nec non duobus è ſeptem candelabris repræſentati. Conſpiciuntur hi JOANNI in ſecundi Templi atrio interno, ſtantes cum Agno in monte *Sione* (*d*), & quaſi ſuper mare vitreum. Hi ſunt *Sancti illi Altiſſimi, exercitus cœli, ſanctúſque populus*, DANIELI memorati, quos hic detritos ſcribit, pedibúſque proculcatos, ac deletos, poſtremis temporibus, à cornibus parvis quartæ, quam vidit, beſtiæ, atque Hirci.

Ejuſdem ἀποθέωσις; colere eam recuſantium occiſio myſtica; novi Templi illis ædificatio.

Hi ſunt obſignati, & duo Teſtes.

(*a*) *Illuminated by the Lamps of the ſeven Churches.* [*b*] Apoc. VII. 4. 8. [*c*] Ibid. XI. 3. &c. [*d*] Ibid. XIV. 1.

Digitized by Google

CAP. III. Dum ſanctam Urbem pedibus proculcant Gentes, *confert Deus duobus ſuis Teſtibus poteſtatem, iique vaticinantur, mille ducentos & ſexaginta dies, cilicio amicti.* Vocantur hi *duæ olivæ*, habitâ ratione duarum olearum, ZACHARIÆ, in viſo, conſpectarum, quaſi ad utramque partem, aurei candelabri ſtantium (*a*), ut inde lucernis oleum ſuppetat: Oleæ autem, ex PAULI mente (*b*), Eccleſias repræſentant. Oleum, hi, lucernis ſuppeditant, alendo Doctores. Iidem adpellantur *duo candelabra*, quæ hoc in vaticinio Eccleſias ſignificant; repræſentantur, enim ſeptem Eccleſiæ *Aſiaticæ*, ſeptem candelabris. Harum Eccleſiarum quinque vitioſæ inventæ ſunt, ipſiſque comminationes factæ, ni ad meliorem frugem redirent; duæ reliquæ vitio carebant, adeóque ipſarum digna fuêre candelabra, quæ in novo Templo ponerentur. Fuêre hæ Eccleſiæ *Smyrnenſis* & *Philadelphenſis*. Hæ calamitatibus & perſequutionibus premebantur, & ſolis quidem, hiſce è ſeptem, ea erat conditio: adeóque apta etiam erant ipſarum candelabra, eáque, è ſeptem, quidem, ſola, ad Eccleſias, ſecundi Templi temporibus, perſequutionibus preſſas, repræſentandum. Duo Teſtes nova Eccleſia non ſunt: poſteritas ſunt Eccleſiæ primævæ, poſteritas duarum mulieris alarum, adeóque aptiſſimè duobus è primævis candelabris repræſentantur. Opinari, ergo, licet cùm primum Templum dirutum, novúmque, iis qui in atrio interno Deum venerantur, ædificatum eſſet, quo è ſeptem candelabris in novo hoc Templo poſita fuiſſe.

Duo Teſtes, qui & olivæ & candelabra, ſunt Eccleſiæ, maximæ Smyrnenſis & Philadelphenſis.

Epiſtolæ ad 7. Eccleſias miſſæ, tempora 5. & 6. ſigillorum apertorum reſpiciunt.

Quamdiu aperiuntur quatuor priora ſigilla, non conſiderantur Eccleſiæ res. Tum, demum, ubi quintum aperitur, de iis agi incipit, ut ſupra obſervavimus. Ulterius de iiſdem agitur ad apertionem ſexti; ſeptimum, autem, magnæ apoſtaſiæ tempora complectitur. His de cauſis, Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias miſſionem, ad quinti ſextique ſigillorum apertorum tempora refero: Eccleſiam quippe reſpiciunt, jam inclinatis ipſius rebus, ac monita adversùs ingentem, quæ tum adpropinquabat defectionem, continent.

Eccleſiæ, ante *Dioeletianum*,

EUSEBIUS, cùm jam ad DIOCLETIANI tempora Eccleſiaſticam Hiſtoriam deduxiſſet, his verbis Eccleſiæ ſtatum deſcribit (*c*): *Qualem*

(*a*) Zach. IV. 3.
(*b*) Rom. XI. 17-25.
(*c*) Libro VIII. Cap. 1. Interprete H. *Valeſio.*

Digitized by Google

Qualem quantámque gloriam, ſimul, ac libertatem, doctrina vera, erga ſupremum Deum, pietatis, à Chriſto primùm hominibus annunciata, apud omnes, Græcos pariter & Barbaros, ante perſecutionem, noſtrâ memoriâ excitatam, conſecuta ſit, nos certè pro meritis explicare non poſſumus. Argumento eſſe poſſit Imperatorum benignitas erga noſtros; quibus regendas etiam Provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes, ob ſingularem, quâ in Religionem noſtram adfecti erant, benevolentiam. Et paulò pòſt: *Jam, verò, quis innumerabilem hominum, quotidie ad fidem Chriſti confugientium, turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris, cumulatè poſſit deſcribere? Quo factum eſt, ut, priſcis ædificiis jam non contenti, in ſingulis urbibus, ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent eccleſias. Atque hæc, progreſſu temporis, increſcentia, & quotidie in majus & melius proficiſcentia, nec livor ullus adterere, nec malignitas Dæmonis faſcinare, nec hominum inſidiæ prohibere umquam potuerunt, quamdiu Omnipotentis Dei dextra populum ſuum, utpote tali dignum præſidio, texit atque cuſtodiit. Sed cùm, ex nimiâ libertate, in negligentiam ac deſidiam prolapſi eſſemus; cùm alter alteri invidere atque obtrectare cœpiſſet; cùm inter nos quaſi bella inteſtina gereremus, verbis, tamquam armis quibuſdam haſtíſque, nos mutuò vulnerantes; cùm Antiſtites adversùs Antiſtites, populi in populos colliſi, jurgia ac tumultus agitarent; denique, cùm fraus & ſimulatio ad ſummum malitiæ culmen adoleviſſet: tum Divina ultio, levi brachio, ut ſolet, integro adhuc Eccleſiæ ſtatu, & fidelium turbis liberè convenientibus, ſenſim ac moderatè in nos cœpit animadvertere; orſâ primùm perſecutione ab iis qui militabant. Cùm, verò, ſenſu omni deſtituti, de placando Deo ne cogitaremus quidem; quin potiùs, inſtar impiorum quorumdam, res humanas nullâ providentiâ gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus: cùm Paſtores noſtri, ſpretâ Religionis regulâ, mutuis inter ſe contentionibus decertarent, nihil aliud quàm jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes; principatum, quaſi tyrannidem quandam, contentiſſimè vindicantes: tunc demum, juxta dictum* HIEREMIÆ, obſcuravit Dominus, in irâ

Apocal. ex Dan. Illuſtr.

conditio, ex *Euſebio* deſcripta.

Digitized by Google

CAP. III. suâ, filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israël, — *per Ecclesiarum, scilicet, subversionem, &c.* Hic status erat Ecclesiæ, proximo, ante Ecclesiarum, initio persecutionis *Diocletianæ*, subversionem, tempore: & huic statui congruit prima è septem Epistolis, ad totidem Ecclesiarum Angelos; ea, scilicet, quæ ad *Ephesinam* Ecclesiam missa est. *Habeo*, inquit ejus Ecclesiæ Angelo *Christus, de te quod expostulem, quòd caritatem tuam pristinam omisisti. Quamobrem, memento unde excideris, & ad meliorem frugem redi, & priora opera facito; alioquin brevi ad te veniam, tuúmque candelabrum ex loco suo transmovebo, nisi ad meliorem frugem redieris. Hoc tamen habes, quòd odisti Nicolaïtarum opera, quæ & ego, odi (a).* *Nicolaïtæ* sunt *Continentes*, quos supra (*b*) descripsimus, qui Religionem in abstinentiâ à matrimonio ponebant, uxores, si quas habebant, repudiantes. Adpellantur hìc *Nicolaïtæ*, à *Nicolao*, uno è septem, primævæ *Hierosolymitanæ* Ecclesiæ, Diaconis (*c*); qui, cùm formosa ipsi uxor esset, & quasi uxorius insimularetur, illam repudiavit, eíque liberum fecit, ut, cui vellet, nuberet, dicens, oportere ut carnis voluptatibus desuescamus; ipse, dein, cœlebs, vitam continentiâ egit, ut & ipsius liberi. *Continentes* postea doctrinam de *Æonibus*, Spiritibúsque masculis & fœmininis, amplexi sunt, ab Ecclesiis autem vitati, ad quartum usque Sæculum. Laudatur hìc Ecclesia *Ephesina*, quòd ipsorum facta odio habebat.

Ei congruit Epistolarum prima, quæ est ad Ecclesiam Ephesinam.

De Nicolaïtis.

Incepit *Diocletianæa* persequutio A. C. 302 duravítque in Orientis Imperio decem, in Occidentis, duos annos. Huic statui Ecclesiæ altera Epistola, quæ ad Ecclesiam *Smyrnensem* est, congruit. *Novi*, inquit Christus, *opera tua, & calamitatem & pauperiem tuam, (sed dives es;) novi quoque eorum blasphemiam, qui se Judæos esse dicunt, nec sunt, verùm synagoga Satanæ: Noli metuere quidquam eorum, quæ passurus es: Ecce, conjiciet è vobis quosdam Diabolus in carcerem ut exploremini; feretísque decem dierum calamitatem. Esto*

Diocletianæ persecutionis tempora respicit Epistola secunda.

(*a*) Apoc. II. 4. &c.
(*b*) Scilicet Part. I. cap. XIII. haud procul ab initio.
(*c*) Actor. VI. 5. De hac hæresi vide *Eusebium* Hist. Eccl. Libr. III. c. XXIX. & ad illud notas *Valesii*.

Digitized by Google

Esto fidelis ad mortem usque, & tibi coronam vitæ dabo (*a*). Decem dierum calamitas nulli alii nisi *Diocletianæ* persequutioni respondere potest, cùm ea sola decennium duraverit *Blasphemiâ eorum, qui se Judæos esse dicunt, nec sunt, verùm synagoga Satanæ*, intelligo *Nicolaïtarum*, qui falsò Christianos se dicebant, idololatriam (*b*). *Apocal. ex Dan. Illustr.*

De his etiam tertiâ Epistolâ *Christus* conqueritur ut hominibus *qui tenerent doctrinam* BALAAMI, *qui olim* BALACUM *docuit offendiculum objicere Israëlitis, ut ex iis, quæ simulacris immolata erant, ederent, & scortarentur* (*c*). Docuit, enim, *Moabitas* ac *Madianitas* BALAAMUS, sollicitare atque invitare mulieribus *Israëlitas* ad scortationem, útque, festis Deorum suorum, secum cibo uterentur (*d*). Jam, ergo, descendere incepit Draco ad terræ marísque incolas. De tertiâ Epistolâ.

Etiam quartâ Epistolâ de *Nicolaïtis Christus* conqueritur, eósque designat nomine *mulieris Jezabel, quæ sese vatem esse prædicat, ut doceat atque decipiat* Christi *servos, ut scortentur, atque idolis immolata vescantur* (*e*). Jam, itaque, mulier in desertum fugere incipiebat. De quartâ.

CONSTANTINI Magni imperium, ex quo LICINIUM subegerat, monarchia erat, eíque subjectus integer orbis *Romanus*. Deinde, hic inter ipsius filios divisus est; verùm denuo in unum redactus à CONSTANTIO, victoriâ, quam de MAGNENTIO reportavit. Ad res Ecclesiæ, quales tribus hisce continuis temporis periodis fuêre, tertia, quarta, & quinta (*f*) è septem Epistolis, quæ, nempe, ad Angelos Ecclesiarum *Pergami*, *Thyatiræ*, & *Sardium* sunt, respicere videntur. Proximus Imperator fuit JULIANUS Apostata. Tertia & quarta, nec non quinta, epistolæ, quam temporis periodum respiciant.

In

[*a*] Apoc. II. 9. 10.

[*c*] Quia, nempe, hos eodem censet cum *Encratitis*, de quibus supra, l. c. c. 13. Aft *Nicolaïtarum* hæresin, ἐπὶ σμικρότατον συζῆναι χρόνον, *per brevissimum tempus stetisse*: & λόγῳ γεμὴν θᾶττον εἰς τὸ παντελὲς ἀπεσβηκυῖαν, *dicto quidem citiùs exstinctam prorsus*, docet *Eusebius*; Nec abstinentiam à voluptatibus egisse, ut *Encratitas*, de quibus Libr. IV. c. 29; verùm, præter *Nicolai* mentem, voluptatibus indulsisse testatur.

[*d*] Numer. XXV. 1. 2. 18. XXXI. 16.

[*e*] Apoc. II. 20.

[*f*] Apoc. III. 1. &c.

Digitized by Google

CAP. III.

De Epistolâ sextâ.

In sextâ Epistolâ, quæ est ad Angelum Ecclesiæ *Philadelphensis*, ita *Christus* loquitur (*a*): *Quoniam*, imperante idololatrâ JULIANO, *meæ patientiæ sermonem conservâsti, ego quoque te à tentationis horâ conservabo, quæ*, fugâ mulieris in desertum, & bello à Dracone reliquiis seminis illius illato, & occisione omnium, qui Bestiæ imaginem adorare recusant, *eventura est omni terrarum orbi, ut tententur orbis incolæ*, & fiat inter ipsos distinctio, hisce nomine Dei in frontibus signatis, illis notâ Bestiæ. *Qui vicerit, eum ego columnam faciam in Templo Dei mei, nec deinceps* inde *exibit: eique*, ipsius fronti, *nomen Dei mei inscribam.* Ita, ergo, Christianorum *Philadelphensium* quotquot vicerint, nomine Dei obsignantur, collocantúrque in secundo Templo, nec egrediuntur ampliùs. Idem de *Smyrnensi* Ecclesiâ intelligendum, quæ & ipsa patientiæ Dei sermonem conservavit, & fuit inculpata. Hæ duæ, ergo, Ecclesiæ, cum suis posteris, sunt duæ illæ columnæ, duo illa candelabra, duo illi Testes in secundo Templo.

De septimâ.

Post JULIANUM, ejúsque successorem JOVIANUM, qui menses tantùm quinque Imperium tenuit, iterum hoc, VALENTINIANUM inter & VALENTEM, divisum est. Ejus temporis respectu Ecclesia Catholica, in epistolâ ad *Laodicenæ* Ecclesiæ Angelum, quasi *tepida* reprehenditur (*b*), ipsíque comminatur *Christus, se ipsam ex ore suo evomiturum.* Jactabat illa, *se divitem, boníque ditatam esse, nec ullius indigere rei*, prosperâ, nempe, fortunâ degens, quod ad statum externum, *neque sciebat se esse*, quod ad internam conditionem, *errumnosam, & miseram, & pauperem, & cæcam, & nudam.* Ea, itaque, *ex ore* Christi *evomitur*, ad apertionem septimi sigilli, atque hoc, primi Templi temporibus finis imponitur.

Res de quibus ad apertionem sexti sigilli, morte *Valentis* Imp. finiuntur, vel initio *Theodosii.*

Dimidia, circiter, pars Imperii *Romani*, Christianam Religionem amplexa est, dum CONSTANTINUS M., ejúsque filii imperarent. Pòst quàm, verò, JULIANUS Idolorum Templa aperuisset, eorúmque instaurâsset cultum, VALENTINIANUS ac VALENS, quamdiu Imperii habenas tenuêre, eumdem tolerârunt; adeóque sigilli sexti vaticinium non omnino complementum sortitum est, ante GRATIANI, ipsorum successoris, tempora. Mos erat Sacerdotibus Gentium,

(*a*) Apoc. III. 10-12. (*b*) Apoc. III. 16, 17.

Digitized by Google

tium, initio Imperii uniuſcujuſque ſupremi Principis, ipſi dignitatem ac veſtimenta Pontificis Maximi offerre. Hanc omnes, hactenus, receperant Imperatores, GRATIANUS, verò, repudiavit, Idola dejecit, ſacrificia fieri interdixit, eorúmque reditus, nec non Sacerdotum annua & auctoritatem, ſuſtulit. THEODOSIUS M. hoc exemplum ſequutus eſt; nec umquam poſtea vires recuperavit vetus Religio, verùm tam citò decrevit ſectatorum ejus numerus, ut PRUDENTIO, decem, circiter, annis poſt mortem THEODOSII, *vix pauca ingenia* (*a*), & *pars hominum rariſſima* (*b*), ſint dicti. Itaque res, de quibus ad apertionem ſexti ſigilli agitur, finiuntur morte VALENTIS, vel potiùs initio imperii THEODOSII M., cùm hic, deceſſoris GRATIANI exemplum ſequutus, dignitatem Pontificis Maximi repudiavit. *Romani*, quippe, VALENTINIANO & VALENTE imperantibus, multùm Barbararum Gentium incurſionibus infeſtabantur: *Hoc tempore*, inquit AMMIANUS (*c*), *velut per univerſum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excita gentes ſæviſſimæ, limites, ſibi proximos, perſultabant: Gallias Rhatiaſque ſimul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones, & Scoti, & Atacotti, Britannos ærumnis vexavêre continuis: Auſtoriani, Mauricaque aliæ Gentes Africam, ſolito acriùs, incurſabant: Thracias diripiebant prædatorii globi Gothorum: Perſarum Rex manus Armeniis injectabat.* Dúmque his hoſtibus pellendis intenti eſſent Imperatores, *Hunni*, *Alani*, & *Gothi*, duobus exercitibus, Danubium trajecerunt, VALENTEM prælio ſuperârunt, atque interfecerunt, tantámque exercitûs *Romani* fecêre ſtragem, ut dicat AMMIANUS (*d*): *Nec ulla annalibus, præter Cannenſem, ita ad internecionem res legitur geſta.* Hiſce bellis non ante Imperii *Theodoſiani* initia, A. C. 379, & 380, undequaque finis factus eſt: inde, autem, ad hujus Principis mortem, quæ A. C. 395 contigit, Imperium pacatum manſit (*e*). Tamdiu quatuor venti retenti ſunt: tamdiu ſilentium fuit in cœlo: ac ſeptimum ſigillum apertum eſt, ubi hoc ſilentium incepit.

Apocal. ex Daniel. illuſtr.

(*a*) Contra Symm. Lib. I. ℣. 575, 576.
(*b*) Ibid. 592.
(*c*) Libro XXVI.
(*d*) Libro XXXI.
(*e*) Vide, ad hæc, Noſtrum, Part. I. Cap. V.

Digitized by Google

CAP. III.

Jo. Medus laudatus.

Sex priorum buccinarum vaticinium non multùm præter ſcopum interpretatus eſt Jo. *Medus*: ſin autem animadvertiſſet, vaticinium de effuſione phialarum iræ ad idem tempus reſpicere (*a*), ac illud de buccinarum cantu, plenior adhuc fuiſſet ipſius expoſitio.

Triplici *væ* ſignificantur bella, atque hæc eo nomine à bellis, priorum buccinarum clangore annunciatis, diſtinguuntur, quæ 4. *ventorum* nomine veniunt.

Bellis, quæ trium poſteriorum buccinarum clangore annunciantur, ſingulis imponitur nomen *væ*, quò ab iis, ad quæ priorum quatuor inflatio reſpicit, diſtinguantur. Sacrificia quatuor prioribus, feſti Tabernaculorum, diebus immolata, ad quæ convocatur populus quatuor priorum buccinarum clangore, in quibus etiam priores quatuor phialæ iræ effunduntur, ſtrages, in quatuor ingentibus bellis, ſignificant; atque hæc bella quatuor ventis, è quatuor angulis terrarum, repræſentantur (*b*). Primus ex his erat Eurus, alter Zephyrus, tertius Auſter, quartus Boreas, reſpectu urbis *Romæ*, quæ veteris Imperii *Romani* fuerat caput. Incubuêre hæ quatuor calamitates *tertiæ parti Terræ, Maris, fluviorum, Solis, Lunæ atque aſtrorum* (*c*); id eſt, Terræ, mari, fluviis, Soli, Lunæ, aſtríſque, tertiæ partis, integræ, horum DANIELIS ac JOANNIS, vaticiniorum, ſcenæ.

Bella primo vento, Euro, ſignificata.

Calamitas Euri, ad primæ buccinæ clangorem, incubitura erat *Terræ* (*d*), id eſt, Gentibus Imperii *Græci*. Ita, mortuo THEODOSIO Magno, *Gothi, Sarmatæ, Hunni, Iſauri*, atque *Auſtoriani Mauri* invaſerunt, miſeréque devaſtárunt *Græciam, Thraciam, minorem Aſiam, Armeniam, Syriam, Ægyptum, Lybiam*, & *Illyricum*, ídque decem vel duodecim continuos annos.

Alia, ſecundo vento repræſentata, ſcil. Zephyro.

Calamitas Zephyri, ad clangorem buccinæ ſecundæ, incubitura erat *Mari*, ſive Imperio Occidentis; *immiſſo*, nempe, *illi ingenti monte, qui igne flagraret, illúdque in ſanguinem converteret.* (*e*). Atque ita, anno 407, invadere illud Imperium cœpêre *Viſigothi, Vandali, Alani, Suevi, Burgundiones, Oſtrogothi, Heruli, Quadi, Gepides*; & his bellis factum, ut in decem Regna diffringeretur, & miſerè vaſtaretur: & ipſa *Roma*, mons ille ardens, obſeſſa eſt, & capta, ab *Oſtrogothis*, initio harum ærumnarum (*f*).

Mons ardens, Roma.

Calami-

(*a*) *In ſynchronal.*
(*b*) Apoc. VII. 1.
(*c*) Ibid. VIII. 7 - 12.
(*d*) Ibid. VIII. 7.
(*e*) *Ibid.* 8.
(*f*) Vide, ad hæc omnia, Part. I. c. V.

Digitized by Google

Calamitate Auſtri ad tertiæ buccinæ clangorem futurum erat ut *ingens Aſtrum, ardens quaſi eſſet lucerna de cœlo caderet, in fluvios & fontes aquarum* in Imperium Occidentis, jam in varia Regna diviſum eóſque in *abſinthium* & *ſanguinem* converteret, ac redderet *amaros* (*a*). Ita ergo GENSERICUS, *Vandalorum Alanorúmque*, in *Hiſpaniâ* Rex, A. C. 427, *Africam* ingreſſus eſt, octoginta millium hominum exercitu; ibi *Mauros* invaſit, *Romaníſque* bellum intulit, tam illíc, quàm in *Europæ* maritimis, per quinquaginta annos continuos, abſque ullâ ferè intermiſſione, captâ, A. C. 431 *Hippone*, &, 439, *Carthagine*, quæ *Africæ* erat caput. Idem. A. C. 455, ingenti claſſe, atque exercitu ter centum millium *Vandalorum Maurorúmque*, *Italiam* invaſit; *Romam*, *Neapolin*, *Capuam*, plurimáſque alias urbes, cepit ac diripuit; divitiis inde, cum flore populi in *Africam* abductis: proximo, denique, anno, A. C. 456, omnem *Africam* ab Imperio *Romano* divulſit, pulſis omnibus prorſus *Romanis*. Dein *Vandali* inſulas Mediterranei Maris invaſerunt, atque occupârunt, *Siciliam Corſicam, Ebuſum, Majorcam, Minorcam* aliáſque, ac RICIMERUS ARTHEMIUM Imperatorem, *Romæ* obſedit, urbem cepit, ſuíſque diripiendam dedit militibus A. C. 472. Circa idem tempus *Viſigothi Romanos Hiſpaniâ* expulêre. Jámque Imperator Occidentis *ingens* illud *Aſtrum, quod de cœlo deciderat, ardens quaſi eſſet lucerna*, amiſſis, gradatim hiſce bellis, omnibus ferè ſuis ditionibus, uno anno ab ODOACRO, *Herulorum* Rege, ipſum adorto, devictus eſt, A. C. 476. poſt hæc *Mauri* à *Vandalis* defecêre A. C. 477, variíſque bellis eorum opes fregêre, atque iis *Mauritaniam* eripuêre. Durârunt hæc bella, donec *Vandali* à BELISARIO ſubigerentur, A. C. 534, iíſque *Africa* propemodum in ſolitudinem redacta eſt, teſte PROCOPIO (*b*), qui plus quàm quinquagies centena hominum millia, in iis cæſa eſſe computat. Cùm primùm *Vandali Africam* invaderent, admodum frequens hominibus ea orbis terrarum pars erat, circiter, ſeptingentis Epiſcopatibus conſtans adeóque pluribus, quàm eſſent in omni *Galliâ*, *Hiſpaniâ*, atque *Italiâ* ſimul: bellis, autem *Vandalos* inter *Romanóſque*, & *Mauros*, eò uſque vaſtata

Apocal. ex Dan. Illuſtr.

Alia bella tertio vento, Auſtro, denotata.

Quantopere his devaſtata ſit Africa.

(*a*) *V.* 10. 11. non autem additur, *in ſanguinem.*

(*b*) Hiſt. Arcanâ. In Hiſtoriâ *Gothorum* &c. à *Cruſio* edita, p. 525.

Digitized by Google

CAP. III. est, ut dicat PROCOPIUS miraculo fuisse proximum, si quis, iter faciens, hominem conspiceret (a).

De tertiæ phialæ effusione huc pertinentia.

Dum tertia phiala effunditur, audiuntur hæc verba: *Justus es, Domine, ——— quia ita judicâsti; fuderunt, quippe, sanguinem Sanctorum tuorum, Profetarúmque, & tu sanguinem ipsis potandum dedisti, digni enim sunt* (b). Quomodo Sanctorum sanguinem fuderint, ex sequenti edicto HONORII intelligere est, quod ut fieret, curárunt quatuor Episcopi, ad Imperatorem, ab *Africanorum* Episcoporum Concilio, quod *Carthagine* convenit 14 Junii A. C. 410, missi.

Impp. HONOR. *&* THEOD. *A. A.* HERACLIANO, *Com. Africano.*

Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hæreticæ superstitionis obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici, plectendos se pœnâ, & proscriptionis & sanguinis, si ultra convenire per publicum, execrandâ sceleris sui temeritate temptaverint. Datum 8. *Kalend. Sept.* VARANO *V. C. Cons. A. C.* 410. Quod edictum, quinque annis pòst, sequenti communitum est.

Impp. HONOR. *&* THEODOS. *A. A.* HERACLIANO, *Comiti Africano.*

Sciant cuncti, qui ad ritus suos hæresis (c) *superstitionibus obrepserant, sacrosanctæ legis inimici, plectendos se pœnâ, & proscriptionis & sanguinis, si ultra convenire per publicum exercendi sceleris sui temeritate temptaverint: nequâ vera divináque reverentia contagione temeretur. Dat.* 8. *Kal. Septemb.* HONORIO *X. &* THEOD. *VI. A. A. Coss. A. C.* 415.

Hæc edita, cùm ad Africæ Præsidem sint missa, ad solos *Afros* pertinebant. Jam ante hæc multa, eáque severa, fuerant in *Donatistas*, non autem extensa ad pœnam sanguinis usque. Hisce duobus primùm in horum, omniúmque à receptis opinionibus dissentien-

(a) Loco citato. (b) Apoc. XXVI. 5, 6.
(c) Melius videtur legi, *hæreticis*.

Digitized by Google

sentientium, conventus, capitis supplicium statutum est: *hæreticorum*, quippe, nomine, in his edictis, omnes, qui dissentirent, denotantur (*a*), ut ex sequenti, adversùs EURESIUM, Episcopum *Luciferana* Sectæ addictum, liquet. *Apocal. ex Dan. Illustr.*

Impp. ARCAD. *&* HONOR. *A. A.* AURELIANO, *Proc. Africæ.*

Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversùs eos sanctionibus debent succumbere, quî, vel levi argumento, à judicio Catholicæ Religionis, & tramite, detecti fuerint deviare: ideóque experientia tua EURESIUM *hæreticum esse cognoscat. Dat. 3. Non. Sept. Constantinop.* OLYRIO *&* PROBINO *Coss. A. C.* 395.

ZENO, *Græcus* Imperator, THEODORIGUM, *Ostrogothorum* Regem, sibi filium adoptavit, creavítque Magistrum Equitum, Patricium, & *Constantinopolitanum* Consulem; deinde ipsi, commendato Senatu populóque *Romano*, Imperium Occidentis dedit, eúmque in *Italiam*, adversùs ODOACRUM, *Herulorum* Regem, misit. Mox THEODORICUS Gentem suam in *Italiam* duxit, ODOACRUM divicit, imperavítque inde *Italiæ*, *Siciliæ*, *Rhatiæ*, *Norico*, *Dalmatiæ*, *Liburniæ*, *Istriæ*, parti *Suevia*, *Pannoniæ* ac *Galliæ*; unde ENNODIUS in Panegyrico ad hunc Regem, dicit, *ad limitem suum Romana Regna remeâsse.* Regnavit THEODORICUS ingenti prudentiâ, moderatione & felicitate; *Romanos* singulari benevolentiâ prosecutus est, suis ipsorum legibus eos rexit, ac formam regiminis, sub Senatu & Consulibus, instauravit, ipso Imperatoris vices obeunte, adpellatione, verò, non adsumtâ. *Ita*, inquit PROCOPIUS (*b*), *sibi parentibus præfuit, ut verè Imperatori conveniens decus nullum ipsi abesset: Justitiæ magnus ei cultus, legúmque diligens custodia: terras à vicinis barbaris servavit intactas,* *Theodorici*, Gothorum Regis, in Occidente imperium, inter calamitates, à quatuor ventis illatas, non reputandum.

(*a*) In citatis, tamen, edictis, antiquæ superstitionis sectatores innui videntur. *Sanctæ*, quippe, *legis inimici*, vocantur, & *scelus execrandum*, quod *publicè* committerent, iis adscribitur. Ita autem de Idololatris loqui solent Veteres: Itaque, in iis edictis de Christianis non agitur.

(*b*) Hist. Gothicæ Libr. I. editionis Grotianæ p. 142. summâ paginâ.

Digitized by Google

CAP. III. *intactas*, *&c.* Quapropter hujus Regis Imperium inter calamitates, à quatuor ventis illatas, non reputo.

Bella, denique, vento quarto, Boreâ, significata.

Calamitate Boreæ, ad quartæ buccinæ clangorem, futurum erat ut *Sol, Luna, & Stellæ*, id eſt, Rex, Regnum, & Principes Imperii Occidentis, *obſcurarentur*, & aliquantum temporis in tenebris manerent. Contigit, autem, ut BELISARIUS ſubactis *Vandalis*, *Italiam* invaderet, A. C. 535, atque *Oſtrogothis* in *Dalmatiâ*, *Liburniâ*, *Venetiâ*, *Longobordiâ*, *Etruriâ*, aliiſque Regionibus ad Septemtrionem *Romæ* ſitis, bellum inferret, quod viginti annos duravit. Hoc bello multæ urbes captæ fuerunt, receptæque. *Mediolano* è *Romanis* recepto, *Oſtrogothi* omnes mares, puberes, impuberes, interfecêre, quorum numerus, ex computatione PROCOPII (*a*), ad tricena millia redibat; fœminas, verò captivas ad ſocios ſuos *Burgundiones*, miſêre. Ipſa, etiam, *Roma*, plùs ſemel capta ac recepta eſt, eóque incolarum numerus imminutus; veteris regiminis forma, quæ ſub Senatu fuerat, ceſſavit, nobiles fortunis omnibus everſi, omníſque Urbis gloria exſtincta eſt. A. C. 552, poſt ſeptemdecim annorum bellum, concidit *Oſtrogothorum* Regnum; attamen horum reliquiæ, cum, exercitu *Germanorum*, in auxilium evocato, tres quatuorve annos ulteriùs bellum continuârunt. Tum inſequutum eſt bellum cum *Herulis*, qui, ANASTASIO teſte, *perimebant cunctam Italiam*. Hoc excepit bellum cum *Longobardis*, omnium Barbarorum ferociſſimis, quod cœpit A. C. 568, ac triginta & octo continuos annos duravit; *factâ tali clade* inquit ANASTASIUS, *qualem à ſeculo nullus meminit*; finitum eſt tandem, SABINIANO *Romano* Pontifice, A. C. 605, pace cum *Longobardis* ſancitâ. Tribus, ante quàm bellum hoc finiretur, annis, GREGORIUS M., tum temporis *Romanus* Epiſcopus, ita de eo loquutus eſt: *Qualiter, enim, & quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incurſionibus, ecce, jam per triginta quinque annorum longitudinem, premimur, nullis explere vocibus ſuggeſtionis valemus*: Idem, aliquâ ex Orationibus ſuis ad populum, ingentem *Romanorum*, per hæc bella, immiriutionem his verbis deſcribit: *Ex illâ plebe innumerabili, quanti remanſeritis, adſpicitis, & tamen, adhuc quotidie, flagella urgent, repentini*

(*a*) Hiſt. Gothicæ Libr. II. pag. editionis ſæpiùs citatæ, 278.

Digitized by Google

repentini casus opprimunt, nova res, & improvisa clades, affligunt. Alià Oratione hoc modo depingit populationes: *Destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in urbibus habitator remansit: Et, tamen, ipsæ parvæ generis humani reliquiæ, adhuc quotidie & sine cessatione, feriuntur, & finem non habent flagella cœlestis Justitiæ. Ipsa, autem, quæ aliquando mundi Domina esse videbatur, qualis remansit Roma conspicimus; innumeris doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentiâ ruinarum. —— Ecce, jam de illâ omnes hujus sæculi potentes ablati sunt. —— Ecce populi defecerunt. —— Ubi enim Senatus? Ubi jam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes. Omnis, enim, sæcularium dignitatum ordo exstinctus est, & tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. —— Vacua jam ardet Roma. Quid, autem, ista de hominibus dicimus? Cum ruinis crebrescentibus ipsa quoque destrui ædificia videmus. Postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Jam, ecce desolata? ecce, contrita? ecce, gemitibus oppressa est? &c.* Hæc omnia GREGORIUS, coram incolis *Romæ*, testibus veritatis eorum, loquutus est. Ita calamitatibus quatuor ventorum concussum est *Græcum*, concidit, verò, *Latinum* Imperium; nec quidquam remansit *Romæ*, præter caput parvi Ducatûs, *Ravennæ*, quæ sedes erat Exarchorum, subjectum. *Apocal. ex Dan. Illustr.*

Quinta buccina (*a*) ad ea bella clanxit, quæ *Rex Austri*, ut DANIELI appellatur, fecit *in tempore finis, præliando adversus Regem qui, quod sibi liberet, faciebat* (*b*). Incepit hæc calamitas, *apertione putei abyssi*, quâ emissio falsæ Religionis denotatur; *fumo, quem puteus ille exhalavit* (*c*) significante multitudinem, quæ illam Religionem amplexa est; *locustis*, verò, *quæ ex illo fumo prodierunt*, exercitus ex eâ multitudine coactos. Apertus est iste puteus, ut inde fumus & locustæ, in quatuor Monarchiarum Regiones, vel quasdam ex iis, emitterentur. *Harum locustarum Rex* erat *Angelus abyssi*, *Bella, quintæ buccinæ clangore, prænuntiata.* *Apertione putei abyssi, ejus fumo, locustis & Angelo abyssi, quænam significentur.*

(*a*) Apoc. IX. 1.
(*b*) Dan. XI. 40.
(*c*) Apoc. IX. 2. &c.

Digitized by Google

CAP. III. *abyſſi*, ſupremus Præſes, æquè, in rebus, quæ ad Religionem, ac iis quæ ad regimen civile pertinebant, qualis fuit *Califha Saracenorum*. Sæpe, in *Arabiâ felici*, locuſtarum examina oriuntur, atque inde proximas Gentes infeſtant: idonea, ergo, maximè illæ ſunt imago, ingentium exercituum *Arabum*, *Romanos* invadentium. Cœperunt hos illi invadere A. C. 634, ac regnare *Damaſci*, A. C. 637. Condiderunt urbem *Bagdad* A. C. 766, imperârúntque *Perſidi*, *Syriæ*, *Arabiæ*, *Ægypto*, *Africæ*, atque *Hiſpaniæ*. Poſtea, *Africæ* Imperio exuti ſunt à *Mahade*, A. C. 910; *Mediæ*, *Hircaniæ*, *Choraſanæ*, omníſque *Perſidis*, à *Dailamitis*, annis à 927 ad 935; *Meſopotamiæ* ac *Miafarekinis*, à NASIRUDDAULA, A. C. 930; *Syriæ* atque *Ægypti*, ab ACHSJIDO, A. C. 935. Jámque admodùm in anguſtias redactus *Califha Bagdadi*, A. C. 936, quidquid ſibi reiminis politici erat reliquum, MAHOMEDI, qui RAJICI erat filius, *Vaſiti* (*a*), in *Chaldæâ* Regis, tradidit, eúmque Imperatorum Imperatorem creavit. MAHOMEDES, autem, intra biennium, à Turcis urbe *Bagdad* pulſus eſt; quam inde, aliquando *Turcæ*, aliquando *Saraceni* tenuêre, donec TOGRUL-BEIG, qui & TOGRA, DOGRISSA, TANGROLIPIX & SADOC adpellatur, *Choraſanam* & *Perſidem* ſubigeret; atque anno C. 1055, memoratam urbem Imperio ſuo adjiceret, Imperiíque ſedem ſtatueret. Hujus ſucceſſores, OLUB-ARSLAN & MELECHSCHAH Regiones ad Euphratem ſubegerunt; eæque provinciæ, poſt mortem MELECHSCHÆ, in Regna *Armeniæ*, *Meſopotamiæ*, *Syriæ*, & *Cappadociæ* abierunt. Integrum tempus, ergo, quo *Califhæ Saracenorum* politico Imperio regnârunt, tam *Damaſci*, quàm *Bagdadi*, ad trecentos redit annos, ſcilicet, ab A. C. 637 ad 936, utroque in computatione incluſo. Jam, verò, locuſtæ, quinque tantùm menſes vivunt, adeóque, ut in allegoriâ decori ratio habeatur, hæ locuſtæ dicuntur *hominibus nocere per quinque menſes* (*b*), *& quinque menſes* (*c*), quaſi circiter quinque menſes vixiſſent *Damaſci*, ac denuo quinque *Bagdadi*; in integrum decem menſes, ſive trecentos dies, quorum ſinguli, ſtylo profetico, ſunt anni.

Sexta

(*a*) *Waſit.*
(*b*) Apoc. IX. 5.
(*c*) *v.* 10.

Digitized by Google

Sexta buccina ad ea bella insonuit, quæ Rex, *Aquilonis* apud DANIELEM dictus, sæpiùs memorato Regi, *qui ex suâ voluntate agebat*, intulit. His bellis Aquilonis Rex, juxta DANIELEM, *Græcorum* Imperium subegit, nec non *Judæam*, *Ægyptum*, *Libyam* & *Æthiopiam* (*a*): Atque hisce Regionibus, bello partis, *Turcarum* Imperium continetur, ut ex ejus finibus patet. Cœperunt hæc bella A. C. 1258, cùm quatuor *Turcarum* Regna, ad Euphratem sita, (nempe *Armeniæ majoris*, cujus caput erat urbs *Miyapharekin*, *Megarkin*, seu *Martyropolis*; *Mesopotamiæ*, cujus caput *Mosul*; omnis *Syriæ*, cujus caput *Aleppo*; & *Cappadociæ*, cujus caput erat *Iconium*,) *Tartari*, HULACU Duce, invaderent, atque indè, in Occidentales *Asiæ minoris* partes, *Turcæ* pellerentur, ubi *Græcis* hi bellum intulerunt, Imperiúmque *Turcicum*, quod hodie viget, condere cœperunt. Ad sextæ buccinæ clangorem, *audivit* JOANNES *ex quatuor altaris aurei cornibus, ante Deum positi, vocem, dicentem Angelo sexto, qui tubam habebat: Solve quatuor Angelos ad magnum flumen Euphratem colligatos. Itaque soluti sunt quatuor Angeli, qui in horam, & diem, & mensem, & annum, parati erant, ad hominum tertiam partem necandam* (*b*). Quatuor altari aurei cornibus denotatur situs urbium, quæ quatuor memoratorum Regnorum erant capita, *Miyapharekin*, *Mosul*, *Aleppo*, & *Iconium*, quorum inter se situs, quadrati figuram describebat. Interfecerunt hæc Regna tertiam hominum partem, cùm *Græcorum* Imperium debellârunt, ac *Constantinopoli* potita sunt, A. C. 1453; eíque rei gerundæ parata esse cœperunt, A. C. 1063, cùm OLUB-ARSLAN Gentes ad Euphratem domare inciperet. Intervallum temporis adpellatur *hora*, *& dies*, *& mensis*, *& annus*, sive 391 dies, quorum singuli, stylo profetico, sunt anni. Prioribus triginta annis, OLUB-ARSLAN & MELECHSCHAH Gentes ad Euphratem debellarunt, atque omne illúd, de quo diximus, Imperium tenuerunt. MELECHSCHAH A. C. 1092 mortuus est, eíque succesfit puerulus; quo facto, Imperium hoc in quatuor memorata Regna fuit divisum.

Apoc. ex Dan. illustr.

Bella, quibus sextæ buccinæ sonus inserviit.

(*a*) Vide Dan. XI. 40, 43. & Nostrum Part. I. Cap. XII. ad finem.
(*b*) Apoc. XI. 13. &c.

Digitized by Google

MONITUM.

Cùm poſtremæ harum Obſervationum paginæ, aliter ab Auctore, in alio operis ſui apographo, conſcriptæ fuerint; hìc exhibemus quæ in illo apographo, ſequuntur poſt ea, quæ pag. 453 *lineâ* 22 *occurrunt.*

Agno, ſeptem ſigilla aperiente, ad Pontificem Maximum Judæorum, Legem ſtudentem, reſpicitur.

Nec quiſquam dignus inveniebatur qui librum aperiret, donec Agnus Dei conſpiceretur; Sacerdos Maximus, agno repræſentatus, ad altaris baſin mactato, in ſacrificium matutinum. *Et acceſſit ille, & librum accepit è manu ejus, qui throno inſidebat.* Summus, quippe, *Judæorum* Pontifex, in menſis ſeptimi feſto ſanctiſſimum adytum ingreſſus, librum Legis è dextro Arcæ latere tollebat, populo prælecturus: quod ut ritè faceret, ſeptem dies illi libro ſtudendo impendebat, nempe quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, ac decimum ejus feſti, aderántque ipſi quidam è Sacerdotibus, qui hoc agentem audirent. Ad ſeptem hoſce dies reſpicitur, eo quòd Agnus ſeptem ſigilla, unum poſt alterum, aperuiſſe deſcribitur.

Solennis Expiationis ritus.

Decimo ejuſdem menſis die (*a*), tener adhuc juvencus, in ſacrificium, pro delictis Pontificis Maximi, immolabatur, caper, verò, eumdem in finem, pro populo: nec non ſortitio fiebat inter duos hircos, quâ determinaretur, quinam ex iis Deo cederet in ſacrificium pro peccatis populi; alter, autem, vocabatur *Azazel*, id eſt, Hircus qui evaſit. Præterea, Pontifex Maximus, lineis veſtimentis indutus, thuribulum, ardentibus carbonibus ex altari repletum, ſumebat, manu ſuffimentis contuſis plenâ; ſanctiſſimúmque locum, qui poſt velum erat, ingreſſus, ſuffimenta igni imponebat, ac juvenci ſanguinem, digito, in operculum Arcæ propitiatorium, atque ante illud, ſepties ſpargebat: Deinde, hircum, qui Deo, ſorte, in ſacrificium, pro populi delictis, ceſſerat, mactabat; ejus ſanguinem ferebat intra velum; eumdémque, etiam ſepties, digito,

(*a*) Levit. XVI. 1. &c. & 29. vid. & Levit. IV.

Digitized by Google

gito, in, atque ante, illud operculum ſpargebat. Tum ad altare egrediebatur, quod & ipſum, ſepties, juvenci ſanguine, totidémque vicibus ſanguine hirci adſpergebat. *Poſt hæc ambas manus viventis hirci capiti imponebat, omnéſque ſuper eo Iſraëlitarum culpas, omnéſque peccatorum noxas, confitebatur, in hirci caput eas congerens, quem, per hominem paratum, in deſertum dimittebat: portabátque hircus ille, atque auferebat in terram non habitatam, omnes ipſorum noxas* (*a*). Hæc dum à Summo Sacerdote, in loco ſanctiſſimo atque ad altare, agerentur, ceſſabat quietus, ac ſilentio preces Deo offerebat populus. Tum Pontifex, locum ſacrum ingreſſus, lineis ibi veſtimentis depoſitis, alia induebat; quo facto, iterum egreſſus juvencum caprúmque, in ſacrificium piaculare deſignatos, igne, in thuribulo ex altari deſumto, comburendos, extra caſtra mittebat: denique populus, dum è Templo domum revertebantur, ſibi dicebant mutuò *Deus te in annum fauſtum obſignet!*

Horum omnium habitâ ratione, *Cùm ſeptimum ſigillum* Agnus *aperuiſſet, ſilentium fuit in cœlo per ſpatium ſemihoræ. Et conſtitit ad altare Angelus, manu tenens aureum thuribulum, & multum ipſi odorum datum eſt, quos, cum omnium Sanctorum precibus, in aureo altari, ante thronum poſito, offerret. Adſcenditque fumus ſuffimentorum, cum Sanctorum precibus ex manu Angeli in conſpectum Dei. Deinde ſumſit Angelus thuribulum, quod igne, ex altari, replevit, ínque terram dejecit*, puta, extra caſtra, ad offerendum, in holocauſtum, caprum illum, qui, ſorte, Deo obtigerat. Cùm, enim Summus Sacerdos ipſe *Chriſtus* fuerit, juvencus omittitur (*b*). Ad hoc ſacrificium *fiebant tonitrua & voces*, hymnorum, qui in Templo canebantur, *& fulgura*, ignis ſacri, *& terræ motus*. Et hiſce rebus tempore reſpondet (*c*) *obſignatio centenorum & quadraginta quatuor millium, ex omnibus Tribubus Iſraëlitarum, ſigillo Dei ipſorum frontibus impreſſo*, dum reliqui ex iſtis notam Beſtiæ reciperent, ac mulier è Templo in deſertum fugeret, in ſuum locum, qui eſt ſuper illam Beſtiam. Hæc, enim, obſignatio, ac notæ impreſſio, ſortium, inter duos hircos, miſſione repræſentabatur,

Qui omnes reſpiciuntur Apoc. VIII. 1. 3. 5. ſilentio in cœlo, &c.

His rebus, etiam tempore, reſpondet obſignatio ſervorum Dei, & notatio cultorum Beſtiæ.

(*a*) Levit. XVI. 21.
(*b*) Vide Levit. XVI. 6. Hebr. VII. 27. 28. (*c*) *Is ſynchronal*

Digitized by Google

ac immolatione ejus, qui Deo obtigerat, in monte Sione, dimissione, verò, hirci *Azazelis* in desertum, populi peccatis onusti.

Festi Tabernaculorum ritus quidam, buccinarum clangore, & palmiferâ multitudine, &c. spectantur.

Ejusdem mensis decimo quinto, ac sex insequentibus diebus maxima sacrificia fiebant. Et ratione habitâ clangoris buccinarum, cantúsque hymnorum, quasi tonantibus vocibus, atque effusione libaminum, in hisce sacrificiis, *septem buccinæ inflantur, septémque tonitrua suas voces edunt*, ac *septem phialæ iræ effunduntur*. Hic, itaque, *septem buccinarum* clangor, *septem tonitruum* voces, *septem phialarum iræ* effusio, sibi mutuò respondent (*a*); atque eamdem temporis, quod, aperto septimo sigillo, post *silentium in cœlo*, sequitur, in septem, sibi mutuò, continuâ serie succedentes partes, divisionem respicit Septem hujus festi dies, *Festum Tabernaculorum* nuncupabantur; pérque eos dies *Israëlitæ* in tentoriis degebant, manibus palmas gerentes. Huc spectat *palmigera multitudo*, post centenorum & quadraginta quatuor millium obsignationem conspecta, quæ *ex magnâ illâ calamitate* emerserat, triumphans ad prælium magni illius diei, quod septimæ buccinæ clangore annuntiatur. Visa, ergo, queis conspecta centena & quadraginta quatuor millia ac palmigera multitudo, ad septimæ buccinæ inflationem pertinent, adeòque & respondent temporibus septimi sigilli.

Buccinæ, voces tonitruum, & phialæ iræ, tempore sibi mutuò respondent.

De dimensione Templi novi, Joanni jussâ, &c.

Obsignatis illis *centum & quadraginta quatuor millibus ex omnibus Tribubus Israëlitarum*, reliquísque recipientibus notam Bestiæ, eóque diruto priori Templo, jubetur JOANNES *Templum atque altare metiri*, hoc est ipsorum atria, *& adorantes illic* (*b*), nempe illos 144000, stantes in Sione monte, ac super mare vitreum: *Atrium, verò, quod extra Templum est*, scilicet atrium populi, *foris excludere, neque illud metiri, quoniam id Gentibus concessum est*, iis, qui notam Bestiæ recipiunt; eæque *sanctam civitatem proculcabunt quadraginta & duos menses*, quodcumque, scilicet, temporis Bestia, sub muliere *Babylone*, partes suas agit (*c*). Insuper *duo Testes vaticinantur dies mille ducentos & sexaginta*, hoc est, per idem illud tempus omne, *cilicio amicti*. *His potestas est*, qualis ELIÆ fuit, *claudendi cœlum, ne pluat*, ad primæ buccinæ clangorem

De duobus Testibus, &c

(*a*) *Are synchronal.*
(*b*) Apoc. XI. 1. &c.
(*c*) Apoc. XVII.

Digitized by Google

gorem, atque, instar MOSIS, *aquas convertendi in sanguinem*, ad clangorem secundæ; *terrámque omnibus calamitatibus*, iis, nempe, quas buccinæ annuntiant, *feriendi, quotiescumque libuerit.* Vaticinantur hi, dum Templum secundum ædificatur, ut quondam HAGGÆUS & ZACHARIAS. Hi sunt *duæ Oleæ*, sive Ecclesiæ quæ *lucernis oleum suppeditabant* (*a*). Hi sunt *duo candelabra*, sive Ecclesiæ, *quæ coram Deo orbis terrarum consistunt.* Quinque è septem Ecclesiis *Asiaticis*, illæ scilicet, quæ prosperâ fortunâ utebantur, vitiosæ repertæ sunt, eásque exhortatur *Christus*, ut mores in melius mutent, comminátur que, *ni faciant, se ipsas de locis suis dimoturum, ex ore suo evomiturum, aut oris sui verba puniturum* (*b*); Duæ reliquæ, *Smyrnensis* ac *Philadelphensis*, quæ sub persequutione degebant, sub eâdem manent, secundum Templum illuminaturæ. Pòst quàm primæva Ecclesia Catholica, *muliere in cœlo* repræsentata, à Deo defecisset, ínque duas corruptas Ecclesias, quæ *Meretrice Babylonicâ*, & *bestiâ bicorni* denotantur, divisa esset, centies quadragies & quater mille illi, ex omnibus *Israëlitarum* Tribubus, obsignati, facti sunt *duo Testes*, oppositi, nempe, duabus falsis Ecclesiis: atque hoc *Testium* nomen, semel ita impositum veræ Ecclesiæ Dei, remanet omnibus temporibus ac locis, ad finem usque vaticinii.

De septem Ecclesiis Asiaticis, earumdémque variâ conditione & fatis.

In hujus vaticinii expositione, *mulier in cœlo, Sole amicta* (*c*), antè quàm in desertum fugiat, primævam repræsentat Ecclesiam Catholicam, *septem lucernis*, quæ *septem* aureis *candelabris* insunt, quæque *septem Ecclesiæ* sunt *Asiaticæ*, illuminatam. Draco, idem Imperium, quod apud DANIELEM Hircus, tempore, quo postremum ejus cornu regnavit, significat, integrum, nempe, Imperium *Romanum*, donec, in *Græcum Latinúm*que Imperia, divisum esset; quamdiu, autem, illud discrimen stetit, solummodo *Græcum*, eo intelligitur: Bestia, verò, eadem est, quæ Bestia apud DANIELEM quarta; Imperium nempe *Latinorum*. Antè quàm *Romanum* Imperium in *Græcum* ac *Latinum* divisum esset, Draconis corpore Bestia continetur, ex quo autem ea divisio contigit,

De Muliere Sole amictâ, Dracone, &c.

De utrâque Bestiâ, Apoc. XIII.

(*a*) Zachar. IV. 3.
(*b*) Apoc. II. 5. 16. III. 16.
(*c*) Apoc. XII. 1. &c.

Digitized by Google

ſolùm illa eſt Imperium *Latinum*. Hinc Draconi & Beſtiæ eadem ſunt capita, eadémque cornua; Draconi, autèm, in capitibus, Beſtiæ in cornibus coronæ. Cornua ſunt decem Regna, in quæ Beſtia diviſa eſt, quamprimùm à Dracone ſeparata fuerat, ut ſupra oſtendimus (*a*). Capita ſunt ſeptem, altera alteri continuâ ſerie ſuccedentes Dynaſtiæ, ſive partes, in quas *Romanum* Imperium, ad ſeptem ſigillorum apertionem, dividitur. Priùs quàm mulier in deſertum fugeret, *gravida* Imperio Chriſtiano, *clamabat parturiens*, in decennali perſecutione, quâ DIOCLETIANUS ipſam vexavit, *& cruciabatur ut pareret: ſtetítque ante eam Draco*, idololatricum *Romanorum* Imperium, *ut, quamprimùm illa filium perperiſſet, ipſe, illum devoraret. Et peperit prolem maſculam, qui* tandem *omnes Gentes ferreo ſceptro erat recturus: qui, ejus filius, raptus eſt ad Deum, ejúſque ſolium*, in Templo, victoriâ, quam CONSTANTINUS M. de MAXENTIO reportavit: *Fugítque mulier*, è Templo, *in deſertum* Arabiæ, Babylonem, *ubi locum habebat*, divitiarum, honoris, ac dominii ſuper tergum Beſtiæ, *paratum à Deo, ut illic alatur dies mille ducentos & ſexaginta. Et bellum fuit in cælo*, Idololatras inter, queis Dux MAXIMINUS, ac novum Imperium Chriſtianum; *dejectúſque eſt Draco ille magnus, qui totum orbem decipit*, Idololatriæ veteris genius, dejectus eſt, inquam, ille, è throno, *in terram. Eum, illi, Agni ſanguine, ſuíque teſtimonii ſermone, vicerunt, nec vitas ſuas, ad mortem uſque, dilexerunt.*

Paraphraſtica capitis XII. expoſitio.

Cùm, verò, in terram ſe dejectum Draco animadverteret, mulierem perſecutus eſt, quæ marem fuerat enixa, novâ in ipſam perſecutione, ſub LICINIO, excitatâ. *Mulieri, autem*, conditâ, ac *Romæ* æquatâ, *Conſtantinopoli, datæ ſunt duæ alæ ingentis aquilæ, ut in ſolitudinem, in locum ſuum*, qui ſuper Beſtiæ dorſum eſt (*b*), *avolaret, ubi alitur tempus, tempora, & dimidium temporis, extra conſpectum Serpentis. Dein, Serpens*, mortuo CONSTANTINO M., *aquam, fluminis inſtar, ore ſuo emiſit*, Imperium, nempe, Occidentis, ſub CONSTANTINO juniore & CONSTANTE, *poſt mulierem, quò eam flumine trahi faceret; verùm Terra*, gentes

(*a*) Part. I. Capp. V. VI. (*b*) Apoc. XVII. 3.

Digitized by Google

gentes *Asiatica*, jam *Constantinopoli* subjectæ, *mulieri succurrit*, ac, debellato Imperio Occidentis, cui jam præërat MAGNENTIUS, *hausit flumen, quod ore suo ejecerat Draco. Et iratus fuit Draco mulieri, ivítque bellum illatum reliquiis seminis ipsius, observantibus Dei præcepta, habentibúsque testimonium* JESU *Christi, qui*, eo in bello, *ex omnibus Israëlitarum Tribubus obsignati sunt* (*a*), cúmque Agno in monte Sione manserunt, centum & quadraginta quatuor millia numero, queis fronti nomen patris sui erat inscriptum.

Nec non capitis XIII.

Pòst quàm Terra flumen illud hausisset, bellúmque reliquiis seminis mulieris illaturus Draco abiisset, *in arenâ Maris* JOANNES *stetit, vidítque Bestiam è Mari adscendentem, habentem capita septem, ac cornua decem. Similis erat ea Bestia Pardo; pedes, verò, ejus, tamquam pedes Ursi, os, quasi os Leonis* (*b*). Nominat hìc JOANNES, ex ordine, quatuor Bestias, quas DANIEL viderat, eâ, quam ipse hìc describit, Bestiâ, loco quartæ Bestiæ apud DANIELEM positâ, quò pateat easdem esse. *Dedítque huic* Bestiæ, *Draco suam potestatem, & sedem, & auctoritatem* magnam, abdicato Imperio Occidentis, illíque relicto. *Unum, autem, ex ipsius capitibus*, sextum nempe, *quasi mortifero adfectum fuit vulnere*, ense, scilicet, Terræ, hausto ab hac flumine aquarum, quas ex ore suo Draco emiserat; *ast letiferum ipsius vulnus sanatum est*, novâ Imperii, VALENTINIANUM inter & VALENTEM, divisione, A. C. 364. Vidit JOANNES Bestiam illam ex Mari adscendentem, divisione Imperii inter GRATIANUM & THEODOSIUM factâ, A. C. 379. Bestiæ suam potestatem dedit Draco, sedémque, & magnam auctoritatem, moriente THEODOSIO, cùm hic filio suo, HONORIO, Imperium Occidentis dedit. Quo facto, numquam postea in unum duo illa Imperia conjuncta fuêre; Occidentale, autem, protinus in decem Regna divisum est, ut supra à nobis dictum (*c*); atque hæc Regna tandem Religione unita sunt, sub muliere, cúmque eâ regnant *quadraginta & duos menses.*

Item

(*a*) Ibid. VII. 4-8.
(*b*) Cap. XIII. 1. &c.
(*c*) Capp. V. & VI. Partis Primæ.

Digitized by Google

¶. 11. &c. *Item vidi*, pergit JOANNES, *aliam beſtiam è Terrâ adſcendentem.* Cùm, Draconem fugiens, mulier in Regnum Beſtiæ ſe reciperet, ejúſque Eccleſia evaderet, è Terrâ adſcendit altera hæc beſtia, Draconis Eccleſiam repræſentatura. *Fuerunt*, quippe, *huic cornua duo, Agni ſimilia*, cujuſmodi fuêre *Alexandriæ* atque *Antiochiæ* Epiſcopatus: *& loquutus eſt ut Draco*, in rebus, quæ ad Religionem: effecítque ut Terra, ſive Gentes è quibus Draconis Imperium conſtabat, *priorem Beſtiam, cujus mortiferum vulnus ſanatum erat, veneraretur*, id eſt, ejuſdem, cujus ille, eſſent Religionis. *Magna, etiam, oſtenta facit, ita ut & ignem de cœlo ad terram devocet, in hominum conſpectu*; id eſt, iis communione interdicit qui ab eâ, in Religionis negotio, differunt; ea, namque, interdicta denuntiantes, accenſam facem deorſum rotantes mittere ſolebant. Porrò, *juſſit iis qui Terram incolunt, ſimulacrum Beſtiæ facerent, quæ enſe fuerat vulnerata, ac revixit*; id eſt, Concilium cogerent hominum, ejuſdem, cum hac Beſtiâ, Religionis. *Erátque ipſi poteſtas ſpiritu donandi Beſtiæ ſimulacrum, ita ut hoc, & loqueretur, & efficeret ut, quicumque non venerarentur ſimulacrum Beſtiæ, morte plecterentur*, ſcilicet, myſticâ, Eccleſiarum ipſorum diſſolutione. *Atque eò adigebat omnes, parvos juxta ac magnos, divites ac pauperes, liberos ac ſervos, ut notam in dextrâ manu vel fronte reciperent; neve cui emere liceret, aut vendere, niſi qui notam, vel nomen, haberet Beſtiæ, vel nominis ejus numerum*; id eſt notam +, vel nomen ΑΑΤΕΙΝΟΣ, vel numerum hujus χξϛ, 666. Reliquis omnibus communione interdictum.

Ulterior Beſtiæ & mulieris conſpectus.

Pòſt quàm ſeptem Angeli, ſeptem phialas iræ effuderant, omniáque illuc ſpectantia in tempore præſenti deſcripſerat JOANNES, revocatur hic à ſeptimæ phialæ ad ſexti ſigilli tempora, ut mulierem, ejúſque Beſtiam, intueatur, quæ ſeptimi ſigilli temporibus regnaturæ erant. Quod ad extrema temporis ſigilli ſexti, tum ut præſentis conſiderati, Angelus JOANNI dicit: *Beſtia, quam vidiſti, erat, & non eſt, éque abyſſo adſcenſura eſt, & in perniciem, abitura* (*a*). *Erat*, nempe, CONSTANTE ac MAGNENTIO imperantibus, donec CONSTANTIUS MAGNENTIUM vinceret Imperiúm-

Quo ſenſu illa, *fuerit non ſit*, &c.

(*a*) Apoc. XVII. 8. &c.

Digitized by Google

Imperiúmque Occidentis, Orientis Imperio denuo jungeret: *Non eſt*, dum ea conjuncta manent; *adſcendet*, autem, *ex abyſſo*, ſive Mari, ſequenti Imperii diviſione. Porrò dicit Angelus: *Hìc eſt mens, quæ præſtat ſapientiâ: ſeptem capita ſeptem ſunt montes, quibus mulier inſidet*; Roma ſcilicet, ſeptem in collibus fuit condita, atque inde *Urbs ſepticollis* dicta. *Septem quoque*, ita pergit, *Reges ſunt: quinque ceciderunt, unus eſt, alius nondum venit; cúmque venerit, brevi tempore manere eum oportet: Et Beſtia, quæ fuit & non eſt, ea eſt octavus, & è ſeptem eſt, ínque perniciem abit. Quinque ceciderunt*, jam elapſis priorum quinque ſigillorum temporibus; *unus eſt*, tempore ſexti ſigilli, hìc inſtar præſentis conſiderato; *alius nondum venit, quando, autem, venerit*, quod ad ſeptimi ſigilli apertionem continget, *brevi tempore eum oportet manere:* denique, *Beſtia, quæ fuit & non eſt, ipſa octavus eſt*, per Imperii *Romani* in duo, ſimul ſubſiſtentia (*a*), Imperia diviſionem; *& è ſeptem eſt*, quippe ſeptimi pars media, *& in perniciem abitura.* Plerumque hæc verba: *quinque ceciderunt, unus eſt, alius nondum venit*, ab Interpretibus ad Apoſtoli JOANNIS tempora cùm hæc ipſi obtigit *Apocalypſis* referuntur. Animadvertere, autem, oportet de multis rebus hoc in vaticinio, quaſi præſentibus agi, quæ, cùm contigit hæc *Apocalypſis*, nondum præſentes erant, ejuſmodi, autem, erant futuræ, temporis ſequuturi reſpectu, in viſis, JOANNI oblatis, quaſi jam præſens eſſet, conſiderati. Ita, ubi ad ſeptimæ phialæ iræ effuſionem, dicitur *Babylon magna Deo veniſſe in mentem, ut det ei poculum vini atrocis ſuæ iracundiæ* (*b*); non hoc JOANNIS Apoſtoli tempora, ſed ea, quibus ſeptima iræ phiala effundetur, ſpectat. Ita etiam ubi dicitur: *Cecidit, cecidit magna Babylon* (*c*); item, *immitte falcem tuam & mete, nam tibi venit hora metendi* (*d*); nec non, *venit tempus mortuorum, quo judicentur* (*e*); iterúmque, *vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu Dei* (*f*): non reſpiciunt hæc

Quo ſenſu ejus capita intelligenda.

Communis eorum explicatio rejicitur.

Futura, in viſis, quaſi jam præſentia, conſiderari.

(*a*) *Collateral.*
(*b*) Apoc. XVI. 19.
(*c*) Cap. XVIII. 2.
(*d*) Cap. XIV. 15.
(*e*) Cap. XI. 18.
(*f*) Cap. XX. 12.

Digitized by Google

CAP. III. *abyſſi*, ſupremus Præſes, æquè, in rebus, quæ ad Religionem, ac iis quæ ad regimen civile pertinebant, qualis fuit *Califha Saracenorum*. Sæpe, in *Arabiâ felici*, locuſtarum examina oriuntur, atque inde proximas Gentes infeſtant: idonea, ergo, maximè illæ ſunt imago, ingentium exercituum *Arabum*, *Romanos* invadentium. Cœperunt hos illi invadere A. C. 634, ac regnare *Damaſci*, A. C. 637. Condiderunt urbem *Bagdad* A. C. 766, imperârúntque *Perſidi*, *Syriæ*, *Arabiæ*, *Ægypto*, *Africæ*, atque *Hiſpaniæ*. Poſtea, *Africæ* Imperio exuti ſunt à *Mahadæ*, A. C. 910; *Mediæ*, *Hircaniæ*, *Choraſanæ*, omníſque *Perſidis*, à *Dailamitis*, annis à 927 ad 935; *Meſopotamiæ* ac *Miafarekinis*, à NASIRUDDAULA, A. C. 930; *Syriæ* atque *Ægypti*, ab ACHSJIDO, A. C. 935. Jámque admodùm in anguſtias redactus *Califha Bagdadi*, A. C. 936, quidquid ſibi reiminis politici erat reliquum, MAHOMEDI, qui RAJICI erat filius, *Vaſiti* (*a*), in *Chaldæâ* Regis, tradidit, eúmque Imperatorum Imperatorem creavit. MAHOMEDES, autem, intra biennium, à Turcis urbe *Bagdad* pulſus eſt; quam inde, aliquando *Turcæ*, aliquando *Saraceni* tenuêre, donec TOGRUL-BEIG, qui & TOGRA, DOGRISSA, TANGROLIPIX & SADOC adpellatur, *Choraſanam* & *Perſidem* ſubigeret; atque anno C. 1055, memoratam urbem Imperio ſuo adjiceret, Imperiíque ſedem ſtatueret. Hujus ſucceſſores, OLUB-ARSLAN & MELECHSCHAH Regiones ad Euphratem ſubegerunt; eæque provinciæ, poſt mortem MELECHSCHÆ, in Regna *Armeniæ*, *Meſopotamiæ*, *Syriæ*, & *Cappadociæ* abierunt. Integrum tempus, ergo, quo *Califhæ Saracenorum* politico Imperio regnârunt, tam *Damaſci*, quàm *Bagdadi*, ad trecentos redit annos, ſcilicet, ab A. C. 637 ad 936, utroque in computatione incluſo. Jam, verò, locuſtæ, quinque tantùm menſes vivunt, adeóque, ut in allegoriâ decori ratio habeatur, hæ locuſtæ dicuntur *hominibus nocere per quinque menſes* (*b*), *& quinque menſes* (*c*), quaſi circiter quinque menſes vixiſſent *Damaſci*, ac denuo quinque *Bagdadi*; in integrum decem menſes, ſive trecentos dies, quorum ſinguli, ſtylo profetico, ſunt anni.

Sexta

(*a*) *Waſit.*
(*b*) Apoc. IX. 5.
(*c*) *v.* 10.

Digitized by Google

Sexta buccina ad ea bella insonuit, quæ Rex, *Aquilonis* apud DANIELEM dictus, sæpiùs memorato Regi, *qui ex suâ voluntate agebat*, intulit. His bellis Aquilonis Rex, juxta DANIELEM, *Græcorum* Imperium subegit, nec non *Judæam*, *Ægyptum*, *Libyam* & *Æthiopiam* (*a*): Atque hisce Regionibus, bello partis, *Turcarum* Imperium continetur, ut ex ejus finibus patet. Cœperunt hæc bella A. C. 1258, cùm quatuor *Turcarum* Regna, ad Euphratem sita, (nempe *Armeniæ majoris*, cujus caput erat urbs *Miyapharekin*, *Megarkin*, seu *Martyropolis*; *Mesopotamiæ*, cujus caput *Mosul*; omnis *Syriæ*, cujus caput *Aleppo*; & *Cappadociæ*, cujus caput erat *Iconium*,) *Tartari*, HULACU Duce, invaderent, atque indè, in Occidentales *Asiæ minoris* partes, *Turcæ* pellerentur, ubi *Græcis* hi bellum intulerunt, Imperiúmque *Turcicum*, quod hodie viget, condere cœperunt. Ad sextæ buccinæ clangorem, *audivit* JOANNES *ex quatuor altaris aurei cornibus, ante Deum positi, vocem, dicentem Angelo sexto, qui tubam habebat: Solve quatuor Angelos ad magnum flumen Euphratem colligatos. Itaque soluti sunt quatuor Angeli, qui in horam, & diem, & mensem, & annum, parati erant, ad hominum tertiam partem necandam* (*b*). Quatuor altari aurei cornibus denotatur situs urbium, quæ quatuor memoratorum Regnorum erant capita, *Miyapharekin*, *Mosul*, *Aleppo*, & *Iconium*, quorum inter se situs, quadrati figuram describebat. Interfecerunt hæc Regna tertiam hominum partem, cùm *Græcorum* Imperium debellârunt, ac *Constantinopoli* potita sunt, A. C. 1453; eíque rei gerundæ parata esse cœperunt, A. C. 1063, cùm OLUB-ARSLAN Gentes ad Euphratem domare inciperet. Intervallum temporis adpellatur *hora*, *& dies*, *& mensis*, *& annus*, sive 391 dies, quorum singuli, stylo profetico, sunt anni. Prioribus triginta annis, OLUB-ARSLAN & MELECHSCHAH Gentes ad Euphratem debellarunt, atque omne illúd, de quo diximus, Imperium tenuerunt. MELECHSCHAH A. C. 1092 mortuus est, eíque succesfit puerulus; quo facto, Imperium hoc in quatuor memorata Regna fuit divisum.

Apoc. ex Dan. illustr.

Bella, quibus sextæ buccinæ sonus inserviit.

(*a*) Vide Dan. XI. 40, 43. & Nostrum Part. I. Cap. XII. ad finem.
(*b*) Apoc. XI. 13. &c.

Digitized by Google

MONITUM.

Cùm poſtrema harum Obſervationum pagina, aliter ab Auctore, in alio operis ſui apographo, conſcripta fuerint; hìc exhibemus quæ in illo apographo, ſequuntur poſt ea, quæ pag. 453 *lineâ* 22 *occurrunt.*

Agno, ſeptem ſigilla aperiente, ad Pontificem Maximum Judæorum, Legem ſtudentem, reſpicitur.

Nec quiſquam dignus inveniebatur qui librum aperiret, donec Agnus Dei conſpiceretur; Sacerdos Maximus, agno repræſentatus, ad altaris baſin mactato, in ſacrificium matutinum. *Et acceſſit ille, & librum accepit è manu ejus, qui throno inſidebat.* Summus, quippe, *Judæorum* Pontifex, in menſis ſeptimi feſto ſanctiſſimum adytum ingreſſus, librum Legis è dextro Arcæ latere tollebat, populo prælecturus: quod ut ritè faceret, ſeptem dies illi libro ſtudendo impendebat, nempe quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, ac decimum ejus feſti, aderántque ipſi quidam è Sacerdotibus, qui hoc agentem audirent. Ad ſeptem hoſce dies reſpicitur, eo quòd Agnus ſeptem ſigilla, unum poſt alterum, aperuiſſe deſcribitur.

Solennis Expiationis ritus.

Decimo ejuſdem menſis die (*a*), tener adhuc juvencus, in ſacrificium, pro delictis Pontificis Maximi, immolabatur, caper, verò, eumdem in finem, pro populo: nec non ſortitio fiebat inter duos hircos, quâ determinaretur, quinam ex iis Deo cederet in ſacrificium pro peccatis populi; alter, autem, vocabatur *Azazel*, id eſt, Hircus qui evaſit. Præterea, Pontifex Maximus, lineis veſtimentis indutus, thuribulum, ardentibus carbonibus ex altari repletum, ſumebat, manu ſuffimentis contuſis plenâ; ſanctiſſimúmque locum, qui poſt velum erat, ingreſſus, ſuffimenta igni imponebat, ac juvenci ſanguinem, digito, in operculum Arcæ propitiatorium, atque ante illud, ſepties ſpargebat: Deinde, hircum, qui Deo, ſorte, in ſacrificium, pro populi delictis, ceſſerat, mactabat; ejus ſanguinem ferebat intra velum; eumdémque, etiam ſepties, digito,

(*a*) Levit. XVI. 1. &c. & 29. vid. & Levit. IV.

Digitized by Google

gito, in, atque ante, illud operculum ſpargebat. Tum ad altare egrediebatur, quod & ipſum, ſepties, juvenci ſanguine, totidémque vicibus ſanguine hirci adſpergebat. *Poſt hæc ambas manus viventis hirci capiti imponebat, omnéſque ſuper eo Iſraëlitarum culpas, omnéſque peccatorum noxas, confitebatur, in hirci caput eas congerens, quem, per hominem paratum, in deſertum dimittebat: portabátque hircus ille, atque auferebat in terram non habitatam, omnes ipſorum noxas* (*a*). Hæc dum à Summo Sacerdote, in loco ſanctiſſimo atque ad altare, agerentur, ceſſabat quietus, ac ſilentio preces Deo offerebat populus. Tum Pontifex, locum ſacrum ingreſſus, lineis ibi veſtimentis depoſitis, alia induebat; quo facto, iterum egreſſus juvencum caprúmque, in ſacrificium piaculare deſignatos, igne, in thuribulo ex altari deſumto, comburendos, extra caſtra mittebat: denique populus, dum è Templo domum revertebantur, ſibi dicebant mutuò *Deus te in annum fauſtum obſignet!*

Qui omnes reſpiciuntur Apoc. VIII. 1. 3. 5. ſilentio in cœlo, &c.

Horum omnium habitâ ratione, *Cùm ſeptimum ſigillum* Agnus *aperuiſſet, ſilentium fuit in cœlo per ſpatium ſemihoræ. Et conſtitit ad altare Angelus, manu tenens aureum thuribulum, & multum ipſi odorum datum eſt, quos, cum omnium Sanctorum precibus, in aureo altari, ante thronum poſito, offerret. Adſcenditque fumus ſuffimentorum, cum Sanctorum precibus ex manu Angeli in conſpectum Dei. Deinde ſumſit Angelus thuribulum, quod igne, ex altari, replevit, ínque terram dejecit*, puta, extra caſtra, ad offerendum, in holocauſtum, caprum illum, qui, ſorte, Deo obtigerat. Cùm, enim Summus Sacerdos ipſe *Chriſtus* fuerit, juvencus omittitur (*b*). Ad hoc ſacrificium *fiebant tonitrua & voces*, hymnorum, qui in Templo canebantur, *& fulgura*, ignis ſacri, *& terræ motus*. Et hiſce rebus tempore reſpondet (*c*) *obſignatio centenorum & quadraginta quatuor millium, ex omnibus Tribubus Iſraëlitarum, ſigillo Dei ipſorum frontibus impreſſo*, dum reliqui ex iſtis notam Beſtiæ reciperent, ac mulier è Templo in deſertum fugeret, in ſuum locum, qui eſt ſuper illam Beſtiam. Hæc, enim, obſignatio, ac notæ impreſſio, ſortium, inter duos hircos, miſſione repræſentabatur,

His rebus, etiam tempore, reſpondet obſignatio ſervorum Dei, & notatio cultorum Beſtiæ.

(*a*) Levit. XVI. 21.
(*b*) Vide Levit. XVI. 6. Hebr. VII. 27. 28. (*c*) *Is ſynchronal*

Digitized by Google

ac immolatione ejus, qui Deo obtigerat, in monte Sione, dimissione, verò, hirci *Azazelis* in desertum, populi peccatis onusti.

Festi Tabernaculorum ritus quidam, buccinarum clangore, & palmiferâ multitudine, &c. spectantur.

Ejusdem mensis decimo quinto, ac sex insequentibus diebus maxima sacrificia fiebant. Et ratione habitâ clangoris buccinarum, cantúsque hymnorum, quasi tonantibus vocibus, atque effusione libaminum, in hisce sacrificiis, *septem buccinæ inflantur, septémque tonitua suas voces edunt*, ac *septem phialæ iræ effunduntur*. Hic, itaque, *septem buccinarum* clangor, *septem tonitruum* voces, *septem phialarum iræ* effusio, sibi mutuò respondent (*a*); atque eamdem temporis, quod, aperto septimo sigillo, post *silentium in cœlo*, sequitur, in septem, sibi mutuò, continuâ serie succedentes partes, divisionem respicit Septem hujus festi dies, *Festum Tabernaculorum* nuncupabantur; pérque eos dies *Israëlitæ* in tentoriis degebant, manibus palmas gerentes. Huc spectat *palmigera multitudo*, post centenorum & quadraginta quatuor millium obsignationem conspecta, quæ *ex magnâ* illâ *calamitate* emerserat, triumphans ad prælium magni illius diei, quod septimæ buccinæ clangore annuntiatur. Visa, ergo, queis conspecta centena & quadraginta quatuor millia ac palmigera multitudo, ad septimæ buccinæ inflationem pertinent, adeòque & respondent temporibus septimi sigilli.

Buccinæ, voces tonitruum, & phialæ iræ, tempore sibi mutuò respondent.

De dimensione Templi novi, *Joanni* jussâ, &c.

Obsignatis illis *centum & quadraginta quatuor millibus ex omnibus Tribubus Israëlitarum*, reliquísque recipientibus notam Bestiæ, eóque diruto priori Templo, jubetur JOANNES *Templum atque altare metiri*, hoc est ipsorum atria, *& adorantes illic* (*b*), nempe illos 144000, stantes in Sione monte, ac super mare vitreum: *Atrium, verò, quod extra Templum est*, scilicet atrium populi, *foris excludere, neque illud metiri, quoniam id Gentibus concessum est*, iis, qui notam Bestiæ recipiunt; eæque *sanctam civitatem proculcabunt quadraginta & duos menses*, quodcumque, scilicet, temporis Bestia, sub muliere *Babylone*, partes suas agit (*c*). Insuper *duo Testes vaticinantur dies mille ducentos & sexaginta*, hoc est, per idem illud tempus omne, *cilicio amicti*. *His potestas est*, qualis ELIÆ fuit, *claudendi cœlum, ne pluat*, ad primæ buccinæ clangorem,

De duobus Testibus, &c

(*a*) *Are synchronal.*
(*b*) Apoc. XI. 1. &c.
(*c*) Apoc. XVII.

Digitized by Google

gorem, atque, instar MOSIS, *aquas convertendi in sanguinem*, ad clangorem secundæ; *terrámque omnibus calamitatibus*, iis, nempe, quas buccinæ annuntiant, *feriendi, quotiescumque libuerit.* Vaticinantur hi, dum Templum secundum ædificatur, ut quondam HAGGÆUS & ZACHARIAS. Hi sunt *duæ Oleæ*, sive Ecclesiæ quæ *lucernis oleum suppeditabant* (*a*). Hi sunt *duo candelabra*, sive Ecclesiæ, *quæ coram Deo orbis terrarum consistunt.* Quinque è septem Ecclesiis *Asiaticis*, illæ scilicet, quæ prosperâ fortunâ utebantur, vitiosæ repertæ sunt, eásque exhortatur *Christus*, ut mores in melius mutent, comminaturque, *ni faciant, se ipsas de locis suis dimoturum, ex ore suo evomiturum, aut oris sui verba puniturum* (*b*); Duæ reliquæ, *Smyrnensis* ac *Philadelphensis*, quæ sub persequutione degebant, sub eâdem manent, secundum Templum illuminaturæ. Pòst quàm primæva Ecclesia Catholica, *muliere in cœlo* repræsentata, à Deo defeciisset, ínque duas corruptas Ecclesias, quæ *Meretrice Babylonicâ*, & *bestiâ bicorni* denotantur, divisa esset, centies quadragies & quater mille illi, ex omnibus *Israëlitarum* Tribubus, obsignati, facti sunt *duo Testes*, oppositi, nempe, duabus falsis Ecclesiis: atque hoc *Testium* nomen, semel ita impositum veræ Ecclesiæ Dei, remanet omnibus temporibus ac locis, ad finem usque vaticinii.

De septem Ecclesiis Asiaticis, earumdémque variâ conditione & fatis.

In hujus vaticinii expositione, *mulier in cœlo, Sole amicta* (*c*), antè quàm in desertum fugiat, primævam repræsentat Ecclesiam Catholicam, *septem lucernis*, quæ *septem* aureis *candelabris* insunt, quæque *septem Ecclesias* sunt *Asiaticas*, illuminatam. Draco, idem Imperium, quod apud DANIELEM Hircus, tempore, quo postremum ejus cornu regnavit, significat, integrum, nempe, Imperium *Romanum*, donec, in *Græcum Latinúm*que Imperia, divisum esset; quamdiu, autem, illud discrimen stetit, solummodo *Græcum*, eo intelligitur: Bestia, verò, eadem est, quæ Bestia apud DANIELEM quarta; Imperium nempe *Latinorum*. Antè quàm *Romanum* Imperium in *Græcum* ac *Latinum* divisum esset, Draconis corpore Bestia continetur, ex quo autem ea divisio contigit,

De Muliere Sole amictâ, Dracone, &c.

De utrâque Bestiâ, Apoc. XIII.

(*a*) Zachar. IV. 3.
(*b*) Apoc. II. 5. 16. III. 16.
(*c*) Apoc. XII. 1. &c.

Digitized by Google

ſolùm illa eſt Imperium *Latinum*. Hinc Draconi & Beſtiæ eadem ſunt capita, eadémque cornua; Draconi, autèm, in capitibus, Beſtiæ in cornibus coronæ. Cornua ſunt decem Regna, in quæ Beſtia diviſa eſt, quamprimùm à Dracone ſeparata fuerat, ut ſupra oſtendimus (*a*). Capita ſunt ſeptem, altera alteri continuâ ſerie ſuccedentes Dynaſtiæ, ſive partes, in quas *Romanum* Imperium, ad ſeptem ſigillorum apertionem, dividitur. Priùs quàm mulier in deſertum fugeret, *gravida* Imperio Chriſtiano, *clamabat parturiens*, in decennali perſecutione, quâ DIOCLETIANUS ipſam vexavit, *& cruciabatur ut pareret: ſtetítque ante eam Draco*, idololatricum *Romanorum* Imperium, *ut, quamprimùm illa filium perperiſſet, ipſe, illum devoraret. Et peperit prolem maſculam, qui* tandem *omnes Gentes ferreo ſceptro erat recturus: qui, ejus filius, raptus eſt ad Deum, ejúſque ſolium*, in Templo, victoriâ, quam CONSTANTINUS M. de MAXENTIO reportavit: *Fugítque mulier*, è Templo, *in deſertum* Arabiæ, Babylonem, *ubi locum habebat*, divitiarum, honoris, ac dominii ſuper tergum Beſtiæ, *paratum à Deo, ut illic alatur dies mille ducentos & ſexaginta. Et bellum fuit in cœlo*, Idololatras inter, queis Dux MAXIMINUS, ac novum Imperium Chriſtianum; *dejectúſque eſt Draco ille magnus, qui totum orbem decipit*, Idololatriæ veteris genius, dejectus eſt, inquam, ille, è throno, *in terram. Eum, illi, Agni ſanguine, ſuíque teſtimonii ſermone, vicerunt, nec vitas ſuas, ad mortem uſque, dilexerunt.*

Paraphraſtica capitis XII. expoſitio.

Cùm, verò, in terram ſe dejectum Draco animadverteret, mulierem perſecutus eſt, quæ marem fuerat enixa, novâ in ipſam perſecutione, ſub LICINIO, excitatâ. *Mulieri, autem*, conditâ, ac *Romæ* æquatâ, *Conſtantinopoli, datæ ſunt duæ alæ ingentis aquilæ, ut in ſolitudinem, in locum ſuum*, qui ſuper Beſtiæ dorſum eſt (*b*), *avolaret, ubi alitur tempus, tempora, & dimidium temporis, extra conſpectum Serpentis. Dein, Serpens*, mortuo CONSTANTINO M., *aquam, fluminis inſtar, ore ſuo emiſit*, Imperium, nempe, Occidentis, ſub CONSTANTINO juniore & CONSTANTE, *poſt mulierem, quò eam flumine trahi faceret; verùm Terra*, gentes

(*a*) Part. I. Capp. V. VI. (*b*) Apoc. XVII. 3.

Digitized by Google

gentes *Asiatica*, jam *Constantinopoli* subjectæ, *mulieri succurrit*, ac, debellato Imperio Occidentis, cui jam præërat MAGNENTIUS, *hausit flumen, quod ore suo ejecerat Draco. Et iratus fuit Draco mulieri, ivítque bellum illatum reliquiis seminis ipsius, observantibus Dei præcepta, habentibúsque testimonium* JESU *Christi, qui*, eo in bello, *ex omnibus Israëlitarum Tribubus obsignati sunt* (*a*), cúmque Agno in monte Sione manserunt, centum & quadraginta quatuor millia numero, queis fronti nomen patris sui erat inscriptum.

Pòst quàm Terra flumen illud hausísset, bellúmque reliquiis seminis mulieris illaturus Draco abiísset, *in arenâ Maris* JOANNES *stetit, vidítque Bestiam è Mari adscendentem, habentem capita septem, ac cornua decem. Similis erat ea Bestia Pardo; pedes, verò, ejus, tamquam pedes Ursi, os, quasi os Leonis* (*b*). Nominat hìc JOANNES, ex ordine, quatuor Bestias, quas DANIEL viderat, eâ, quam ipse hìc describit, Bestiâ, loco quartæ Bestiæ apud DANIELEM positâ, quò pateat easdem esse. *Dedítque huic* Bestiæ, *Draco suam potestatem, & sedem, & auctoritatem* magnam, abdicato Imperio Occidentis, illíque relicto. *Unum, autem, ex ipsius capitibus*, sextum nempe, *quasi mortifero adfectum fuit vulnere*, ense, scilicet, Terræ, hausto ab hac flumine aquarum, quas ex ore suo Draco emiserat; *ast letiferum ipsius vulnus sanatum est*, novâ Imperii, VALENTINIANUM inter & VALENTEM, divisione, A. C. 364. Vidit JOANNES Bestiam illam ex Mari adscendentem, divisione Imperii inter GRATIANUM & THEODOSIUM factâ, A. C. 379. Bestiæ suam potestatem dedit Draco, sedémque, & magnam auctoritatem, moriente THEODOSIO, cùm hic filio suo, HONORIO, Imperium Occidentis dedit. Quo facto, numquam postea in unum duo illa Imperia conjuncta fuêre; Occidentale, autem, protinus in decem Regna divisum est, ut supra à nobis dictum (*c*); atque hæc Regna tandem Religione unita sunt, sub muliere, cúmque eâ regnant *quadraginta & duos menses.*

Nec non capitis XIII.

Item

(*a*) Ibid. VII. 4-8.
(*b*) Cap. XIII. 1. &c.
(*c*) Capp. V. & VI. Partis Primæ.

Digitized by Google

¶. 11. &c. *Item vidi*, pergit JOANNES, *aliam beſtiam è Terrâ adſcendentem.* Cùm, Draconem fugiens, mulier in Regnum Beſtiæ ſe reciperet, ejúſque Eccleſia evaderet, è Terrâ adſcendit altera hæc beſtia, Draconis Eccleſiam repræſentatura. *Fuerunt*, quippe, *huic cornua duo, Agni ſimilia*, cujuſmodi fuêre *Alexandriæ* atque *Antiochiæ* Epiſcopatus: *& loquutus eſt ut Draco*, in rebus, quæ ad Religionem: effecítque ut Terra, ſive Gentes è quibus Draconis Imperium conſtabat, *priorem Beſtiam, cujus mortiferum vulnus ſanatum erat, venerаretur*, id eſt, ejuſdem, cujus ille, eſſent Religionis. *Magna, etiam, oſtenta facit, ita ut & ignem de cœlo ad terram devocet, in hominum conſpectu*; id eſt, iis communione interdicit qui ab eâ, in Religionis negotio, differunt; ea, namque, interdicta denuntiantes, accenſam facem deorſum rotantes mittere ſolebant. Porrò, *juſſit iis qui Terram incolunt, ſimulacrum Beſtiæ facerent, quæ enſe fuerat vulnerata, ac revixit*; id eſt, Concilium cogerent hominum, ejuſdem, cum hac Beſtiâ, Religionis. *Erátque ipſi poteſtas ſpiritu donandi Beſtiæ ſimulacrum, ita ut hoc, & loquеretur, & efficeret ut, quicumque non venerarentur ſimulacrum Beſtiæ, morte plecterentur*, ſcilicet, myſticâ, Eccleſiarum ipſorum diſſolutione. *Atque eò adigebat omnes, parvos juxta ac magnos, divites ac pauperes, liberos ac ſervos, ut notam in dextrâ manu vel fronte reciperent*; *neve cui emere liceret, aut vendere, niſi qui notam, vel nomen, haberet Beſtiæ, vel nominis ejus numerum*; id eſt notam +, vel nomen ΑΑΤΕΙΝΟΣ, vel numerum hujus χξϛ, 666. Reliquis omnibus communione interdictum.

Ulterior Beſtiæ & mulieris conſpectus.

Pòſt quàm ſeptem Angeli, ſeptem phialas iræ effuderant, omniáque illuc ſpectantia in tempore præſenti deſcripſerat JOANNES, revocatur hic à ſeptimæ phialæ ad ſexti ſigilli tempora, ut mulierem, ejúſque Beſtiam, intueatur, quæ ſeptimi ſigilli temporibus regnaturæ erant. Quod ad extrema temporis ſigilli ſexti, tum ut præſentis conſiderati, Angelus JOANNI dicit: *Beſtia, quam vidiſti, erat, & non eſt, éque abyſſo adſcenſura eſt, & in perniciem, abitura* (*a*). *Erat*, nempe, CONSTANTE ac MAGNENTIO imperantibus, donec CONSTANTIUS MAGNENTIUM vinceret Imperiúm-

Quo ſenſu illa, *fuerit non ſit*, &c.

(*a*) Apoc. XVII. 8. &c.

Digitized by Google

Imperiúmque Occidentis, Orientis Imperio denuo jungeret: *Non est*, dum ea conjuncta manent; *adscendet*, autem, *ex abyssо*, sive Mari, sequenti Imperii divisione. Porrò dicit Angelus: *Hîc est mens, quæ præstat sapientiâ: septem capita septem sunt montes, quibus mulier insidet*; Roma scilicet, septem in collibus fuit condita, atque inde *Urbs septicollis* dicta. *Septem quoque*, ita pergit, *Reges sunt: quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit; cúmque venerit, brevi tempore manere eum oportet: Et Bestia, quæ fuit & non est, ea est octavus, & è septem est, ínque perniciem abit. Quinque ceciderunt*, jam elapsis priorum quinque sigillorum temporibus; *unus est*, tempore sexti sigilli, hìc instar præsentis considerato; *alius nondum venit, quando, autem, venerit*, quod ad septimi sigilli apertionem continget, *brevi tempore eum oportet manere*: denique, *Bestia, quæ fuit & non est, ipsa octavus est*, per Imperii *Romani* in duo, simul subsistentia (*a*), Imperia divisionem; *& è septem est*, quippe septimi pars media, *& in perniciem abitura*. Plerumque hæc verba: *quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit*, ab Interpretibus ad Apostoli JOANNIS tempora cùm hæc ipsi obtigit *Apocalypsis* referuntur. Animadvertere, autem, oportet de multis rebus hoc in vaticinio, quasi præsentibus agi, quæ, cùm contigit hæc *Apocalypsis*, nondum præsentes erant, ejusmodi, autem, erant futuræ, temporis sequuturi respectu, in visis, JOANNI oblatis, quasi jam præsens esset, considerati. Ita, ubi ad septimæ phialæ iræ effusionem, dicitur *Babylon magna Deo venisse in mentem, ut det ei poculum vini atrocis suæ iracundiæ* (*b*); non hoc JOANNIS Apostoli tempora, sed ea, quibus septima iræ phiala effundetur, spectat. Ita etiam ubi dicitur: *Cecidit, cecidit magna Babylon* (*c*); item, *immitte falcem tuam & mete, nam tibi venit hora metendi* (*d*); nec non, *venit tempus mortuorum, quo judicentur* (*e*); iterúmque, *vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu Dei* (*f*): non respiciunt hæc

Quo sensu ejus capita intelligenda.

Communis eorum explicatio rejicitur.

Futura, in visis, quasi jam præsentia, considerari.

(*a*) *Collateral.*
(*b*) Apoc. XVI. 19.
(*c*) Cap. XVIII. 2.
(*d*) Cap. XIV. 15.
(*e*) Cap. XI. 18.
(*f*) Cap. XX. 12.

Digitized by Google

hæc tempora JOANNIS, sed tempora postrema, in visis considerata quasi jam adessent. Similiter hæc verba: *quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit, & Bestia, quæ fuit, & non est, ea octavus est*; non ad illud, quo JOANNES vixit, sæculum sunt referenda, verùm illud tempus spectant, quo ense vulneranda erat Bestia, ostendúntque vulnus illud sexto ejus capiti infligendum fore: neque omnino, sin eò referantur verba, docemur in quo ex suis capitibus Bestia vulnerata fuerit. Tandem sequitur (*a*): *Decem, quæ vidisti, cornua, decem Reges sunt, qui Regnum nondum sunt adepti, sed potestatem ut Reges, eâdem horâ quâ Bestia, adipiscentur. Hi eumdem animum habent*, omnes, quippe, ejusdem sunt Religionis, cujus est meretrix, *suásque vires ac potestatem Bestiæ tradent. Hi cum Agno bellum gerent*, ad septimæ buccinæ clangorem, *eósque vincet Agnus: Etenim Dominus est Dominorum, & Rex Regum*; *quique cum illo sunt, vocati sunt, electique, ac fideles. Quas autem*, (*mihi inquit*,) *aquas vidisti, ubi Meretrix sedet; populi sunt, & hominum turbæ, & gentes, & linguæ*, Bestiam ejus facientes. *Item, decem cornua, quæ super Bestiam vidisti, ea Meretricem odio prosequentur, eámque desertam ac nudam reddent atque ejus carnem comedent, & ipsam igne comburent*, ad finem dierum illorum mille ducentorum & sexaginta. *Illis, enim, Deus eam mentem dedit, ut ejus sententiam exsequantur, eodémque animo agant, ac Regnum suum Bestiæ tradant, donec, quæ dixit Deus prorsus sint perfecta. Mulier, verò, quam vidisti, urbs illa magna est, quæ Regibus Terræ imperat*, sive urbs magna *Latinorum*, quæ in decem Reges illos Imperium, ad eorum usque dierum finem, exercet.

Ad finem perducitur expositio 3 capitis XVII.

(*a*) Cap. XVII. 12. &c.

OPUSCU-

Digitized by Google

OPUSCULUM XXVI.

ISAACI NEWTONI DISSERTATIO

DE SACRO JUDÆORUM CUBITO

ET DE

CUBITO ALIARUM GENTIUM.

Edita Anglicè in Miſcellaneis Operibus

JOHANNIS GRAVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISAACI NEWTONI

DISSERTATIO

De Sacro Judæorum *Cubito, atque de Cubitis aliarum Gentium nonnullarum; in quâ ex maximæ* Ægyptiacarum *Pyramidum dimensionibus, quales* Johannes GRAVIUS *invenit, antiquus* Memphis *Cubitus definitur.*

AD Templi descriptionem pertinet *Cubiti Sacri* determinatio; cui cognoscendo conducit scire quanti fuerint aliarum Gentium Cubiti.

Pedem unum cum semisse *Cubiti Romanorum*, *Gracorúm*que longitudine æquabant (*a*); pariter, *Sacer Cubitus* sex palmis, aut quatuor & viginti *Digitis* constabat; siquidem *Romanorum*, & *Gracorum* Pedes *Palmos* quatuor, & sexdecim *Digitos* continebant. *Romanorum* Pes similiter in duodecim *Uncias*, sive *Pollices* divisus erat, & Pedis *Angli* $\frac{967}{1000}$ partibus æquipollebat, quemadmodum GRAVIUS qui diligenter vetusta monumenta, quæ in *Italiâ* sunt, examinavit, & antiquiorum Scriptorum, PHILANDRI, AGRICOLÆ, PÆTI, VILLALPANDI, SNELLII, aliorúmque argumenta perpendit, accuratiùs quàm ceteri, determinavit. Igitur, *Romanus* Cubitus est *Anglic. Ped.* $1\frac{4505}{10000}$.

(*a*) *Vitruvius* lib. 3. *Hero* in Isagoge. *Hesychius. Suidas* in vocibus πλέθρον & πῆχυς. *Columella* lib. 5. de Re Rusticâ, qui *Cubitum* vocat *Semipedem*, quasi *Pedis & semis*. Vide & *Frontinum* de Limitibus Agrorum; & *Isidorum* Hispalensem lib. 15. c 15. Una Auctorum est de *Cubitis* hisce sententia, inter quos *Agricola* & *Gravius* digni sunt, qui præcipuè consulantur.

Digitized by Google

Inter *Græcos Pedes Atticus* maximè eminebat. Juxta recentiorum ſententiam *Romano Pedi* cum ejuſdem Pedis *ſemunciâ* æquivalebat; quia *Græcorum Stadium* ex *Græcorum Pedibus* ſexcentis conſtabat; *Romanorum* verò milliare ex mille magnis *Romanorum Paſſibus*, ſeu quinque Pedum millibus; & antiquitus octo *Græcorum Stadia* unum *Romanorum Milliare* conficiebant. Sed probabile eſt hæc proximioribus rotundis numeris fuiſſe computata; &, ſi nonnunquam Veteres centum & viginti quinque *Paſſus Stadio* tribuiſſe dicamus, rationem hanc deducere poſſumus, non ex *Græci Romanique Pedis* collatione, ſed ex jam relatâ ratione *Stadii* ad *Milliare*, quàm prope veritatem rotundis numeris expoſitâ. Hanc conjecturam firmiorem putabis, ſi ad mentem revoces POLYBIUM à STRABONE citatum à vulgari illâ computatione recedere, & *Milliare* ſtatuere par octo *Stadiis* cum triente; quo pacto Pes *Atticus Romano* æqualis evadit. Priori computo favet Pes *Ptolemaicus*, qui *Romanum Semunciâ* ſuperat; ſi tamen poſtremus hic ab *Attico* deſumptus fuit. Alterum confirmat columna porphyretica effoſſa *Romæ* cum epigraphe ΠΟΔ. Θ., ſcilicet, PED. IX.; nam, Pes hujus columnæ, quem PHILANDER eſt dimenſus, *Romanum* Pedem dumtaxat *Unciâ* dodrante ſuperat. Hoc diſcrimen oſtendit Pedem iſtum non eſſe *Romanum*: & inſcriptio probat illum eſſe *Græcum*. Utrùm verò fuerit *Atticus*, alii definiant. Donec aliquid certius appareat, hoc unum aſſumam, Pedem *Atticum* neque *Romano* minorem fuiſſe, neque illum magis quàm *Semunciâ* ſuperaviſſe. Quibus conceſſis, quantus fuerit Pes *Atticus*, quàm accuratiſſimè reperiemus.

Derah, aut *Arabum* Cubitus (*a*) pariter ſex *Palmis* & viginti-quatuor Digitis conſtabat; atque, meâ quidem ſententiâ, ſanè parum aberat, quin *Romanorum* vel *Atticorum* Cubito foret æqualis. Erat enim quincunx Regii Cubiti *Ægyptiorum*, ſcilicet, ut ſtatim oſtendetur, habebat quatuor ſimplices *Ægyptiorum* Cubitos, qui *Romanorum* quinque exæquant.

Similiter, tria *Arabum* Milliaria *Perſarum* Paraſangæ, hoc eſt, triginta *Stadiis Atticis* æquipollebant, & mille *Orgyias*, aut *Arabum* Paſſus, ſive quatuor Cubitorum millia complectebantur; unde conficitur

(*a*) *Abulfedæ* Geograph. Arab., & *Muhammed Ibn Meſoud* à *Gravio* relatus.

Digitized by Google

ficitur æquales fuiſſe Cubitos *Arabum* & *Atticorum*. Nam, *Arabes* errantes, cùm primùm ſub *Romanis* militaverunt, & deinde cùm in *Syriâ* Imperium fundaverunt, à devictis populis pecuniam, pondera, menſuráſque *Romanorum* atque *Græcorum* acceperunt. Hoſce igitur Cubitos prætermittamus, & ad vetuſtiores deveniamus.

Ex Pyramidibus *Ægyptiis*, accuratè à *Johanne* GRAVIO menſuratis, ita colligo quantus fuerit antiquus *Memphis* Cubitus. Latus primæ Pyramidis erat ſexcentorum nonaginta trium Pedum *Anglicorum*. Valde veriſimile eſt, initio menſuram hanc definitam fuiſſe rotundo aliquo Cubitorum *Ægyptiacorum* numero. IBN ABD ALHOKM, à GRAVIO citatus aſſerit latera ſingula in longum patuiſſe centum Regios Cubitos antiquitus uſurpatos. Verumtamen, probabile eſt *Ægyptios* à *Græcorum Orgyis* deduxiſſe menſuram quatuor *Memphis* Cubitos æquantem, quâ utebantur, & eam *Regii Cubiti* nomine inſigniviſſe. Hoc pacto latus Pyramidis habuiſſet quatercentos ſimplices Cubitos, ſeu quatuor *Arouras*; & Cubitus *Memphis* fuiſſet æquivalens $1\frac{712}{1000}$ Ped. *Anglic.*

Pyramidem conditam fuiſſe juxta Cubitos hujus longitudinis, apparet ex pluribus ejus dimenſionibus. Aditus quadratus ex marmore polito, quo in illam iter patet, erat latitudine & altitudine $3\frac{463}{1000}$ Pedis *Anglici*, videlicet, duorum ex ſupra relatis Cubitis *Memphiticis*. Eandem quoque latitudinem atque altitudinem habebant quatuor alii aditus aut Cryptoporticus. In Pyramidis meditullio erat cubiculum, profectò affabrè fabricatum ex marmore polito, continens Regis monumentum. Cubiculum iſtud longum erat Pedes *Anglos* $34\frac{38}{100}$, & latum $17\frac{19}{100}$; ſcilicet, longum viginti Cubitos, & latum decem, poſito Cubito $1\frac{719}{1000}$ Pedis *Anglici*. Diſcrimen, quod inter hanc menſuram & priorem intereſt, æquiparat $\frac{125}{10000}$, aut triceſimam Pedis partem, ſive pollicis, circiter, ſeptimam; qui error nullius momenti eſt, ſi animum advertas ad multo majores anomalias, quas GRAVIUS in optimis *Romanorum* ædificiis obſervavit. Hujus cubiculi laquear erat confectum ex novem oblongis parallelíſque lapidibus, quorum ſeptem illi, qui medii erant, eandem latitudinem habebant; at illi duo, qui extremitates occupabant, erant dimidio anguſtiores; omnium autem ſimul latitudo

Digitized by Google

tudo æquabat Cubiculi longitudinem, ſeu erat viginti Cubitorum; quapropter mediorum lapidum longitudo erat duorum Cubitorum cum ſemiſſe. Cryptoporticus marmorea, quâ ad Cubiculum iſtud deveniebatur, erat latitudine ſex Pedum, cum $\frac{87}{100}$; id eſt, quatuor Cubitorum, ex iis, quos in Cubiculi dimenſionibus invenimus. In mediâ Cryptoporticu erat ſemita ex marmore polito, lata Pedibus $3\frac{415}{1000}$, videlicet, duobus Cubitis; utrinque autem aderant duo quaſi ſedilia, pariter ex marmore polito, Pedum $1\frac{717}{1000}$ latitudine, & altitudine Pedum $1\frac{717}{1000}$; ideſt, unius Cubiti latitudine & altitudine. Quis nunc opinari poteſt tot dimenſiones, nullo communi vinculo connexas, mero caſu à nobis aſſignatæ Cubiti longitudini reſpondere?

Præterea, Dimenſiones Pyramidis Cubitum hùnc in ſex *Palmos* fuiſſe diviſum manifeſtò demonſtrant. Quandoquidem Cryptoporticus, ſecundùm GRAVIUM, alta erat, viginti ſex Pedes, circiter; videlicet quindecim Cubitos. Hinc deme ſedilium altitudinem, & ſupererunt quatuordecim Cubiti. Hanc quatuordecim Cubitorum altitudinem in ſeptem partes diſtribuebant ſeptem lapidum ordines in Cryptoportici muris; quorum ordinum ſuperiores ſinguli magis quàm inferiores eminebant tribus, circiter, digitis, ut videri poteſt in *Figurâ primâ*, in quâ

AB eſt latitudo ſemitæ;
ACB Sedile;
DE altitudo primi ordinis lapidum.
EF prominentia ſecundi ordinis;
FG ejuſdem altitudo;
GH prominentia tertii ordinis;
HI ejus altitudo, atque ita porrò uſque faſtigium KL, quod reſpondet ſemitæ AB. Igitur quivis lapidum ordo, erat duorum Cubitorum altitudine, & ſex prominentiæ EF; GH; &c., uni Cubito æquipollentes, erant *Palmares*.

Similiter in Regis monumento, de quo ſupra mentionem fecimus, reperiuntur ſpecimina diviſionis Cubiti. Nam, quoniam Cubitus DC eſt $1\frac{717}{1000}$ Pedis, & idcirco *Palmus* eſt $\frac{286}{1000}$ Pedis; decem *Palmi* conficient Pedes $2\frac{86}{100}$; ſeptem *Palmi* cum tribus Digitis,

Digitized by Google

tis, Pedes 2 $\frac{717}{1000}$; atque viginti quinque *Palmi* cum duobus Digitis, Pedes 7 $\frac{295}{1000}$. Jam, GRAVIUS comperit monumentum, interius quidem, esse Pedum 2 $\frac{860}{1000}$ altitudine; & latitudine, pariter interiùs, Pedum 2 $\frac{218}{1000}$; at superficiem exteriorem longitudine Pedum septem, Pollicum trium cum semisse; hoc est, Pedum 7 $\frac{292}{1000}$. Igitur, monumentum, interiùs, altum erat *Palmis* decem; latum, similiter interiùs, *Palmis* septem & tribus Digitis; & longum, secundùm externam superficiem, *Palmis* viginti quinque & duobus Digitis, absque ullo errore sensibus percipiendo. Altitudo, & latitudo externæ superficiei erant singulæ trium Pedum, cum tribus Pollicibus & Pollicis Dodrante; scilicet, undecim Palmorum cum duobus Digitis & Digiti Quadrante; si tamen GRAVIUS hæc satis accuratè dimetitus est.

Sed alia etiam adsunt hujus Cubiti specimina, quemadmodum præsertim, quòd tota Cryptoporticûs longitudo unà cum hypothenusâ trianguli rectanguli, cujus basis erat Pedum quindecim, & altitudo quinque, circiter, aut sex, aut fortasse septem, funiculo mensurata, conficiebat Pedes centum quinquaginta quatuor. Subduc hypothenusam, & supererit Cryptoporticus longa centum triginta & octo Pedibus; id est, æqualis latitudini vicies sumptæ, aut viginti *Regiis Cubitis*. Pariter duæ aliæ Cryptoporticus metatæ fuerunt, & inventæ Pedum decem supra centum longitudine, videlicet, sexdecim *Regiis Cubitis*; aliud autem cubiculum latum erat septemdecim, circiter, Pedibus, nempe, decem cubitis; & conclave quoddam erat septem Pedum longitudine, latitudine verò trium cum semisse, circiter; hoc est, longitudine quatuor Cubitorum, & duorum latitudine. Atque totam Pyramidem secundùm hujus Cubiti mensuram fuisse constitutam opinor.

Siquis in posterum hoc pacto vetera *Babyloniorum* alsarúmque Gentium ædificia, quæ superstant, metata exhibeat, difficile non erit hinc veteres illarum Regionum Cubitos definire. Interea, tanquam hujus computationis specimen, afferam exemplum unum, quod sese obviam facit. PURCHATIUS (*a*) auctor est adhuc extare inter antiquam *Babylonem* & *Bagdad* vastum & rude lateritium

(*a*) Peregrinationum, part. I. lib. I. c. 11.

Digitized by Google

ædificium; ALLENUS ejus amicus comperit lateres illud componentes unius Pedis longitudine; latitudine octo Pollicum, & sex crassitie; loquor de Pedis *Anglici* Pollicibus. Hæ proportiones ostendunt lateres juxta regulas aliquas formatos fuisse, & eapropter in iis fingendis rationem alicujus peculiaris mensuræ à *Babyloniis* usurpatæ habitam fuisse; quod valde utile erat, ut fabri murarii possent ex laterum numero statim murorum dimensiones, longitudinem, latitudinem, atque crassitiem, & *vice versâ* numerum laterum, quibus opus erat ad condendum præfinitum murum, determinare valerent. Quoniam verò *Babylonii* suas ædes Cubitis dimetiebantur, hinc sequitur lateres, juxta longitudinem, latitudinem, atque crassitiem, conjunctim, Cubiti mensuram conficere debuisse. Atqui, ex duorum laterum longitudine, ex trium latitudine, & ex quatuor crassitie, mensura eadem exsurgit: ergo hæc mensura erat Cubitus. Quapropter Cubitus *Babyloniorum* duos *Anglorum* Pedes æquiparabat; & partes componentes Cubitum hunc in *Palmos* sex divisum fuisse innuunt, ita ut laterum dimensiones rotundis *Palmorum* numeris exprimi possint, longitudo erat *Palmorum* trium, duorum latitudo, & crassities unius cum semisse. Cubitus hic in posterum fortasse accuratiùs majore observationum varietate definietur.

Quantus fuerit *Persarum Cubitus* ex eorum *Parasangâ*, puto, licet determinare. Namque, animadvertendum est, quòd ingentes mensuræ, corporis humani membra superantes, ex minoribus per multiplicationem deduci solebant, in quibus multiplicationibus *denarius* numerus, & nonnunquam *binarius*, fuit adhibitus. Ita *Romanorum Calamus* (*a*) aut *Pertica* decem Pedes habebat; *Scrupulum* decem Pedes longitudine, & decem latitudine; *Versus* centum longitudine, & centum latitudine; *Clima* (genus mensuræ à *Græcis* deductæ, quemadmodum nomen ostendit) decem *Orgyias* longitudine & decem latitudine; *Actus* duo *Climata* longitudine & duo latitudine; *Jugerum* duos quadratos *Actus* longitudine; *Decumanus* decem *Actus* longitudine & decem latitudine; *Centuria* decem *Decumanos* longitudine & decem latitudine, in *Italiâ*; sed extra bis hunc numerum; *Saltus* centum *Decumanos* longitudine & cen-

(*a*) Vide *Hyginum* de limit. constit., & *Siculum Flaccum* de Condit. Agror.

Digitized by Google

centum latitudine; *Milliare* ſive *Milliarium* mille Paſſus longitudine; & *Iter Diei* bis decem *Milliaria*. Pertica *Græcorum*, dicta ἄκαινα complectebatur decem Pedes; *Clima* decem Pedes longitudine & decem latitudine; *Plethrum* Pedes centum longitudine & totidem latitudine; *Stadium* centum *Orgyias* longitudine; & *Iter Diei*, ſecundùm HERODOTUM, ducenta *Stadia*. Atque in Provinciâ *Cyrenaicâ*, in agro, quem PTOLEMÆUS, *Græcus Ægypti* Rex, Populo *Romano* reliquit, *Plinthides* (*a*) continebant quinquaginta *Limites* in longum & quinquaginta in latum; ſingula verò quadratorum hujuſcemodi *Limitum* latera decem *Stadia* complectebantur.

Conſtat etiam ex pluribus exemplis, quòd, quemadmodum Gentes Occidentales Pedibus decemplicatis utebantur, ita Orientales Cubitos eâdem ratione multiplicatos adhibebant. Sic, apud *Judæos*, Gentem gregibus paſcendis aſſuetam, *Kibrath Terræ*, paſcuum, quod ſufficeret, puto, gregi ab uno Paſtore acto, mille Cubitorum ſpatio definiebatur, & *Iter Sabbathi* duobus millibus. Eodem pacto, apud *Ægyptios* habebat *Arourа* centum Cubitos in longum & centum in latum. Et, quoniam *Ægyptii* quotannis, poſt Niliacam inundationem, agros ſuos in *Arouras* diſtribuebant, idcirco, debuit Calamus, quò faciliùs & citiùs expedirentur menſuræ, conſtare ex decem Cubitis, ex quo, decies repetito, *Aroura* conficeretur. Atque, eâdem de cauſâ, majores menſuræ, in quas Regiones illæ erant diviſæ, conſtare debebant ex *Arourîs* aliquoties decemplicatis aut centuplicatis.

Igitur majores antiquarum Gentium menſuræ rotundo minorum illarum menſurarum, ex quibus defluxerant, numero componebantur; unde patet *Schænos Ægyptiorum*, aliarúmque orientalium Gentium, & *Perſarum Paraſangas* aliquo rotundo Cubitorum numero conſtitiſſe. Jam, *Ægyptiorum* minimus *Schænus*, teſtibus ARTEMIDORO atque STRABONE, triginta *Stadia Græcorum* æquabat; & *Paraſanga*, auctoribus HERODOTO, XENOPHONTE, HESYCHIO, SUIDA, AGATHIA, aliiſque à STRABONE relatis, triginta quoque *Stadiis* æquipollebat; ac rotundus Cubitorum numerus,

(*a*) Hygin. de Limit. conſtit.

Digitized by Google

merus, cui totidem ſtadia ſunt æqualia, eſt decem millium. Ergo *Schanus* decem millia *Cubitorum Memphiticorum*, & Paraſanga totidem *Perſicorum* continebat; atque decem millia Cubitorum utrinſque Gentis triginta *Stadia* æquiparabant.

Hæc *Ægyptii* Cubiti ſupputatio confirmatur hodierno *Ægyptiorum* cubito, qui in urbe, quam recentiores *Magnum Cairum* appellant, uſurpatur, quem GRAVIUS Pedis *Anglici* $1\frac{824}{1000}$ comperit. Cubitus hic propiùs abeſt ab antiquo *Memphis* Cubito, quàm à minoribus Cubitis *Græcorum*, *Romanorum*, atque *Arabum*, qui in *Ægyptum* dominati ſunt; & eapropter à *Memphitico* deſumptus videtur. Sed hoc major eſt. Quid mirum aliquanto majorem factam eſſe menſuram, pluſquam trium annorum millium intervallo? Menſuræ Pedales Cubitaléſque nunc non parum humanorum membrorum rationem excedunt; tamen GRAVIUS ex *Ægyptiis* monumentis oſtendit hominum ſtaturam eandem fuiſſe ante hæc tria annorum millia, quæ nunc eſt. Igitur creverunt menſuræ, neque hujus negotii rationes deſunt. Inſtrumenta, quæ tanquam menſurarum moduli ſervari ſolent, longiora fiunt dum rubigine complentur. Ferrum malleo percuſſum poteſt ſenſim ſe relaxare longo temporis lapſu. Præterea, fabri, dum inſtrumenta conficiunt, æquo majorem potiùs, quàm minorem materiei quantitatem adhibere malunt; atque, ubi, limando, certam menſuram, quam ſufficientem arbitrantur, attigerunt, quieſcunt non ignorantes ſe ſtatim, aliquid de inſtrumento limantes, exiguum hunc exceſſum corrigere poſſe, ſi Magiſter de eo queritur, ſed nullâ defectum ratione reparare poſſe. Supponere liceat igitur menſuras omnes gradatim factas majores, primis præcipuè Sæculis, quibus illæ minori curæ erant; & Cubitus *Memphiticus*, circa *Romani* Imperii tempora, comperietur mediæ cujuſdam longitudinis inter veterem & recentiorem Cubitum, ita tamen ut propiùs ad recentiorem accedat. Antiquus Cubitus erat Pedis *Anglici* $1\frac{719}{1000}$, cujus recentior eſt $1\frac{824}{1000}$; quapropter is, qui medius eſt inter eos, erit Pedis ejuſdem $1\frac{78}{100}$, vel $1\frac{79}{100}$, circiter. Jam, decem horum mediorum Cubitorum millia, conficiunt triginta *Stadia Attica*, circiter, ut debebant.

Superior-

Digitized by Google

Superior *Perſici* Cubiti determinatio confirmatur *Arish*, aut hodierno *Perſarum* Cubito, quem (duplicatum, opinor,) GRAVIUS dimenſus Pedis *Anglici* $3\frac{157}{1000}$ comperit. Si dimidiatus hic ſimplicem Cubitum conſtituebat, & ſi major evaſit ex *Græci Romanique* Imperii temporibus eâdem ratione, quâ Cubitus *Memphiticus*, antiquitus fuit Ped. *Anglic.* $1\frac{57}{100}$, circiter. HERODOTUS Cubitum hunc, collatum cum Cubitis *Græcorum* atque Gentium propinquarum, *Cubitum medium* appellat, & aſſerit Regium *Perſarum* Cubitum tribus Digitis iſtum ſuperare. Si Scriptorem illum de Digitis medii Cubiti, *Græcis* magis cogniti, locutum intelligamus, Regius Cubitus erit ad medium ut 27 ad 24; &, cùm Cubitus medius ſit Ped. *Anglic.* $1\frac{57}{100}$, Regius Cubitus erit $1\frac{676\frac{1}{4}}{100}$, circiter; Nunc decem iſtorum Cubitorum millia conficiunt, ut debebant, *Attica Stadia* triginta, circiter.

Supra relatæ computationes confirmari quoque poſſunt generali quâdam ratione, ſi nempe inter ſe comparentur Pedes Cubitíque principio à cunctis Gentibus uſurpati juxta proportionem illorum Corporis humani membrorum, è quibus deſumpti fuerunt. Quandoquidem, Pes hominis eſt ad Cubitum, ſeu inferiorem Brachii partem ejuſdem hominis ut 5 ad 9, præter propter, ut ipſe dimenſus ſum, & ut quiſque facilè in proprio corpore deprehendere poteſt. Antiquiſſimi Pedes, quorum aliqua notitia ad nos tranſmiſſa fuerit, ſunt *Romanus*, *Ptolemaicus*, atque *Druſianus*, *Tongeri* in *Germaniâ*; hic ultimus *Romani* Pedis Unciis tredecim cum ſemiſſe æquivalet. Hiſce tribus Pedibus, ſecundùm proportionem 5 ad 9, reſpondent Cubiti tres, $1\frac{7406}{10000}$ Ped. *Anglic.*; $1\frac{8056}{10000}$ Ped. *Anglic.*; $1\frac{9582}{10000}$ Ped. *Anglic.*; ac tanti, circiter, erant veteres Cubiti à nobis ſuperiùs definiti, videlicet, *Memphiticus*, *Babylonius*, & *Perſicus*; his adde *Samium*, quem HERODOTUS *Memphitico* parem deſcribit. *Græcorum Romanorúmque* Cubiti, qui erant ſecundariæ menſuræ accommodatæ jam receptis Pedum menſuris, hìc non ſunt conſiderandi.

Hoc pacto definitis Orientalium Gentium, *Judæis* circumdatarum, Cubitis, hinc de *Judæorum* Cubiti quantitate conjecturam

facere poſſumus. Vulgaris *Judæorum* Cubitus major omnibus illis eſſe non debet, neque ſacer minor. Rejicienda igitur eſt ſententia VILLALPANDI aliorúmque, quibus vulgaris Cubitus duobus *Romanorum* Pedibus cum ſemiſſe eſt æqualis; neque minus à vero aberrare puto eos, qui ſacrum Cubitum *Attico* parem faciunt. Cubitum ſacrum valde magnum fuiſſe apparet ex *Judæorum Calamo*, qui hoc genus Cubitorum ſex tantum habebat; atque ex ejuſdem Cubiti antiquitate, ſiquidem NOACHUS eo uſus eſt ad Arcam dimetiendam. Quidquid autem ſit, adeò magnus non eſt conſtituendus, ut Cubitus vulgaris, (qui MOSE vivente dicebatur *Cubitus humanus* aut *hominis*, Deuter. III. 11.,) multò ſuperet hominis proceri Cubitum. Sed intra limites anguſtiores, ut ſequitur, hoſce Cubitos circumclaudam.

Diſcimus à *Talmudiſtis* & à JOSEPHO *Judæos* uſurpare ſolitos quatuor ſacros *Palmos* pro *Græcorum* Cubito. Propiùs igitur aberat *Græcorum* Cubitus à quatuor, quàm à quinque aut à tribus *Judæorum Palmis*, hoc eſt major erat quàm tres *Palmi* cum ſemiſſe, & minor quàm quatuor cum ſemiſſe. Hinc ſequitur ſacrum Cubitum ex *Palmis* ſex conſtantem ſuperaviſſe duos *Atticos* Pedes, & à duobus cum quatuor ſeptimis partibus ſuperatum fuiſſe.

Corporis humani ſtatura, juxta *Talmudiſtas* (*a*) continet, circiter, tres Cubitos à pedibus ad caput; quod, ſi quis extremis pedibus ſe ſubſtentet & brachia extollat, tum, uno Cubito accedente, ejus ſtatura ad quatuor adſcendet. Atqui vulgò homines, cùm nudis pedibus ſtant, quinque *Romanis* Pedibus majores, ſex autem ſunt minores, & optimè communis hominum ſtatura ad Pedes quinque cum ſemiſſe conſtitui poteſt. Hujus trientem ſume, & invenies vulgarem Cubitum habere plus quàm viginti, & minùs quàm viginti-quatuor Pedis *Romani Uncias*; atque idcircò ſacrum Cubitum continere plus quàm viginti quatuor, & minus quàm duodetriginta Pedis ejuſdem *Uncias* cum quatuor quintis partibus.

Scribit

(*a*) Hæc proportio diſertis verbis tradita legitur in *Miſhnatoth*. Tract. de *Gazarim*. Cap. 4. in Comment.

Digitized by Google

Scribit JOSEPHUS Columnas Atrii magni ejus peripheriæ fuiſſe, ut illas complecti poſſent tres homines brachiis junctis. *Orgyia*, vel menſura, quæ inter expanſas hominis manus continetur, paſſim ſupponitur æqualis ejuſdem hominis ſtaturæ, ſed illam re ipsâ uno circiter Pedis *Romani* Palmo ſuperat. Populus proximos rotundos numeros adhibet; ſed nobis veri ſunt adhibendi; quapropter ſuperius relatis humanæ ſtaturæ menſuris adde Palmum unum, & ſummâ triplicatâ, comperies Pedes *Romanos* quindecim cum tribus quadrantibus eſſe minores, duodeviginti verò cum tribus quadrantibus majores quàm Columnæ peripheria.

Jam, hæc peripheria, auctoribus *Talmudiſtis* & JOSEPHO, erat, ut ſupra, octo Cubitorum, ſaltem in Atrio interiori. Sumens igitur numerorum ſuperiorum octantem, invenies Cubitum ſacrum majorem duobus *Romanis* Pedibus, & minorem duobus cum triente. Hìc ſumpſimus Columnas utriuſque Atrii, ſcilicet, illarum craſſitiem non altitudinem. Certum eſt Columnas Atrii interioris craſſitie non ſuperaviſſe Columnas exterioris; quocirca poſterior hæc ſupputatio neceſſariò admittenda eſt.

Iter Sabbati, erat, nullo *Talmudiſtarum* neque profectò *Judæorum* diſſentiente, duorum millium Cubitorum. Hinc Interpres *Chaldæus* ad Ruth. I. 6. ait, *juſſi ſumus obſervare Sabbatum & ſanctos dies, neque tunc licet plus quàm duo Cubitorum millia peragere.* De hoc itinere verba facientes *Judæi*, aliquando Cubitis Paſſus ſubſtituunt. ERASMUS in ſuis ad Act. I. 12. notis ſcribit, loquens de itinere Sabbati, quòd Evangeliſta intelligit ſpatium duorum millium Paſſuum. Non enim per Legem *Judæis* licebat longiùs Sabbato progredi. Id aſſerit HIERONYMUS ſcribens ad ALGASIAM in ſuâ decimâ quæſtione, videlicet, *Judæos* religiosè caviſſe ne die Sabbato plusquàm duo Paſſuum millia peragrarent, juxta præſcriptum AKIBÆ, SIMEONIS (Juſti) & HILLELIS *Rabbinorum*, quos illi Magiſtros vocare conſueverant. Hæc ſcribit ERASMUS, qui apud Sanctum HIERONYMUM legit *Paſſus* non *Pedes*, ut corruptè ſcriptum fuit in hujus Patris editionibus impreſſis. Atque hinc in *Numeris XXXV*, 4., pro *mille Cubitis* Interpres *Latinus* ſubſtituit *mille Paſſus*. Aſt diligenter

Digitized by Google

genter cavendum est ne *Romanorum Græcorúmve* Passus intelligamus; siquidem in *Sebbolch Lecheth. Tract. 22. Cap. de Sabbat.* hi Passus ita describuntur: SAMUEL *per vallem iter fecit, neque Sabbati limites cognovit. Iter Sabbati habet duo millia Passuum medierum.* Tanquam si dixisset, iter Sabbati extenditur ad duo millia passuum hominis iter Sabbato facientis, non celeriter, ut in *Romanorum* Passibus, sed neque nimis lentè, at moderatè, ut facere solent illi, qui Sabbato itinerantur. Atqui homo staturæ mediocris ambulans hoc pacto, uno gressu progreditur plus quàm spatio duorum *Romanorum* Pedum, & minus quàm duorum cum triente. Atque his limitibus sacer Cubitus circumscribitur.

